UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Ecclesiastici Cæsaris Baronii S. R. E. Card.

[Liber I-VI]

Baronio, Cesare

Romæ, 1636

urn:nbn:de:hbz:466:1-65044

Visual Library

N
1
4

Th. 5007.

Collegij Societ. Jesu

ANNALES ECCLESIASTICI

CÆSARIS BARONII

S.R.E. CARD.

Latior à Theiner

LVDOVICO AVRELIO PERVSINO

In totidem libellos breuissimè redacti.

In Quot magna uolumina opus ab Authore digestū est.

ROMÆ. Sumptibus Pompilij Totti. A. M DC XXXVI.
Superiorum permissu. et Privilegio Sum. Pont.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VRBANO VIII.
PONT. OPT. MAX.

Ludouicus Aurelius.

Felicitatem.

QVOD tuæ Solium Maiestatis, Pater Beatissime, adire non reformidem, facit incredibilis illa Benignitas, qua complecteris vniuersos; quòd debeam, illa suadet plusquam Regia, Munificentia, qua, cum Ciuibus alijs meis compluribus, Fratres quoque honestissimis militaribus Præfecturis exornasti. nam quemadmodum ineptus essem omninò, si huiusce com-

pendiariæ Epitomes oblatione tuis resonderi à me posse beneficijs existimarem; ita ingratus, atque excors, si hanc obsequij mei testandi opportunitatem volens, libensque præterirem. Eninuerò vt longè infra cælum Arbores, quantumuis proceræ, consistant, extensis tamen, quàm maximè possunt, ramis, intento veluti digito, Solem indicant, & fatentur authorem vitæ suæ; quod dum illæ faciunt, propioribus tactæ, imbutæque radijs, in ipsa beneficij contestatione, nouo beneficij genere perfruuntur. idem mihi sperare posse videor à Sole Maiestatis, ac Beneficentiæ tuæ, Pater Beatissime. Quare dum Opusculo huic meo qualicumque à tuo nomine patrocinium imploro, sacrorum Pedum, quibus humillimè aduoluor, oscula supplex rogo.

EMI-

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISS.

PRINCIPI

FRANCISCO

CARD.

BARBERINO

S.R.E. VICECANCELLARIO.

Ludouicus Aurelius. F.

POST Patrui ter Maximi imploratum à me, eo non dedignante, Patrocinium, tua quoque publicis dicata curis tempora Interpello, Franciſce Cardinalis Eminentiſſime. iſtud enim, quod in te viget benemerendi ſtudium ſingulare: effuſa iſta in omne genus hominum beneficentia: aurea iſta humanitatis, ne accedentium obtutus per-

fringantur, obtenta veluti nubes Maiestati, spem mihi fecere certissimam fore, vt eo, quo supplices reliquos solcs, vultu, hoc est sereno, ac benigna luce perfuso, Opusculum excipias meum, in quo illud vnum fortasse non improbabis, quod, dum ex ampliſſimis Baronij voluminibus Ecclesiasticæ Historiæ veluti succum exprimo, Te, tuasque Apes consilij Duces sequutus sim; quam enim illæ, in delibanda è florum amœnitate roris anima, solertiam ostendunt, vsque adeò Tu in deligenda è Scriptorum monumentis sacræ profanæque eruditionis varietate æmularis, vt non magis splendidè Auito in Stemmate mellis opifices, quam verè Tuo in pectore artifices sapientiæ Apes eniteant. Vale.

In

In Epitomen Annalium Eccleſiaſt. Cæſaris Card. Baronij à Ludouico Aurelio confectam

ALEXANDER DONATVS SOCIET. IESV.

MAgnorum qui parua operũ compendia promis
Nomina vis fama promere magna tua.
Eſt tibi Dux Caſar veteris qui cognitor aui,
Poſtera manſuro lumine ſæcla replet.
Nec plura ille tamen per longa volumina Princeps
Edidit, AVRELI quam breue cogit opus.
Mirus vterque, prior magnis docet omnia, paruis
Tu quoque non impar dicere cuncta potes.

HIERONYMI PETRVCCII SOCIET. IESV

De Baron. Epitome à Lud. Aurelio perfecta Iudicium.

DÆdala condiderat Mundũ Sapiẽtia: Mundus
Alter ab exiguo puluere natus Homo eſt.
Hic minor; at maioris habens compendia Mundi,
Gratior Artifici, nobiliorque fuit.
Ingens in lucem duodena volumina Caſar
Qua dedit, Hiſtoria quid niſi Mundus erant?
Contrahit immenſos Opifex Aurelius orbes,
Grandiaque exiguo in corpore ſenſa ligat.
Eſt liber hic idem, qui Caſaris ante; ſed idem
Mole minor, rerum pondere maior erit.

FOE-

FOELICIS VERDVCCIOLI PERVSINI

Philosophiæ, & Sacræ Theologiæ Doct. & In patrio Gymnasio Eloquentiæ Professoris.

Ad Eundem Ludouicum Aurelium. Epitome Annalium, Vnius anni labor.

EXcessura fidem miracula; sed bona certam
Posteritas vero discat habere fidem.
Non tibi sors vacuæ dedit otia ducere vitæ:
Te Toga, clamosum Te vocat vsque Forum.
Et potes annali Annales breuiare labore?
Dum legis, ac scribis, se breuis annus agit.
Quo celer ò Curru bissena volumina curris?
Hoc spatio totidem Sol quoque Signa videt.

AD

AD LECTOREM.

BARONIVS, quem breuiandum suscepimus, hoc ipso nomine optimè de Christiana Republica meritus videri potest, quòd, Historiam dum texit, Historiæ fines egredi videatur. nuda etenim, ac simplici narratione minimè contentus, multa ex alijs recitat, multa disputat, omnia expendit, obscuræ retegit, refellit falsa; nihil denique in disquisitionem non reuocat; quo factum est, vt, laudabili alioquin prolixitate, multos à legendo reuocet. quid quòd tot voluminum precium non vulgare à coëmendo non paucos deterret? Hæc multos perpulere, vt opus in Epitomen redigere tentauerint; vnus, quod sciam, Henricus Spondanus ad finem vsque prosequutus fuerit; in quo, quia multi adhuc breuitatem desiderant, prolixitatem nauseant; operæ precium nos facturos duximus, si immensi huius Operis summa tantum capita perstringentes, ac veluti delibantes, fastidiosis hisce stomachis

chis propinauerimus. Quid si Apellis, ac Prothogenis certamen æmulati, postremæ, ac tenuissimæ ductu lineæ, laudem qualemcumque nacti fuerimus? Omisimus consultò Authoris Prolegomena, ac longiorem ad Annales Apparatum: multa quoque ex ipso opere præterire oportuit, quòd ad Historiæ seriem non æquè pertinerent, vt quæstiæ tantoperè breuitati inseruiremus. numerauimus in margine annos Christi: addidimus rerum veluti argumenta, & summariolas, Authorumque nomina, & loca, vndè res petitæ, quæ in opere recensentur, quò quisque ea, quæ nos attigimus, ipsis statim ex fontibus possit haurire, ac Baronium ipsum, vt libuerit, &, quos diximus, Authores adire. Tù Lector æqui, bonique consule.

EX

EX EPISTOLA LXI.

CENTVRIÆ MISCELLANEÆ

I. LIPSII.

AGE ad ipsam iam Historiam. & quam præmittimus? pietas vult *Diuinam* facilis ea est, nec diu tenebit. *Iudaica* vetus est, e libris sacris, Iosepho, & eius Interprete Hegesippo petenda. nostra hæc noua, id est *Christiana*, olim ex Eusebio, Sozomeno, pluribus. nunc ex vno CÆSARE BARONIO adfatim haurietur. & quid in diligentia Viri tanta deest? imo vt superst vereor; ijs vtique qui ex professo Theologos non agunt: & sufficit vniuersè initia, progressum, dissidia, capita, & Antistites Religionis nostræ, scire. non abnuo. Compendium bonum exactissimi illius laboris sit; non sit fortasse bono Authoris.

Hæc Lipsius. caterum tantum abest, vt me Authori, quem, vt omnes plurimi faciunt, Ipse suspicio, incommodaturum existimem, vt potius ex huiusce meæ Epitomes velut illecebra Lectorem ad Annales ipsos euoluendos exarsurum putem: voueo quidem certè, atque impensius opto.

Sum-

Summa Priuilegij.

SAnctissimi Domini Nostri Vrbani PP. VIII. Priuilegio cautum est, ne cuï liceat Compendium huiusmodi Latino sermone conscriptum, neque in Italicum translatum, per vniuersam Ditionem Ecclesiasticam mediatè, seu immediatè subiectam, ad decennium iniussu Pompilÿ Totti, imprimere, aut alibi impressum, vendere, sub pœnis, de quibus in eo. prout constat per eius Breue, sub Anulo Piscatoris expeditum. Die 16. Iulÿ. 1635.

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Apostolici.
A. Torniellus Vicesgerens.

Imprimatur.
Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Palatij Apostolici Magister, Ord. Prad.

ANNALES ECCLESIASTICI CAESARIS BARONII S. R. E. CARD.

A LVDOVICO AVRELIO Perusino.

In totidem libellos breuissimè redacti in quot magna volumina opus ab Authore digestum est.

LIBER I.

Respondens primo Authoris Tomo.

NASCITVR Christus Dominus in spelunca è rupe excisa, non longè à muris Bethleem, Augusto (si principatum illius à Iulij Cæsaris cæde auspicemur) iam annos XLII. imperante; octaua dein' die, ipsis Ianuarij Kalendis, eadem in spelunca, vt verior fert sententia, circumciditur, indito, ex Angeli præcepto, IESV nomine. Exinde Magi Viri

sapientes, ac Dynastæ, ex Arabia, stellæ ductu profecti, Puerum recens natum, fassi Deum, adorant, ac muneribus colunt. Diua Puerpera, quadragesimo à partu die, ex lege, Hierosolymam petit: Templum init: Natum Deo dicarum, præscripto redimit precio: mira à Simeone, mira ab Anna audit, quæ ad Herodem, haud dubiè, delata, iectam à Magis suspicionem ita auxerunt, vt facinus immanissimum, tot infantium cædem, imperaret. prænonitus ab Angelo Ioseph, Puerum, ac Matrem in Ægyptum auexerat, Dei aduētu Ægypti simulacra, ex Prophetæ vaticinio, corruisse constans est fama, antiquorum Patrum authoritate firmata. In hunc eundem annum, licet dissentiat Iosephus, incidit Iudæ Galilei seceſſio, qui Theodum, alium Impostorem, æmulatus, censum à Cæsare imperatum seruitutem indignam esse contendens, multos, & ipse ex sua Gente, ad defectionem compulit, quæ vtrique malè vertit. *Ios. lib. 20. c. 2. Act. 5.*

Ad annum Christi secundum spectat Gentis Iudæorum iusiurandum, quo illam Herodes adegit, vt Cæsari, ac sibi, posterisque fidem obligarer, quod præstare abnuentes, Pharisei, sex millium numerū excedentes, à Tyranno mulctati sunt. mulctā tamen (quod mirum videri possit) Pherore Herodis Fratris Vxor persoluisse dicitur. Chri. Ann. 2. *Phil. l. 2. de temp. Ios. l. 17. c. 3*

He-

Chri Ann. 8. Herodes, Regnum alioquin fœlicissimus, annum prope septuagesimum agens, diris corporis, animique cruciatibus vexatus, moritur: regnum Archelao, ex filijs superstitibus maiori natu, legat. Herode Antipa, ac Philippo Tetrarchis institutis, reliquis cognatis, Sorori in primis, oppida nonnulla, aurique magnam vim tribuit. Cæsari (quòd credi vix possit) Vxorique eius Liuiæ, præter aurea vasa, ac argentea, reliquit argenti signati centies, ac quinquagies centena millia. *

Herodis mors & legatæ.

Ioſ. lib. 17. c. 8. & ſeq. Euſeb. l. 1 c 8.

**Quindecim, vt nũc loquimur, millione ſ*

Ab Herodis morte, cum Archelaus, atque Antipas sese inuicẽ delaturi ad Augustum Romam nauigassent, apud Iudæam, multi, varijs artibus multitudine sibi conciliata, regium nomen vsurparunt; hinc res Iudæorum pessum ire cœperunt. Archelaus non ab Antipa Fratre modo, sed à Gentis etiam Legatis accusatus, dimidia Regni parte ab Augusto donatus, Regis nomine abstinere est iussus, donec huiusmodi sese honore dignum redderet.

Ioſ. lib. 17. c. 12.

Chri. Ann. 9. Ioseph interim de Herodis morte certior ab Angelo factus, ex Ægypto cum Virgine, ac Puero nonum iam annum ineunte discessit, apud Nazaret, Galileæ Oppidum, deinceps moraturus, ea ipsa in Ædicula, quæ, magno postmodum miraculo, in Dalmatiam primùm, dein' Picenum delata,

Christi ab Ægypto reditus.

propè Recinetum nunc visitur, ac religiosissimè colitur.

Annum duodecimum agens Christus Dominus à Parentibus, qui Hierosolymam petierant, diuino consilio se subducens, anxiè perquisitus, tertia demum die in Templo, inter Legis Doctores inuentus est audiens illos, ac supra ætatis captum cum eis differens. Hoc anno cōstat accidisse Variana cladem apud Germaniam, in pœnā expilatæ ab eo Duce antea Syriæ, cui præfuerat, quamque, vt tradit Velleius, & ex eo alij, diuitem pauper ingressus, diues pauperem reliquit.

Clades Variana.

Chri. Ann. 12. *Luc. 2.* *Vell. Suet. in Oct. Dio. lib. 56.*

Archelaus à Iudæorum, ac Samaritanorum Legatis iudicio postulatus, Viennam, Galliæ Vrbem, exulatum mittitur Ditione illius, Syriæ attributa. Hoc eodem anno Augusti mense, 17. c. obijt Augustus Cæsar, ætatis anno septuagesimo sexto. Imperium, post eum, inijt Tiberius Nero eius Priuignus, tenuitque annis viginti duobus, cum dimidio.

Archelaus relegatur.

Chri. Ann. 16. *Ios. lib.* 15.

Augustus morisur.

Is cum initio Principatus, ac per aliquot deinceps annos, Iudæos in Vrbe tunc degentes, non secus, ac Augustus, humaniter habuisset, Seiani postmodum arte extorres egit, atque in Sardiniam, vt stipendia inibi facerent, quasi ad compescenda Insulæ latrocinia, amandauit.

Chri. Ann. 21.

Christi anno XXVIII. recedente à Pro-

Chri. Ann. 28.

Procuratione Iudææ Valerio Grato vndecimo exacto anno, Successor ei datus est Pilatus, qui, cum auratos clypeos (Cæsaris imagines scribit Iosephus) Hierosolymam intulisset, dedicasset*que*, magnas turbas conciuit, victusque populi pertinacia, Cæsareã transtulit. haud ita multo post iterum orta seditio Populi, quod sacram pecuniam in profanum vsum verti iussisset, hoc est in extructionem aquæductus, quam ab vsque trecentesimo stadio in Vrbem inferre constituerat.

Pilatus in Iudæã

Philo de legat. ad Caiũ. Ios. lib. 17. c. 3

Chri. Ann. 30. Christi annum XXX. auspicatur S Lucas à prædicatione Ioannis Baptistæ, eiusdemque vitæ ratione, à qua monasticam dimanasse constat. ad Ioannem deserta loca incolentem, vt omnis generis mortales confluebant, ita Christus Dominus accessit, ab eoque, licet aliquandiù renuente baptizatur in Iordane fluuio, qui diuino contactu virtutem adeptus est; eò quippè loci leprosos accedere, & lotos sanari solitos tradunt. Post hæc, inquit Euangelista, ductus est Iesus in desertum. inibi cum ieiunium ad dies quadraginta protulisset, tentari se à Dæmone passus est. à deserto loco, ac ieiunio, ad Opus Redentionis accedens propius, sectatorem habuit primùm Andream, qui ex discipulis erat Ioannis Baptistæ; is Simonem Fratrem de Christi Numine admonitum

Io. Baptista.

Christus baptizatur.

Greg. Turo. de glo. mart. c. 17.

Io. 1.

Apostolorũ vocatio.

tum ad eum secum adduxit, quem intuitus Christus, iam tum Ecclesiæ assurgentis veluti basem constituit. hinc Nouatores facile refelluntur, qui Primatum qualemcumque Petro a Christo ideo traditum contendunt, quòd cæteris Apostolis maior esset natu: constat enim Andream, ætate pariter, ac vocatione Petro priorem fuisse. vocatus exindè Philippus traditur, &, Philippo admonente, Natanaël, quem quidam Bartholomæum fuisse putant; sed D. Augustini sententiæ tutius inhærendum, qui secus sentit, & Natanaëlem inter Apostolos ideò cooptatum negat, quod esset legis Doctor; Deus autem contemptibilia Mundi eligere constituisset.

Nuptia apud Canam. Horum discipulorum vocationem sequutæ sunt nuptiæ apud Canã Galileæ Viculum, ac inibi primum à Christo miraculum perpetratum. sunt qui commenti sint Sponsum his in nuptijs fuisse Ioannem Euangelistam, qui tamen miraculo illectus, Sponsa relicta, Christum sequutus sit. Imminente autem Pascha, Christus Hierosolymam ascendisse dicitur, ibique summo cum imperio nundinatores è Templo exturbasse. Interim Herodes Antipas Galileæ Tetrarcha, Herodiadis ex Aristobulo Fratre Neptis, quæ Philippo item Fratri nupserat, amore captus,

Io. 2.

Io. 2. Matt. 14. Marc. 6. Luc. 3. Ios. lib. 17. c. 7

captus à Viro eam abduxit; factum cum improbaret Ioannes, Tyranni iussu in carcerem detrusus, ac demum biennio fere post, improbæ Saltatricis precibus, capite plexus est. Dum recederet è Iudæa Christus Dominus recepturus se in Galileam, Samaritanam offendit Mulierem, quà cum longum sermonem instituit, quem prosequitur Ioannes Euangelista; in Galilea iterum reperit Andream, ac Simonem Fratrem piscationi operam dantes, qui relictis retibus vocantem Christum, & aliud piscationis genus eis demandantem, confestim sequuti sunt; nec ita multo post vocantem item Iesum sequuntur Iacobus, & Ioannes Fratres, relictis actutum retibus, ipsoque Patre Zebedeo. Hic cum Matthæus addat, Christi operum admirabilium famam tota Syria percrebuisse, multi non immeritò existimant tunc factum, vt Edessæ Rex Abagarus illum per literas ad sese acciret, eidemque Christus rescriberet. addunt nonnulli, ijdemque probati Authores, non rescripsisse modo, sed sui imaginem quoque misisse, non arte pictoris elaboratam, sed ipsius summi Opificis manu perfectam.

Io. Baptista carcer.

Io. 4. Matt. 4. Marc. 1. Luc. 4.

Euseb. lib. 1. c. 13.

Abagarus.

Chri. Ann. 32. *Io. 5.* Ad alteram Christi profectionem, ad Pascha Hierosolymis celebrādum, spectat Paralytici curatio, qui ipsis triginta & octo annis in probatica

piscina excubauerat. post hæc accubuit Iesus in domo Simonis Pharisæi, quò Mulier accessit, quæ erat in Ciuitate peccatrix. *hìc longam satis disputationem Author instituit, an una, eademque hæc Mulier fuerit, ac Maria Magdalena Soror Lazari, ac Marta, & unam, eandemque fuisse tradit, contraria sententia multis testimonijs reprobata.* prosequentes autem Euangelistæ sacram Historiã, tradunt Christum remigrasse in Patriam, ibique (vt accidit contemptui habitum. post hæc peragrasse Oppida, ac Vicos Galileæ multosque mortales, animorum æquè, ac corporum sanitati restituisse; nec per se solum, sed etiam per Discipulos, quos binos dimisit ad Euangelium latè propagandum.

M. Magdalena.

Matt. 13. *Marc.* 6. *Luc.* 4.

Io. Baptistæ cades.

At Christus Dominus audita Ioannis nece (quę ad hunc annum spectat, vt antea innuimus) ingressus nauiculam, abijt trans fretum, in auia, ac deserta loca, quò cum haud secius turbæ eum multæ sequerentur, nec cibum secum detulissent, per summum miraculum, quinque panibus, ac duobus piscibus eas, numerum quinque millium excedentes, pauit. Secessit post hæc Dominus in partes Tyri, ac Sidonis, & exindè in Galilæam redijt, multaque ibi miracula exhibuit, exiguoque iterum pane, pauciscque piscibus turbam aluit innumeram; exin, dimissa

Chri. Ann. 33. *Matt.* 14. *Marc.* 6. *Luc* 9. *Io.* 6. *Matt.* 15. *Marc.* 7.

dimissa turba, secessit cum solis Discipulis, quibus veluti in Concilium coactis, summum Petro sacerdotium attribuit.

In hunc Christi annum (vt aliqua ex profanis misceamus) incidit Seiani cædes iubente Tiberio; eius inquam Seiani, quem Fortunà ad summum humanæ fœlicitatis fastigium euectum, veluti fatigata destituit. hunc supra Cæsarem vidit Roma, & post diuinos ei delatos honores, vnco in Genias traxit. *Seiani cædes.*

Chri. Ann. 34. *Matt.* 21. *Marc.* 11. *Luc.* 19. *Io.* 12.

Trigesimum tertiũ expleuerat ætatis annum Christus Dominus, cum, instante pascha, Hierosolymam petijt pro salute omnium Crucis supplicium subiturus. præcessere Christi mortem non longo interuallo, Lazari ad vitam reuocatio, faustæ Populi acclamationes, diuinique honores habiti in die Palmarum. hinc Sacerdotum, & Scribarum odium: hinc captiosæ Pharisæorum, ac Sadducæorum quæstiones de Tributo, de resurrectione mortuorum, de maximo Legis mandato; conuiuium quoque in domo Simonis iteratum, Magdalenæ obsequium, Concilium Sacerdotum in atrio Caiphæ; cum Apostolis cœna, & Paschæ celebratio: pedum lotio, Sacrosancta Eucharistiæ institutio. à cœna receßit Christus in montem oliuarum, Hortumque Getsemani, quò, nocte con- *Christi Passio.*

cubia, Pilati satellitium, Iuda ductore, cum accessisset, illum, rei non ignarũ, comprehensum in Prætoriũ adducit. ibi, nocte reliqua, ludibrio habitus, circumductus, seruiliter cæsus, diris impetitus, Cruci demum addicitur. Christo in Cruce pendente concussa est tellus; tenebris obductum est cœlum, multaque alia prodigia acciderunt, quæ apud Euangelistas habentur. eius sepulturam curauit Ioseph ab Arimathèa, corpusque sindone inuolutum saxeo condidit monumẽto. Hebrei etenim, quod plerique ex oriẽte populi, mortuorum corpora non cremabant, vt Romani. *hic refert Author, ac reprobat nonnullorũ sententias, qui tradunt, alio, quã XXXIII. ætatis anno, Christum excessisse. diligentius etiã perquirit, quo mense, quoque die, non tantum quoto ætatis anno Christus sit mortem passus;* Exindè in memoriam Dominicæ passionis, honoremque, apud Christianos mos inoleuit sextam feriam ieiunijs destinare, nec sextam tantum, sed etiam quartam, quod ea die Sacerdotes Iudæorum de eo morti tradẽdo consilium inierint. Religiosæ interim Mulieres emerunt aromata, vt Christi corpus condirent; qui mos ab Ægyptijs in Iudæos manauit; Ægyptij enim sic curabant corpora per XXXX. dies, eaque, hac arte, ita exsiccabant, vt veluti lapidescerent,

Can. Apost. 68. *Ignat. Epist. ad Philipp. Clem. Const. l. 5. c.* 16. *& l.* 7. *c.* 22. *Genes. c.* 50.

&

& longum in æuum seruarentur. hinc mirari quis desinet, cur, post curatum Christi corpus à Ioseph, idem quoque præstare piæ Mulieres vellẽt. Surrexisse autem à mortuis Dominum Mulieres comperère, idque discipulis retulere. diluculò id accidisse Ecclesia credit, *& firmat Author relata aliquorum discrepantia, & reiecta.* rediuiuum apparuisse primũ Matri, nemo pius, vt ait Hieronymus, negauerit; apparitiones aliæ notæ sunt satis ex Euangelijs, & Pauli testimonio; has dum peragit, Apostolos plena sacerdotali potestate donat, Petrũ in primis, cui Nauis clauum regendum tradit, prærogatiua inter alios singulari.

Christi resurrectio.

De scripț. Eccles. in Iacob.

Discipuli recesserant, iussi, in Galileam, rursum Hierosolymam reuersi, etiam post Domini in Cœlũ ascensum ibidem substitere ad vsque aduentum Paraclèti, à quò mire incensi, instructique, opus longè maximum aggressi, orbem terrarum Christo subdere ex composito decreuerunt; & verò etiã fœliciſſimè perfecerunt; vt deinceps ex instituto demonstrabimus. Quo loco Dominus in Cœlum ascendit, vestigia solo impressa reliquit. eo ipso loco Templum postea cum extrueretur rotundo schemate, concamerari totum opus nequiuit; relictus est itaque summo in fastigio meatus apertus (vt licet conijcere) quo nunc pacto

Romæ adhuc visitur Agrippæ Templum; illud etiam mirum (Sulpitij verba) *quod locus ille, in quò postremũ insteterant diuina vestigia, continuari pauumento non potuit, siquidem quacumque applicabantur, insolens humana suscipere terra respueret, excussis in ora apponentiũ sæpe marmoribus; quin etiam calcati Deo pulueris adeò perenne documentũ est, vt vestigia impressa cernantur, & cum quotidie confluentiũ fides certatim Domino calcata diripiat, damnũ tamẽ arena non sentiat, & eadem adhuc sui speciem veluti impressis signata vestigijs terra custodit,* *Sulp. Seuer. lib. 2.*

Matthias locum Iudæ implet

Antequam Hierosolyma discederẽt Apostoli, atq; adeò ante ipsum Diuini Spiritus aduentum, in primis replendũ Iudæ proditoris locum censuerunt, Petro perorante. cum itaque propositi essent Ioseph, qui vocabatur Barsabas, & Matthias, *cecidit* (inquit Lucas) *sors super Matthiam*. sors autem illa, vt tradunt Patres, fuit insinuata Apostolorum mentibus diuina voluntas; ne autem sorte eligerentur Sacerdotes, Romanis etiam legibus vetitum erat; nec apud Hebreos id vsurpatum constat, nisi semel paulo ante Hierosolymitanum excidium, & à factiosis quidem hominibus, Reipublicę statu collabente; tùm Petrus, diuino Spiritu percitus, concionabundus sacra mysteria multitudini circumfusæ, stupen-

Dion. de Ecc. Hier. p. 3. c. 5.

Dion. Alic. lib. 2.

Ioſ. de Bell. l. 4. c. 5.

stupentique referare instituit, atque adeò, primo veluti congressu, tria virorum millia ad Christi castra, victoria speciosissima, traduxit.

Tert. ad Phis. c. 10 Propagandæ Fidei intenti Apostoli, precationes statis horis non deferebant, vnde mos in Ecclesiam inuectus sacras, seu Canonicas, vt vocamus, Horas concinendi, aut recitandi, qui à Clericis etiam nùm seruatur, ac Monachis. his accedebant miracula, per quæ nouam doctrinam adstruebant, nascentemque alebant Fidem. qui verò dabant Christo nomen agros, ac domos vendebant, preciumque ad Apostolos deferebant, communem in vsum insumendum; quod cum haud quaquā sincerè præstitisset Ananias quidam, cum Vxore Zaphira, mendacium Petro acrius exprobrante, exanimes ante illum cecidere.

Hora canonica.

Ananias, & Zaphira inter ritus.

Act. 5.

Euseb. Chron. et Hist. l. 2. c. 1 Hoc eodem anno Iacobus Alphei cognomento Iustus Frater Domini appellatus, Hierosolymorum Episcopus à Petro institutus, eam Ecclesiam rexisse traditur, annis XXIX. consecrationi autem illius adfuisse Iacobum Zebedei, & Ioannem, ex antiqua traditione habemus, & ex Aniceti Epistola, qui etiam testatur traditam à Petro formam esse, vt electus Antistes non minus, quam à tribus Episcopis consecraretur. extremo hoc anno Stephanus, omnium Fidelium primus, mar-

Ritus ordinādi Episcopos.

tom. 1. Cōcil.

Act. 6.

marty-rium. maryrio affectus est extrà portam Aquilonarem. Locum postea Eudocia Augusta, regio sumptu extructo inibi Templo, egregiè illustrauit: *quoniam verò Sacra Historia tradit discipulos, super morte Stephani, fecisse planctum magnũ; Author opportunè de mortuorum suffragijs, deque igne purgatorio disputationem instituit, quam apud eũ legas.* Post mortẽ Stephani, pergit sacer Historicus *facta est persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sũt per Regiones Iudæ, & Samariæ, præter Apostolos*, cur autem Apostoli, dilapsis cæteris Discipulis substitere? an quia alijs audentiores? an quia de populo optimè meriti operatione virtutum, gratia apud eum valerent plurimùm; vt sine populi tumultu exturbari tutò nequirent? Discipuli igitur, ea de causa per totam Asiam dispersi, vocati sunt Aduenæ, dispersionis, ad quos suas dedere epistolas Petrus, ac Iacobus; diuina autem id prouidentia factum par est credere, vt ea ratione dominicus ager ad diuini verbi semen ab Apostolis fœlicius postea recipiendum, prius à Discipulis excoleretur; itaque cum ad Philippi predicationem *recepisset Samaria verbum Dei*; quasi ad maioris molis opus, missi sunt illuc Petrus, & Ioannes, qui baptizatis à Philippo manus imponerent, vt acciperent

Euag. lib. 1. c. 22.

Chri. Ann. 35.

Act. 8.

perent Spiritum sanctum. *quo loco Author de Sacro Chrismate disputationem instituit*. Inter baptizatos à Philippo, Simonem Magum Samaritanum hominem fuisse referunt. is, cum Petrum, ac Ioannem Spiritum sanctum, vt diximus, conferentes, & cum eo miraculorum virtutem, animaduertisset, potestatem huiusmodi precio comparare sese ab eis posse existimauit; à quo Simoniæ, vt vocamus, crimen inoleuit. *huius autem hominis commenta, secta sectatoresque fusè hic narrat Author, ex antiquis monumentis*; fuisse autem illum eundem Simonem impostorem, qui, Iosepho teste, Gentem illam in montem Garizin coegit, fugatusque est inde à Pilati milite, quidam putant.

Sacrũ Chrismа.

Simon Mag.

lib. 18. c. 6.

Recedentibus è Samaria Petro, ac Ioanne, Philippus substitit, ibidemque Candacis Reginæ Eunucum ad Christi Fidem traductũ lustrali abluit fonte, raptusque inde, Azòtum delatus est, cuius Vrbis Ciuibus Euangelio imbutis, perrexit Cæsaream. at Eunucum, in Æthiopiam postquam peruenit, euangelizasse inibi Christum plerique omnes tradunt. adorasse autem pridem Æthiopes Deum immortalem expertes Idolorum, Author est Strabo. quemadmodum & circuncidi solitos, habetur ex Herodoto, quem Iosephus laudat. itaque haud

Cãdacis Reginæ Eunuchus.

Iren. lib. 3. c. 12. Euseb. l. 2. c. 1 Nicephl. 2. cap. 6. lib. 17.

haud ægrè eorum, cum Christiana, Religionem coaluisse putandum est.

Pauli cõuersio.

Saulus interim patriæ legis æmulator studiosissimus, Christianæ acerrimus infectator, miro ostento ad Christi Fidem cõuersus, magnum rei Christianæ momentum attulit. afferebat ille secum literas à Principibus Sacerdotum ad Damasci Sinagogas, quibus, pro imperio, pœnam Christianæ Fidei Sectatoribus constituebant. mirum hoc videri potest, cum Vrbs ea externo esset sub Principe, & Herodis quidem hoste Areta Rege; documento Christianis Principibus, quo pacto suis in Ditionibus summi Sacerdotis, in his, quæ ad Religionem pertinent, excipere mandata debeant. accidisse autem hæc biennio fermè post Christi Seruatoris mortem, exacto verò, post cædem Stephani, vix dum anno, exploratum est. at enim cum lapidaretur Stephanus, Saulus Adolescens fuisse dicitur; conuersionis deinde tempore, *Vir spirans minarum* appellatur, quo factum, vt nonnulli multis post Stephani obitum, annis, Pauli ad Christum conuersionem accidisse existimauerint. verùm ex germana græcæ vocis νεανίς significatione, controuersia sublata videri potest, pro qua latinus Interpres reddidit *Adolescentis; præferocis ingenij Iuuenis* melius redditurus. vtcumque, fuisse

Chri. Ann. 36. *Act. 9.*

Pauli ætas tẽpore cõuersionis.

se tùm Paulum annorum quinque circiter, ac triginta, ex eo deduci abundè posse existimamus, quod scribens idem ipse ad Philemonem, anno sui carceris secundo, Neronis principatus quarto, *Senem* se esse testatur, proinde, vt minus, sexagenarium. scripsit autem anno post Christum agnitum XXIV. quod verò neque ætate grandior tùm fuerit, ex eo videtur
Act. posse conijci. quod duodecim fere
14. post conuersionem annis Paulus, ac Barnabas Listram Licaoniæ Vrbem cum venissent, ac claudum inibi, ingenti miraculo, sanum reddidissent, habiti ab incolis pro Dijs sunt, volebatque eis Sacerdos hostias immolare. *vocabant autem* (inquit Lucas) *Barnabam quidem Iouem, Paulum autem Mercurium* & quamuis Lucas addat, *quoniam ipse* Paulus, *erat dux verbi*, & ita Mercurium referret eloquentia, nihilominus iuniorem adhuc eum fuisse par est credere, vt Mercurium referre aptius potuerit. porrò vocatum eum *Paulum* etiam ante conuersionem quidam putant eo argumento, quod Romanus esset, licet *Saulus* à Iudęis vocaretur; qua in sententia videtur esse Origenes. alij, in quibus Ambrosius, & Augustinus, contendunt in ipsa conuersione cum moribus nomen immutasse, alij denique, vt Hieronymus, non ante Sergium

Cur. et quãdo paulus hoc nomẽ sumserit.

In Præfat. ad ep. ad Rom.

Ambr. serm.

31. Pau-

Paulum Proconsulem ad Christi fidem à se traductum, Apostolum, Pauli nomen tanquam spolium, adeptum; quod non ante hoc tempus eo nomine appellatus legatur; quæ sententia magis arridet: quamquam non tam illud vsurpasse ad gloriam, quam ab ipso Proconsule inditum ei fuisse ad clientelam putamus. Sed iam Apostoli vestigia sectemur, constat illum, Damasci aliquandiu moratum, petijsse Arabiam, indeque Damascum repetisse, moratumque ibidem triennio, profectum Hierosolymam. *Aug. tr. 72. in Psa. Hier. in ep. ad Philem. ad Galat. 1. Chri. Ann. 37.*

Philippi Tetrarchæ obitus. Obijt hoc anno Philippus Tetrarcha Herodis Antipæ Frater Vir mitis ingenij Fratrum, ac Patris dissimillimus. eius Ditio, quod sine liberis decessisset, Siriæ accessit. *Ios. lib. 17. c. 6*

L. Vitellius Syriæ Præses. Eodem fere tempore L. Vitellius Exconsul, in Syriam Præses missus, Hierosolymã inuisit, multaque in Iudæos beneficia contulit. Pilatus interim quod omnia per sæuitiam, atque auaritiam ageret, ab eodem Præside in ordinem redactus, Romam mittitur, ac custodiæ traditur. *Chri. Ann. 38.*

Herodes Agrippa Herodes verò Agrippa Aristobuli Filius, Herodis Magni Nepos, Romæ dum esset, quod inconsultè nimis Tiberio mortem precatus fuisset, Imperium Caio, quem eiusdem Tiberij iussu, quasi morũ moderator sectabatur, carceri, & ipse addictus est, mansitque ad vsque Tiberij *Philo de legat. ad Caiũ. Ios. lib. 18. c. 5 & 8.*

mor-

mortem; cui Caius suffectus, Agrippam non modò a vinculis soluit, sed auitum statim in Regnum restituit, donatum prius aurea catena eiusdem omnino ponderis cum ferrea, quam Tiberius iniecerat.

Chri. Ann. 39. *De cõs. ad Eluid.* Obijt autem Tiberius XVII. Kalen. Aprilis, anni à Christo nato vndequadragesimi. De Caio qui post eum Principatum obtinuit, satis sit referre, quæ scribit Seneca. *hunc*, inquit, *edidit natura, vt ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent.* *Tiber. mors.* *Caius edidit.*

Ios. lib. 18. c. 7 Vitellius post hæc gesturus aduersus Aretam Arabiæ Regem bellum, iterum accessit Hierosolymam, Iudæisque in verba Caij noui Principis adactis summum Sacerdotium à Ionata Annæ Filio in Theophilum Fratrem transfert. *Vitellius Hierosolymis.*

At verò profectus Hierosolymam Paulus, quamquam triennio iam Christum prædicans, quasi adhuc *spirans minarum, ac cædis* etiam nùm à Discipulis timebatur. profectionis causam scribit ipse; *vt videret Petrum.* *ad Gal. 1.* manfit autem inibi diebus non amplius quindecim quæsitus iterum ad necem à Iudæis, quemadmodum antea & Damasci. *Paulus Hierosolymis.*

Hoc eodem anno Petrus Ecclesiam instituit Antiochenam, septemque illam annos administrauit, Syriæ Vrbibus reliquis antea peragratis. *Petri sedes Antiochiæ.*

Porrò

Porrò Agrippa in Regnum sese re- Chri.
cipiendi venia à Caio impetrata, ex Ann.
itinere Alexandriam cum appulisset 40.
regio ornatu, ac satellitio, Flacci Præ-
fecti inuidiam in se concinit, ad cuius *Ios. lib.*
gratiam Populus Alexandrinus Re 18. *c.* 9
gem Cæsaris familiarem per summam
licentiam traduxit. Hebræos, qui ea
erant in Vrbe frequentissimi, fortunis
exutos, omni cruciatuum, ac supplici-
orum genere vexauit. In Regnum
cum peruenisset, Herodis Patrui haud
secius inuidiam incurrit, quem sponte
Agrip. pa cũ Hero- de Pa- truo cõ tentio. incitatum, Herodias Vxor, Agrippæ
Soror, acrioribus in Fratrem agebat
stimulis, socordiã illi exprobrans, quod
Cæsarem sibi demereri neglexisset.
his permotus Herodes, Romam ad
Caium cum Vxore nauigat. id sen-
tiens Agrippa, Romam & ipse Liber-
tum mittit cum literis, quibus Patruũ
apud Cæsarem insimulabat initæ cum
Artabano Parthorum Rege necessi-
tudinis, quo cum occulta consilia agi-
taret: armamentarium ad hæc tanta
armorum copia referssisse, quæ ar-
mandis septuaginta militum millibus
sat esset. appulere simul Puteolos, vbi
Agrip- pa in Hero- dẽ ac- cusatio tùm erat Cæsar, Herodes, & Agrip-
pæ Legatus, à quo cum literas acce-
pisset Caius, his perlectis, interroga-
uit Herodem, vera ne essent, quæ de
armorum copia scribebantur; nega-
re non audentem, quasi de proditio-

ne

ne conuictum, Lugdunum in Galliam ablegauit. Tetrarchiam ipsius, Agrippæ adiunxit. in Herodiadem, quòd Agrippę Soror esset, mitius agere cum decreuisset, donatamque pecunia in Iudæam remitteret; abnuit illa, calamitatem Viri potius, quam Fratris gloriam ferre patiens. enimuerò sapiens rerum æstimator, Herodis pœnam, non tàm simultati cum Agrippa, quàm iniquæ in Ioannem sententiæ, ac contemptui Christi Seruatoris tribuet.

Herodis exilium.

Herodiadis in eum amor.

Chri. Ann. 41. *Act.* 10. Subindè Petrus, diuino monitu, traducto ad Christi Fidem Cornelio cohortis Italicæ Centurione, reliquis Gentilibus aditum ad Ecclesiam reserauit huius Cornelij Domum Cæsareæ in Templum fuisse postmodum versam, suaque adhuc ætate superfuisse Hieronymus tradit. illum verò Cæsareæ Episcopum post Zachæum electum memoriæ proditur. alicubi, sine Authore tamen, traditur Ilij eum Episcopum fuisse.

Cõuersio Cornelij Cẽturionis.

Ep. 27. Martyrolog. 2. Feb.

Petri factum cum improbarent Hebræi, rationem illis reddidit, & diuinum ostentum enarrauit. acquiescentibus cæteris, non acquieuit Cerinthus, eiusque sectatores, quos meritò Fideliũ Ecclesia vt hæreticos damnauit. Hoc eodem anno, ex magis recepta Patrum sententia, omnium Euangelistarum primum Matthæum hebraicè scripsisse Euangelium constat.

Matthæus Euãg. scribit.

stat. quod translatum à se in græcum sermonem Hieronymus tradit. *Hier. de scr. eccl. in Matt. Ios. lib. 18. c. 10.*

Pilatus se ipsũ occidit.

Pilatus interim ærumnis in exilio confectus, sua se manu conficit. Vitellio in administratione Syriæ Petronius subrogatur, iubeturque Cæsaris Statuã ad Colossi magnitudinẽ in sacro Hierosolymorum Templo collocare; id cum perficere, grauissimæ seditionis metu, cunctaretur, impotentis Principis indignationem ita incurrit; vt literas ab eo acceperit, quibus pœnam anticipare, sibique vim inferre iubebatur. prestò fuit homini iusto Deus, qui Tyrannum, antequam grauius aliquid statuere in eum posset, de medio sustulit, sed hęc postmodum accidere. Iudæi, qui Alexandriæ arant, ad idem sacrilegium cogebantur. ergò, quò Caium ab insano consilio, si fieri posset, reuocarent, legationem ad eum adornant; cuius princeps fuit Philo Iudæorum sapientissimus, qui eam scriptis tradidit. Alexandrini vicissim Ciues Appionem Virum disertum ad idem pro se munus obeũdum deligunt, cuius non tam eloquentia, quam proiecta in vanissimum Principem assentatio effecit, vt Iudæorum Legati contemptui haberẽtur, & tantùm non cum iniuria arcerentur. Philo animum ita non despondit, vt suos potius bono esse animo tum maximè iuberet; Deum enim Tyranni vitia diu-

Petronius Syriæ Præses.

Chri. Ann. 42.

Iudæorũ ad Caiũ legatio

tius

tius non passurum, admissi demum auditique in hortis, siue ad Agrippæ, qui tùm Romæ erat, preces, siue ad irrisionem; cur à suilla abstinerent, cur alia pleraque prẽter aliarum Gentium morem agerent, tùm de alijs id genus nugis interrogati, nihil certi ad rem suam retulerunt. constat autem, Philonem iterum Romam venisse sub Claudio, ac cum Petro Apostolo amicitiam contraxisse. vtrum autem (quod quæri ab aliquibus solet) Philo Christiani nominis fuerit studiosus, non est facile ex eius scriptis decernere. sanè de Christianis numquam meminit, quæque de eorum vitæ ratione sub nomine Essæorum tradit, in suæ Gẽtis gloriam scripsisse potius videtur. Cæterum immane quantum hoc tempore Iudæos vbique diuina vltio exagitauerit: præter enim ea, quæ apud Palestinam, quæque apud Ægyptum, ac Romæ perpessi sunt. vna in Vrbe Seleuciæ, conspirantibus in eos Græcis cum Syris, supra quinquaginta ipsorum millia trucidantur.

Hiero. de scr. eccl.

Philonis cũ Petro amicitia.

Diuina in Iudæos vltio.

Ios. lib. 18. c. 12.

Iudaorũ clades.

Chri. Ann. 43. At Caius, cum imperasset annos prope quatuor, coniuratione Ducum, qui Prætorianis militibus præerant, omnium ex voto, non tantùm Hebræorum, extinctus est; quo sublato, per summum fortunæ ludum, Claudius Patruus, contemptui antea à Caio Principe, ac Ciuibus habitus,

Ios. lib. 19. c. 1

Dio. l. 59.

Caligulæ mors.

Claudius Imp.

tus, dum, odio sanguinis, peti se ad necem timet, ac latebras idcircò quæritat, ad summum humanæ fœlicitatis fastigium ab ijsdem militibus rapitur. *Suet. in Caio c. 59.*

Iudæis fauet. inter prima Imperij rudimenta, Agrippam Regem, Fratremque illius, Herodem pariter nuncupatum, donis cumulat, Ditionibus auget. Hebræos, siue in eorum gratiam, siue ingenij mitioris suasu priuilegijs vbique munit, edictis tutatur. Quod ad res pertinet Christianorum, magna hoc tempore facta est ex Gentilibus ad eos accessio, Antiochiæ in primis, vbi Christianorum nomen vsurpari est cæptum. *Act. 11. Ign. ep. 7. Naz. de prof. Christ.*

Christiani nominis initium.

Abagarus. Hoc eodem anno Edessa cum suo Rege Abagaro Christiana suscipit sacra, Thadeo administrante, siue is Apostolus fuerit, vt placet Hieronymo, siue ex LXXII. vt Eusebius tradit. *in Mat c. 10. l. 1. c. 13*

Chri. Ann. 44. *Act. 12 Eus. l. 2. c. 8.* Eodem ferè tempore Agrippa Rex patriæ Religionis obseruantissimus, haud ægrè sibi persuaderi permisit à Christianorum hostibus, vt regia authoritate crescentem eorum numerum, atque existimationem compesceret. *misit itaque manus* (inquit Lucas) *vt affligeret quosdam de Ecclesia. occidit autem Iacobum Fratrẽ Ioannis gladio. videns autem* (pergit sacer Historicus) *quod placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum*, ratus si fun-

Agrippæ persecutio

Iacobi Apost. martyrium.

da-

damenta conuelleret, totum ædificium ruiturum. *oratio autem fiebat ab Ecclesia sine intermissione pro eo*, vtpote communi, ac supremo eius Pastore. neque sanè de alijs Apostolis sollicitam adeò fuisse Ecclesiam legimus. custodiebatur autem Petrus à quatuor quaternionibus militum vinctus catenis duabus, quæ ad Angeli vocem illum excitantis, cecidere de manibus eius, quemadmodum, & ferrea porta vltro patuit. igitur Petrus, sic liber factus, sollicitum de se gregem inuisit. quo autem pacto illæ ipsæ catenæ seruatæ, & quatuor demum post sæcula, Theodosio Iuniore imperante, inuentæ fuerint, suo loco referemus.

Petri carcer

Apud Sur. 1. Aug.

Petri catenæ

Egressus autem Hierosolymis Petrus, perrexit in Phœniciam, indèque Antiochiam, alijs item Vrbibus ex itinere perlustratis, earumque Episcopis consecratis. Consilium iam inierant Apostoli extrà Palestinæ terminos Euangelium disseminandi: igitur Agrippæ eos persecutio impulit ad destinatam profectionem maturandam. porrò ne quod doctrinæ inter ipsos discrimen esset (quamquam omnes vnus Spiritus edocuerat) Fidei summa capita, breuem veluti in formulam coacta, ediderunt, quam *Symbolum* vocarunt. siue quod ipsorum quisque suum veluti symbolum in vnum

Ruff. in præf. ad Symbol. Hier. ep. 61. Aug. serm. 115.

Symbolum Apost.

vnum contulerit, siue quod ea formula symbolum esset, ac veluti tessera Christianorum. Quò verò eorũ quisque profectus sit, quoad licet ex vetustum Patrum monumentis referemus. *Leo ep. 96. Iren l. 3. c. 1. Tert. de præscr. Cipr. de vn. Eccl. Euseb. Chron. Arno. adu. Gent. Lact. l. 4. c. 21*

Apost. diuisio

Petrus

Principiò constat, Petrum Apostolorum Principem post Ecclesiam, vt diximus, Antiochiæ institutam, Romam, Vrbium Principem, accessisse. id cum exploratissimum sit, quidam tamen ex nostri sæculi Nouatoribus, per summam impudentiam, ac contradicendi libidinem, negare ausi sunt. veniisse autem hoc secundo Claudij anno plerique omnes tradunt. quantum verò illi fuerit enitendum, vt noua dogmata imbutis superstitionem mentibus insinuaret, ex odio Populi in Iudæos, quales & Apostoli habebantur, tùm ex vitiotum ea in Vrbe copia, ac veluti colluuie, conijcere vnusquisque potest.

Ioãnes

Ioannem profectum in Asiam, septemque inibi Ecclesias, quas in sua ipse Apocalypsi recenset, instituisse constat; quamquam Ephesios prior Paulus edocuit. porrò Ioannem haud semper ea in Prouincia fuisse, sed alias quoque ad Orientem Regiones peragrasse, exploratum est.

Andreas.

Andream ad Scythas missum tradunt, indeque in Græciam profectum, Patris, Achaiæ Vrbe, Martyrium consummasse.

Phi-

Philippus Asiam superiorem excoluit, Scythiæ quoque partem peragrauit: Hierapoli tandem nonagenarius Martyrium subijt. *Philippus.*

Thomas ad Parthos primum profectus, ad Indos postea penetrauit. *Thomas.*

Bartholomæus, post Maiorem Armeniam Euangelio imbutam, Lycaones, ac citeriores Indos edocuit. *Bartholomæus*

Matthæum ad Æthiopes profectũ, plerique omnes trãdunt. *Matthæus*

Iacobus, qui Minor dictus est, ac Frater Domini (nam Iacobum alterum Agrippæ iussu iam cæsum diximus) Hierosolymorum Episcopus, substitit Hierosolymis. *Iacobus.*

Simon Cananæus, qui Zelotes dictus reperitur, quem Iudam quoque appellatum tradunt, in Mesopotamiam Euangelium detulit, alij addunt in Ægyptum, in Africam, atque adeò in Britanniam, sed nullo veterum testimonio firmant. *Simon.*

Iudas porrò, qui & Thadæus dictus est, & ipse in Mesopotamiam profectus, Arabiã inde petijt, ac Idumæam. *Iudas.*

De Apostolorum rebus præclarè gestis, vix certi aliquid affirmare fas est. multa etenim de his leguntur apocrypha. quid quod etiam commentarij complures eorum cõscripti olim nomine circumferebantur, qui, amissa paulatim fide, periere. *horum numerum, & argumenta ab Authore,*

Licri apochryphi.

qui eos recenset, petere curiosus Lector poterit. neque Apostolis tantùm, alijsque Viris Sanctissimis perditi homines aspidum, vt aiunt, oua supposuerunt, verùm etiam, quod immane dictu est, Christo Seruatori: eiusmodi erat liber de Magia ad Petrum, ac Paulum, de quo Augustinus meminit, ac patentissimi mendacij arguit. quæ de Simone Mago mira Romæ patrata dicuntur, ob quæ Statuam, & diuinos adeptum honores ferunt, Iustini, qui non longè ab eo sæculo abfuit, testimonio comprobantur; & confirmat Irenæus, alijque vetusti Authores. hunc Petri virtute profligatum constat, quod postea sub Nerone accidit.

De cõs. Euãg. l. 1. c. 9

Simon Magus.

Apol. ad Anton. l. 1 c. 20.

Eus. l. 2. c. 12

Act. 11

Annona caritas. Hoc eodem anno maxima annonæ caritas Orbem vniuersum vexauit.

Euseb. chron.

Helena Adiabena Regina. Quo tempore, vt Iosephus tradit, Helena Adiabenorum Regina cum Izate Filio hebræa susceperit sacra, alimentorumque inopiam apud Hierosolymam frumento, ac pecunia subleuauit. Orosius, ac alij ex nostris Christiana illos sacra suscepisse affirmant. & sanè quæ idem addit Iosephus de præcepto Circumcisionis in disquisitionem vocato, hoc ipsum facilè persuadent. Huiusmodi annonæ caritas morem in Ecclesiam inuexit,

Dio. l. 60.

Ios. l. 20. c. 2

Oros. l. 7. c. 6.

Ado. chron.

Collecta. Collectas pro pauperibus indicendi. hinc multi D. Leonis Papæ Sermones

inscri-

inscripti leguntur *pro Collecta*. porrò morem istum laudabilem, Byzātij cum exoleuisset, D. Chrysostomus reuocauit, deque ea re luculentam habuit concionem, quæ autem conferebatur pecunia, in Pupillos, ac Viduas diuidi consueuerat, quod tradit D. Cyprianus: his Iustinus, ac Tertullianus addunt morbosos, naufragos, carceri mancipatos, & his similes.

De op. eleem. *Orat. ad Ant.* *Apol. c. 19.*

Paulus ac Barnabas.

Paulus interim, ac Barnabas cum pecuniam hac ratione collatam Hierosolymam detulissent, reuersi inde Antiochiam, Dei monitu, deferendo ad Gentes Euangelio, à cæteris segregantur, ac consueto ritu consecrati, inter Apostolos recēsentur. *Hìc multa Author refert de Ecclesiasticis Ordinibus, illorumque institutione, distinctione, ac ministerio, docetque Christianos ritus ex Hebræis multos, multos ex Gentilibus laudabiliter in Ecclesiam fuisse translatos, quicquid Ecclesia Hostes oblatrent.*

Sacri Ordines.

Pauli in cælū raptus.

Hoc ipso tempore, inito annorum calculo; Paulum in cælum raptum, affirmandum est.

Petri Cathedra Roma.

Chri. Ann. 45.

Quo tempore Petrus Apostolorum Princeps, Romam haud ita pridem delatus, Cathedram ibidem figit Pontificiam, cuius rei memoria in Ecclesia adhuc recolitur. Sanè Patrum conciones, quas in eius diei celebritatem perorarunt, celeberri-

mum fuisse illius in Ecclesia cultum ostendunt. *Porrò de Romanæ Sedis prærogatiua, ac dignitate, multa ex Patribus hoc loco Author opportunè congerit.*

At quemnam Ecclesiæ Antiochenæ Episcopum Petrus sibi Successorem dixerit (dissidentibus Authorum sententijs) Ignatiumne, an Euodium, haud satis exploratum est; quamquam ipsemet Ignatius dirimere litem videtur, qui sediisse se post Euodium fatetur. Sunt qui putent Euodium à Petro, Ignatium à Paulo institutos, illum vt Iudæis, hunc vt Gentilibus inibi præessent, cum de Circumcisione dissidium non dum esset compositum. cæterùm eo demum veluti distinctionis pariete sublato, alterum loco cessisse, quem Ignatium fuisse affirmant. *Euſ. chron. & hiſt. l. 3. c. 16. Chryſ. de trãſlat. Ignat. Hier. de ſcript. in Ign. & ep. 12.*

Prima Petri epistola. Hoc eodem anno Petrus suam primam Epistolam scripsit Romæ, quam Babilonem appellat. porrò cum in fine illius eos, ad quos datur, Apostolus admoneat, vt salutent se inuicem in osculo pacis; *eruditè admodum Author hìc disserit de huiusmodi consuetudine, etiam apud Romanos vigente.*

Oseulandi mos.

Marcus Euãgelium scribit. Eadem in Epistola vocat Marcum Filium suum, hunc haud ita multo post Alexandrinæ Ecclesiæ præfecit; cæterùm antequam illuc pergeret, Apostolo dictante, Euangelium scripsisse pleri- *Euſeb. chron. & hiſt. l. 2. c. 4*

Hier. de sc. Chrys. hom. 1. in Matt.

plerique tradunt. vtrùm autem latinè, an Græcè, non æquè exploratum est. eorum tamen sententia magis arridet, qui latinè scriptum contendunt. porrò quod Petri interpres Marcus dicatur; *huiusmodi sumpta occasione Autor quærit quid nam esset loqui linguis, quid prophetare.* Illud notatu dignum; hoc ipso anno, quo Roma christianis sacris imbuitur, Claudium, non nisi impellente Numine, multa profana sacrificia abrogasse. mandasse insuper, vt Caij Statuæ tollerentur, ac numismata cum eius Imagine conflarentur. vt qui Statuas in Templis habere voluit vt Deus, neque vt Princeps haberet in Foris.

Quid loqui linguis & prophetare.

Dio. l. 60.

Claudij edicta.

Chri. Ann. 46.

Firmata iam Romana Sede, æquum erat, vt Petrus, cui vniuersi gregis cura erat credita, ad reliquas Orbis Regiones, occidentales præsertim, ad quas Apostoli non peruenerant, animum adijceret. Habuere itaque ab Apostolo institutos Episcopos Sicilia Pancratium, Marcianum, Berillum, ac Philippum: Capua Crispum: Neapolis Asprenatem: Terracina Epaphroditum: Æquicolæ Marcum, alium tamen ab Euangelista: Ptolomęum Nepe: Romulum Fesulæ: Luca Paulinum: Rauenna Apollinarem: Eupropium Verona: Prosdocimum Patauium: Ticinum Syrum:

Creati à Petro Episcopi.

Aquileia, post Marcum Euangelistam, Ermagoram. apud Galliam Lemouicenses, Tolosani, ac Burdegalenses Martialem: Remenses Xistum: Arelatenses Trophimum: Senonenses Sabinianum: Cenomanenses Iulianum: Bituricenses Vrsinum: Aruernenses Austromonium: Sanctonenses Eutropium: Tungrenses, & Colonienses Maternum: Vienna, ac Moguntia, Crescentem: Catalaunum Memmium: reliqua Germania Eucarium, Ægistum, & Marcianum: Hispania Torquatum, Ctheſiphontem, Secundum, Idalterium, Cæcilium, Æsichium, Euphratium, & alios. in Britaniam quoque, Petri opera, Euangelium penetrasse ferunt; haud mirum, cum anno superiore, eam Claudius deuicerit. multa præterea addi possent; verùm quia non æquè explorata sunt, consulto omittimus. quantum verò temporis Petrus tùm Romæ fuerit, receptior ea videtur sententia, vt vsque ad annum eiusdem Claudij nonum, quo, eius edicto, Iudæi Roma sunt pulsi. sed de his infra dicendum erit. Ineunte eodem hoc anno Agrippa Herodes Iudæorum Rex miserando interitu, vermibus consumptus, vita functus est; cũ annos regnasset omninò septem. eius tùm Filius, eiusdem cum Patre nominis, Romæ erat apud Claudium vix pueritiam egressus; proindè

Agrippa mors. *Act. 12. Ios. l. 19. c. 7*

Agrippa Iunior.

indè non statim eum in Regnum remisit, sed Cuspium Fadum illuc cum imperio ablagauit. Herodi Fratri Chalcidis Regi imperiũ in res sacras concessit, quo ille vsus iure, statim summo Pontificatu Matthiæ adempto, alium illi subrogauit.

Chri. Ann. 47. *Act.* 14. 2. *ad Tim.* 3

Paulus, & Barnabas pulsi Antiochia Pisidiæ à Iudæis ægrè ferentibus eos cum Gentilibus versari, accesserunt Iconium Vrbem Lycaoniæ, vbi haud dissimilia, pari de causa, passi sunt, quæ, quia indicata tantùm in sacra Historia, fusè narrantur in Actis Theclæ Virginis, *meritò Author huius Virginis hìc laudes refert ex Patribus, eadẽque Acta Apochrypha à nonnullis habita, ab omni nota vindicat.* Iconio cum recessissent, venerũt Listram eiusdem Prouinciæ Vrbem. ibi, vt supra retulimus, ob miraculum à Paulo perpetratum, habiti pro Dijs sunt. neque hìc stetit superstitio, vel admiratio, *Sacerdos quippè Iouis, qui erat ante Ciuitatem, Tauros, & coronas ante ianuas afferens, volebat sacrificare. quod vbi audierunt Barnabas, & Paulus conscissis tunicis suis exilierunt in turbas clamantes, & dicentes, Viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines.* hæc Lucas. sed enim quàm facilè Populus in diuersa trahatur, hìc planè perspicuum factum est. illi ipsi, qui Apostolos adorandos pau-

S. Thecla.

Chri. Ann. 48. *Act.* 14.

Paulus, ac Barnabas pro Dijs habiti.

lò antè censuerant, ecce tibi ad Iudæorum nescio quorum, qui Iconio, atqne Antiochia venerant, crimina-
Paulus lapidatur. tionem, ex his alterum, hoc est Paulum, lapidibus obruere voluerunt: & sane obruissent, ni eum Discipuli, suorum obiectu corporum, tutati fuissent.

Ad hunc annum refert Eusebius Vir- *Euseb. Cron.*
Deiparæ Assũptio. ginis Deiparæ Assumptionem. *verùm quia de hoc multi aliter sentiunt, eorum sententias licet nullo certiori argumento fultas, sed ex reuelationibus, aut coniecturis petitas suo more Author, relatis Scriptorum verbis, in disquisitionem vocat.* feruntur epistolæ quędam eiusdem Dei Genitricis nomine datæ ad Ignatium vnà cum illius ad Virginem responso. ad Ioannem quoque Euangelistam duæ; sed haud dubiè inter apochripha numerandæ sunt.

Hoc eodem anno Cuspius Fadus Iudææ, vt diximus, Procurator, Iu-
Stola Pontificia. dæis negotium exhibuit super Stola, sacerdotali indumento sanctiori. hanc Herodes in Templo à Pontifice adseruari solitam, Fidei veluti obsidem, inde sublatam, sibi custodiendam duxit in Arce Antonia. eo autem vita functo, Iudæi iterum permissu Vitellij Syriæ Præsidis, receperunt. tunc Fadus eadem, qua Herodes de causa, ab Iudæis renuere non audentibus, extorquere eam voluit, hi ab eodem,

vt liceret Legatos ea super re ad Cæsarem mittere, datis obsidibus, impetrarunt: at quid effecerint, ex Claudij literis, quas placet inserere, satis constabit. sunt autem eiusmodi. *Claudius Cæs. Germ. &c. Hierosolymorum Magistratibus, Senatui, & Populo, totique Iudæorum Genti salutem. Quoniam Agrippa Alumnus meus pijssimus, quem ego domi educo, adduxit ad me vestros Legatos gratias agentes, quod sedulò Genti vestræ prouideam, rogantesque enixè, vt Pontificalem Stolam, & Coronam vobis seruare liceat; concedo quod petitis, quem admodum antea Vir optimus, & mihi amicissimus Vitellius concesserat, vestræque voluntati annuo, primùm motus pietate propria, & quia placet quemque religiosũ esse more suæ Patriæ, deindè, vt gratificer Herodi Regi, & iuniori Aristobulo, quos, & mihi deuotissimos noui, & vestri studiosissimos, meritòque illorum amicitiam plurimi facio, scripsi autem de hac re & Cuspio Fado Procuratori meo.* hactenus Claudius. *Claudij literæ.*

Chri. Ann. 49. Peracto longioris peregrinationis cursu Paulus, ac Barnabas reuersi sunt Antiochiam Syriæ, ibique narrarũt Ecclesiæ quanta Dèus in Gentibus operatus esset, quibus aperuisset ostium Fidei.

Ann. l. 11. Claudius interim Cæsar, quod externæ (vt ait Tacitus, haud dubiè

Christianam Religionem notans) superstitiones inualescerent, vetustissimam Aruspicum disciplinam restituendam curauit.

Herodis Agrippæ fratris obitus. Subindè Herodes Rex Chalcidis, Agrippæ Frater, quem Claudius in suis literis amicissimum sibi esse profitetur, moritur: eius Regnum Iuniori Agrippæ attribuitur. Chri. Ann. 50.

Iudæorũ tumultus. Res interim accidit memorabilis. die quarta Paschalis Festi Miles quidam Romanus, ex his, qui prò Templo erant, frequentissimo inibi Populo, per contemptum, nudata ostendit genitalia. ea re Populus commotus, tumultu excitato Cumanum Ducem conuicijs incessebat, nec videbatur ab iniuria temperaturus. tùm Cumanus iussit milites in Antoniam instructo agmine se recipere. Populus ratus se ad necem peti, ita promiscuè, ac veluti conglobatim per angusta viarum se proripuit, vt mutuo impulsu proculcati, ac triti, mortalium ad viginti millia interierint. ex his autem, qui eo in tumultu aufugerant, quidam, agmine facto, Stephanum Cęsaris Seruum centeno circiter ab Vrbe stadio hostiliter diripiunt. hoc nunciato, Cumanus mittit, qui iniuriam vtcumque vlciscantur, & obuium quemque viciſſim cædant, ac proximos diripiant Vicos. hoc dum peragunt, Miles quidam libros Mosaicos

inuen-

inuentos protulit, lacerauitque, multis insuper in Legem, ac Gentem conuicijs iactatis. id vbi rescitum est, Iudæi magno numero, Cæsaræam, quò se Cumanus receperat, petunt, instantque apud eum vehementius, vt, iniuriam illatam Deo, vlciscatur. Cumanus veritus maiores turbas, suadentibus præterea Amicis, Legis violatorem Militem securi percussit. alia prætereà haud leuiora patrata sunt, faces subdente Cumano: arsissetque iam tum bello Prouincia, ni Quadratus, Syriæ Rector, præstò fuisset. ab eo supplicium de seditiosis sumptum, Cumanus quoque damnatus; Claudius etenim ius ei statuendi de Procuratoribus etiam dederat. Fœlix, qui & ipse Procurator erat, & Samariam administrabat, non indemnatus modo abijt, sed inter Iudices sedere est iussus. siuè quòd insons esset, seu verius, quòd Frater esset Pallantis Liberti in primis apud Cæsarem gratiosi.

Tacit. l. 12.

Chri. Ann. 51. *Suet. in Cl. c. 21. Oros. l. 7. c. 6. Act. 15.*

Claudius post hæc Iudæos assiduè tumultuantes (haud dubiè aduersus Christianos) Vrbe expulit. Excessisse autem Roma etiam Petrum, & Hierosolymam petijsse constat. ibi coacto Concilio ad componendas obortas dissensiones, præfuit. interfuere autem ex Apostolis cum Petro, Iacobus, Ioannes, Paulus, & Barnabas. eo in Concilio abrogatum est Circum-

Iudæi Vrbe pulsi.

Concilium Apostolorum.

cumcisionis præceptum, permisumque vesci animalibus omnis generis nulla mundi, aut immundi habita ratione. mirum tamen, etiam tùm à primordijs ipsius Ecclesiæ visum est, cur non item præceptum abstinentiæ à sanguine animantium, sit antiquatum; quin potius expressè cautum, suadente Iacobo, à suffocato, & sanguine abstinendum esse. hoc ita absurdum visum est, vt ex antiquioribus Patribus quidam putarint abstinentiam iniunctam à sanguine intelligendam esse de abstinentia ab humano sanguine effundendo, verbum autem additum *(& suffocato)* esse suppositium, & ex Apostolorum præcepto nequaquam appositum. verum re accuratius perpensa, ex receptiori Patrum sententia statuendum est, re vera fuisse tum cautum, vt non solum à fornicatione, & Idololatria abstinere quisque deberet, verum etiam, retento Moysis præcepto, à sanguine, & suffocato; hoc est ab animantium sanguine tàm effuso, quàm ex suffocatione in ipsis animantibus residente. id autem ea ratione cautum, ne, abrogata Circumcisione, & alijs, ex præceptis Legis, Iudæi scandalum paterentur, & à Christi Fide omnino abhorrerent. quod docet in primis Augustinus, elegantique comparatione, de duobus parietibus vnum in angulum

Iren. l. 3. c. 12
Tertull. de pudic. c. 12.
Cipr. ad Quir. lib. 3. in fin.
Cont. faust. lib. 32. c. 13.

lum coëuntibus, declarat. adeò autem Apostolos hæc cura coquebat, ne, ex abrogatione legis, & consuetudine cum Gentibus, & veluti indulgentia in illos, offenderentur Iudæi; vt Petrus ab eo Concilio Antiochiam cum venisset, nescio qua simulatione, consuetudinem cum Gentilibus deuitaret. quod à Luca in Apostolorum Actis prætermissum, Paulus his verbis docet. *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, restiti ei in faciē, quia reprahensibilis erat. prius enim. quàm venirent quidam à Iacobo. cum Gentibus edebat, cum autē venissent, subtrahebat, & segregabat se timēs eos, qui ex circumcisione erant.* quo pacto autem Paulus à procacitatis, Petrus à simulationis culpa vindicentur, non est ex nostro instituto recensere. Sanè hic locus adeò est scaber, vt neque Augustinus, ne dùm alij inferioris notæ Scriptores inoffenso eum pede pertransierit. hac de causa inter ipsum, ac Hieronymum, vltrò citròque datis literis, magna contentione certatum est.

Ad Gal. 2.

Cōtencio Petri, ac Pauli.

Cōtentio Hieronymi, & Augustini.

Act. 15. His Antiochiæ peractis, Paulus, ac Barnabas reuisere decreuerunt Ciuitates, in quibus verbum Dei prædicauerant. hìc alia inter Paulum, ac Barnabam orta contentio est; volente Hoc secum adducere Ioannem cognominatum Marcum, Paulo autem re-

negante recipi debere, cum antea renuisset *cum ipsis* (vt ait) *in opus ire*. ea de causa Paulus, & Barnabas seorsim discesserunt; Hoc quidem adducente secum Marcum, illo verò, Silam. hìc quoque videnda essent, quæ Patres afferunt, Chrysostomus in primis, vt vtrumque Apostolum ab omnis suspicione culpę immunes doceāt. *Peruenit autem Paulus* (inquit Lucas) *in Derbem, & Listram, & ecce Discipulus quidam, qui erat ibi nomine Timotheus Filius Vidua fidelis, Patre Gē. tili, hunc voluit Paulus secū proficisci, & assumens circumcidit eum propter Iudæos.* quis non miretur Paulum, qui tantoperè de abroganda circūcisione laborauit, quique Petrum paulò antè simulationis hac ipsa de causa visus est arguere, in eandem nunc simulationis notam sponte impingere? huius tamen rei rationem reddunt inter alios Chrisostomus, & Augustinus, quos require. Post hæc Paulus per visionem (vt ait Lucas, qui per idem tempus ei socius accesserat) monitus, profectus est in Macedoniam, moratusque Philippis eius Prouinciæ Vrbe, virgis inibi cum socio Sila Magristatuum iussu cæsus, carceri addictus est. cum autem intempesta nocte orarent ambo, terræmotu facto, carcer apertus est, quo animaduerso carceris Custos voluit seipsum occidere,

Timotheus.

Paulus virgis cadiatur.

Hom. 34. in Act. *Act. 16.* *Hom. 34. in act. De mend. ad Co. sent.* 5. *Act. 16.*

dere, existimans vinctos aufugisse, inhibitus autem à Paulo, qui in carcere perstiterat, diuino instinctu vna cum familia Christi Fidem suscepit, *lauitque* (inquit Lucas) *plagas eorum, & baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuò*. cum autē Magistratus mandassent eos dimitti, tùm demùm Paulus Ciuem se Romanum professus est. abijtque Thessalonicam, vbi post multos ad Christi Fidem perductos, à Iudæis quasi seditionum Author accusatus, quæsituque ad pœnam, aufugere coactus est. *Act.* 17. 1. *ad Thes.* 2.

Paulus Athenis.

Ea ex fuga Barœam se contulit, indeque Athenas, vbi, in ipso Areopago, causam dicere iussus, opportuno sumpto argumento doctissimè perorauit. inter alios quos Christo Athenis adiunxit, fuit Dionysius Areopagita, de quo alibi erit sermo. *Porrò, quæ hìc fusè, ac eruditè tradit Author de Areopago, deque Ignoto Deo, ex eo pete.* Chri. Ann. 52.

Dionysius Areopagita.

Ars scenofactoria.

Athenis Corinthum profectus, perstitit ea in Vrbe sexquiannum: ibi (quod & alibi fecisse constat, & fateri ipse non erubescit) scenofactoria arte, ne Fidelibus grauis esset, victum sibi comparare consueuit. erat autem ars hæc consuendi pelles ad tabernacula militaria: huiusmodi enim tunc materia, vt habemus ex Tacito, tentoria constabant. hìc verò cum Iudæos ad Christi Fidem incassum diutius hortatus *Act.* 18. *lib.* 13.

tatus esset, excutiens, de more, vestimenta sua. ad Gentiles animum adiecit. quamuis autem Lucas (forte tunc absens) Pauli gesta Corinthi paucis perstringat, multa illum scitu digna, atque admiranda operatum esse, par est credere: ipse in suis sanè epistolis ad Corinthios postea datis, meminit de signis, prodigijs, & virtutibus.

Claudius Neronem adoptat.

Extincta sub idem tempus Messallina, Claudius, omine haudquaquam meliori, Agrippinam ex Germanico Fratre Neptem, Vxorem ducit, Filiumque ipsius Domitium, qui Nero dictus est, malo suo, atque Orbis fato, adoptat.

Corinthi moram adhuc trahens Paulus, alteram ad Thessalonicenses dedit epistolam, cum primam indidem superiori ad eos anno dedisset. in hac cum Apostolus Thessalonicenses hortetur ad tenendas traditiones, quas didicerant siuè per sermonem. siuè per epistolam; *appositè Author multa, etiam ex Profanis, disputat de Traditionibus, & Lege nõ scripta contra Nouatores, qui nisi Verbo Dei scripto fidem habendã negant, quo dogmate Ecclesiæ præcepta, ac Sacramẽta, sacrasque omnes cæremonias, cõuellunt.* Chri. Ann. 53.

Hoc tempore L. Iunius Gallio, Annæi Senecæ germanus Frater, Prouinciam Achaiæ Proconsul regebat; ad eius Tribunal adductum Paulum Iudæi

dæi acrius cum accusarent, eos repulit, professus de eorum quæstionibus, ac Religione nolle cognoscere.

Chri. Ann. 54. *Act.* 15. & 19. *Gal.* 4. Tum Corinthijs, Apostolus, valere iussis, Ephesum venit, dein Cæsaræam Palestinæ, mox Antiochiam; & vestigia veluti relegens, Galatia, ac Phrygia anni ferè spatio peragratis, iterum Ephesum accessit; à Galatis, vt ipse testatum reliquit, summa cum charitate, sicut Angelus Dei exceptus est, haud dubiè etiam ab alijs.

Euſ. in Chron. Interim Philippus Apostolus Hierapoli Asiæ Vrbe, Cruci affixus, lapidibus obruitur. *Philippi Apostoli martyrium.*

lib. 12. Hoc anno, vt ait Tacitus, S.C. Italia pulsi Mathematici, inuisum Principibus genus hominum; ea autem id factum de causa, quod Iunius Scribonianus mortem Principis per eos scrutatus esset. *Mathematici Italia pulsi.*

Chri. Ann. 55. *Act.* 19. Ephesum Apostolus secundò cum veniisset, triennio ibidem substitit virtutes interim admirandas operatus; *ita vt etiã super languidos deferrẽtur à corpore eius sudaria, & semicinctia, & recedebãt ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur.* vides hìc cultum sacrarum Reliquiarum in Ecclesia receptum, miraculis comprobatum, & ab Euangelistis testatum; requicquid Nouatores obloquantur sequuti Eunomium, ac Vigilantium eadem antea pice inquinatos. *Cultus sacrarũ reliquiarum.* *hìc Autho-*

thorem ipsum consule de sacrarum reliquarum cultu, data occasione, fusius differentem. Antequam Paulus Ephe- Chri.
so recederet, Iudæi quidam, inter quos Ann.
Scæuæ Principis Sacerdotum Filij, siuè 56.
ad lucrum, siuè ad gloriam, existima- *Act.* 19
runt posse se in Christi nomine, quem
Paulus predicabat, malos Dæmones
ab obsessis pellere; experimento fa-
cto, audiuerunt à Dæmone, *Iesum*
noui, & Paulum scio, vos autem qui
estis? tum ab obsesso, qui in eos to-
tis viribus insiluit, male mulctati, se-
mineces abierunt. consueuisse autem
apud Hebræos Principis Sacerdotum
Filios Exorcistas agere ex arcanis qui-
busdam Salomonis Regis præceptio-
nibus, tradit Iosephus, qui huius rei *Lib.* 8.
experimentum insigne se vidisse ait, *c.* 2. &
cum quidam Eleazarus coram Vespa- *de Bell.*
siano Principe, ac Filijs hoc factitaret. *lib.* 7.

Vsus exorcismi. *quod verò ad exorcismorum vsum spe-* *c.* 25.
ctat, multa Author de more hùc congerit. equidem vsu olim in Ecclesia re-
ceptum constat, vt omnes tàm adul-
ti, quàm infantes, exorcismis ad abi-
gendum, si non ex corpore, saltem
ex animo Dæmonem, purgarentur,
cuius ritus aliquod adhuc in Ecclesia
supereſt vestigium. quoniam verò hic
Lucas subdit, ex Filiorum Scæuæ ca-
su, non solum Iudæos, ac Gentiles
IESV nomen præconijs extulisse, *sed*
etiam multos credentium venisse confi-

tentes,

tentes, & annunciantes actus suos; Author pluribus de more probat antiquissimum in Ecclesia vsum sacræ Confessionis fuisse, multa ex Patribus doctissimè afferens apud eum legenda. Multi autem (subdit Lucas) *ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* haud dubiè Magicos libros eorum, qui quęstum exorcismis faciebant. huiusmodi librorum vsu fuisse olim omnibus, tàm apud Romanos, quàm apud Græcos interdictum, apud Scriptores, & Legum Peritos passim legere vnusquisque potest, quemadmodum etiam morem antiquum fuisse eos publicè comburendi, quod de omnibus alijs, vtcumque improbatæ lectionis, libris factum constat.

Vsus confessionis.

Magici libri

Ad l. Corn. de Sicar. & Venef. l. 4. ff. fam. herciſc. Cic. de nat. Deo. l. 1.

Tertio Idus octobris moritur Claudius ætatis anno LXIV. Principatus Paulò minùs XIV. Agrippinæ Vxoris dolo veneno ei propinato. quo sublato, Nero eiusdem Agrippinæ Filius Imperium capessit, annũ agens XVIII. tenuitque totidem ferè annis, ac Vitricus. perijt vna cum Claudio edictum, aduersus Iudæos, ne in Vrbe agerent, promulgatum; quo & Christiani pulsi fuerãt. visus est nouus Princeps initio in Hebræos propensior; itaquè illis in Vrbem redeundi potestatem fecit, & Regem Agrippam quatuor in Galilea Vrbibus donauit.

Claudij mors Nero Imp.

Eiuſ-

Eiusdem Agrippinæ dolo, inscio Filio, Iunius Sillanus Asiæ Proconsul veneno sublatus est, itemque Narcissus Claudij Libertus, qui apud illum primum gratiæ locum tenuerat, opesque indè maximas congesserat; quod Pallanti ideò tunc quidem non contigit, quòd ipsius Agrippinæ cum Claudio nuptias conciliasset, ex quibus Nero ad Imperium euectus. *Tacit. l. 13. Dio. l. 6. in fin.*

Paulus cum tertium iàm annum Ephesi ageret, veniendi Romam consilium inijt. antequam illinc discederet scripsit primam ad Corinthios epistolam ea occasione, quod resciisset contentiones inter illos ortas; Apollo enim Vir eloquens, qui apud eos substiterat, licet eundem Christum prædicaret, apud quosdam Paulo ipso potior est habitus, ita vt quidam se Pauli, quidam Apollo, quidam autem Cephæ, quidem etiam Christi sese esse pueriliter gloriarentur. hìc animaduertendũ existimo, eos, qui se Petri, àut Christi esse iactarent, non ideò id dixisse, quòd à Petro, qui Corinthi non fuerat, vel à Christo dum viueret, edocti fuissent, sed potius ad euitandam veluti scissuram illam, quasi hoc pacto tutius loquentes, si se summi omnium Pastoris, aut verò etiam adhuc tutius si se summi doctrinę Authoris Discipulos profiterentur. quod autem Paulus succensens homini incesti

Chri. Ann. 57.

Pauli epistol. prima ad Corint.

1. ad Cor. 1.

1. ad Cor. 4.

1. *ad* Cor. 1. cesti comperto, tradere se illum Satanæ comminetur, hinc vsum excommunicandi in Ecclesiam receptum Patres affirmant. *porrò de excommunicationis vsu, ac ritu etiã apud veteres Hebræos, ac Gentiles, ex profanis eruditè admodum differentẽ Authorem consule.* sanè apud Gallos his, qui Druidarum decretis non paruissent, sacris interdicebatur. apud Romanos Diti, aut Diris, si qui deuouebantur, poterant impunè occidi. cæterùm non est ignorandum, non nisi in publicè peccantes, & contumaces excommunicationis pœnam infligi consueuisse. *Excõmunicationis vsus.*

Cãs. de Bell. Gall. lib. 6. Dion. Alic. l. 2.

Hìc Author multa pari eruditione subnectit de iudiciaria Sacerdotibus (Episcopis in primis) à Deo collata potestate. quæ Sacerdotũ auctoritas apud Hebræos, ac Gentiles quoque fuit omni ævo maxima, vt multorum testimonio probat. *Sacerdotij dignitas, & potestas.*

1. Cor. 7. iam quòd Corinthij per epistolam Paulum consuluissent, liceret ne studio, aut prætextu continentiæ, Vxores dimittere, aut castè cum eisdem viuere; respondit non licere nisi ex consensu coniugis, aliaque addit ad matrimonij leges, siuè ad castitatem pertinentia. multa verò illis Apostolum indulsisse, haud mirum; erant enim Corinthij salacissimi, vt testantur quicumque de ipsis Scriptores meminerunt: argumento sit, quod de illis tradit Strabo his verbis. *Fanum* *Leges coniugales.*

Vene-

Veneris Tẽplum Corinthi.

Veneris Corinthi ita fuit locuples, vt plures quam mille sacrorum famulas habuerit Meretrices; quas Viri, ac Mulieres Deæ dedicarunt. infanda, autem eius sacra de quibus Herodotus, & alij; non est nostrum recensere. *multa hìc Author addit ex Profanis aquè, ac sacris Scriptoribus de ritu nuptiarum, deque sponsali annulo: de Virginitatis laudibus, ac Pauli cœlibatu, quæ ex instituto prætermittimus, apud eum omninò legenda.* Annulum porrò, non in nuptijs modò loco arrhæ, sed in omnibus alijs pactionibus dari vsu antiquissimo consueuisse, habemus in Sacra Genesi, & tradit inter alios ex profanis Plinius.

Herodot. in Clio.

Ritus nuptiarum.

Gen. 38.

lib 33. cap. 2.

Pergit verò Paulus monere Corinthios, ne qui ex Iudæis vocati sunt, præputium curent adducere, quasi Circumcisionem damnantes, neque qui ex Gentibus, curent circumcidi, quasi ad salutem id requiratur. *hic nonnulla apud Authorem leges de Circumcisione, deque arte quadam, & absurdo quorumdam more præputium iterum post Circumcisionem inducendi, nè à Gentilibus, ad quos descissent, dignoscerentur.* legem quoque Apostolus promulgat de alendis ijs, qui Euangeliũ annuncient. *qua sumpta occasione his quæ supra de Collectis tradiderat, alia quædam Author addit de huiusmodi pro sacris Ministris obla-*

1. Cor. 9.

1. Cor.

Plaut. in Stico. Cic. de nat. Deo. l. 3. Xenoph. in Ciro l. 5.

oblationibus, ac de Decimis offerendis, quarum vsum apud omnes Nationes antiquissimum fuisse contendit. Decimæ. Fuisse quidem tùm profusas Christianorum largitiones ex eo constat, quod non solùm Clerici ex his victitarent, sed multi etiam pauperes, in quos eas Clerici diuidebant. donaria etiam iam tum Ecclesijs magni precij conferebantur, ita vt non modo sacra vasa, sed lucernæ quoq. essent argenteæ, & hæc quidem glisccntibus persecutionum tempestatibus. reddita verò Ecclesiæ pace, & regnantibus iam Christianis Principibus, siue ipsorum Principum, siue priuatorum hominum liberalitate, immanè quantum in Ecclesias, earumque Ministros huiusmodi creuerint largitiones.

Cum his, quas diximus, legibus Corinthios Paulus imbuisset, de Mulieribus illud statuit, vt non nisi velato capite, in Ecclesiam conuenirent. Morem hunc non tàm nouum inuexit, quàm antiquatum restituit: vt videre licet apud Valerium Maximum, Tertullianum, & alios. *de velo autem, quo peculiariter Deo dicatæ Virgines tegebantur, dequè velandi, ac tondendi more, aliqua hìc Author tradit, fusius à se tradita affirmans in notationibus ad Romanũ Martyrologium. addit etiam quædam de virili indumento, ac calceis, scitu non iniucũda.* *Velum mulierbre.* *Mos velandi, & tondendi.*

Val. l. 6. c. 3. Tert. de coron. Plut. Apopht.

ex ijsdem Pauli præceptionibus haud ægrè colligimus, iam tùm apud Christianos Tẽpla extrui cępta, cum antea in cœnaculis priuatarum æditum conuenirent. Romæ quidem Pudentis Senatoris à Principe Apostolorum Petro ad Christi Fidem perducti domum in Templum ad sacra obeunda fuisse conuersam exploratum est, quemadmodum, & Eutrepiæ Matronæ domum. itaque ab Euaristo, qui quintus à Petro Ecclesiã rexit, Templa Presbyteris sunt diuisa: Cornelij verò temporibus numerabantur ex his Romæ XLVI. quod mirum, cum Principum edicta, Iudicum sententiæ, delatorum metus, intẽtata supplicia, vndique vrgerent. creuisse adhuc eorum numerum par est credere, non Romæ modò, sed alijs quoque in Vrbibus, donec Diocletiani, ac Collegæ iussu cuncta Orbe toto sunt diruta; ex quorum ruderibus, Constantino deindè Principe, alia haud paulò sumptuosiora extructa sunt. His olim in Templis aquam habebant Christiani ad manus abluendas more Iudæorum. abrogato post modum hoc more, vsu receptum est, iubente Alexandro Pontifice, vt Templum adeuntes leuiter tantum sese adspergerent aqua ad Sacerdotis preces sanctitatem adepta, qui mos alias postea in Vrbes dimanauit. quò verò ad Templorum ornatum,

Clem. Alex. pedag. l. 2. c. 10.

Aqua benedicta.

multa

multa Author refert de Crucis, deque Christi, aliorumque Sanctorum Virorum imaginibus in eis sculpi, aut pingi solitis. Sacr. Imagines in Tẽplis.

Non autem est prætermittendum, quod ex ijsdem Pauli præceptionibus habemus, Fideles ad Christi Domini imitationem simul cænare ipsis in Templis tùm consueuisse, simulque sacram Eucharistiam percipere, itaque duplex mensa parabatur, in vtraque quid pręstandum, quid vitandum Apostolus docet: verùm quia per Epistolam non omnia tradere fas erat, *cætera* (inquit) *cum venero disponam*. quæ nam autem hac de re postea disposuerit, quemadmodum certi aliquid affirmare non possumus, ita conijcere facilè licet fuisse ea, quæ deinceps Ecclesia continenter seruauit ex antiqua Pauli aliorumque Apostolorum traditione. *Hac sumpta occasione multa Author ex Patribus affert de Sacrosancta Eucharistiæ vsu, deque incruento Christi Sacrificio, quæ hic, breuitatem professi, inuiti cogimur præterire.* duplex mensa. Eucharestiæ vsus.

claudit epistolam Paulus *Anathema* his dicens qui Christum non diligerent; quem morem sequuti sunt Patres in Concilijs. est autem *Anathema* ambiguum verbum: quandòque enim significat votiuum aliquid Deo dicatum, eiusque in honorem à rebus cæteris seiunctum; aliquando, idque apud nos frequentius, idem est, ac

1. Cor. 16. Anathema quid.

maledictum, diriſque deuotum.

Sed iam Epheſum reuertamur. erat ea in Vrbe Argentarius, qui votiuas imagines Dianæ in Templo (vt tùm etiam moris erat) dedicandas conflabat. Huic neglectus Dianæ, ex Pauli prædicatione, artis contemptum, ac lucri in primis decrementum in dies magis afferebat. Is ergo alijs eiuſdem artis Opificibus, neque ijs tantùm, ſed vniuerſo in Paulum, ac Socios, Populo incitato, tumultũ longè maximum excitauit; quo Caius, atque Ariſtarchus Pauli Aſſeclæ è Theatro rapti, Paulus ipſe ad necem quæſitus, ægrè inſanientis Populi manus effugit. erat autem Dianæ Templum Epheſi vnum ex ſeptem Orbis Miraculis, vt tradit Plinius, ducentis, ſiue, vt idem alibi, quadringentis viginti annis, Regum, ac Populorum certamine ædificatum, longitudinis CCCCXXV. pedum, latitudinis CCXX. columnæ CXXVII. à ſingulis Regibus factæ LX. pedum altitudine: in his XXXVI. cælatæ. Simulacrum Deæ ex ebeno, ſeu, vt alij tradunt, vitigineum. cæterùm tantæ molis Opus ſepties ante hæc tempora aut collapſum, aut incenſum, ac reſtitutum, ſub Gallieno demum funditus à Gothis euerſum eſt. Poſt quam autem tumultus reſedit, Paulus Diſcipulis Epheſi valere iuſſis, in Macedoniam ſoluit, relicto ibi Timotheo,

Diana Fanũ Epheſi

Plin. l. 36. c. 14.

Act. 20.

ad

ad quem per idem tempus primam dedit Epistolam. instituerat autem illum, ante discessum, Ephesi Episcopum; ergò eadem in Epistola, quod & prius coram feciſſe par est credere, ad Episcopalia illum munera instruit, ac informat. præcauere insuper illum iubet Hæreticorum dolos, quorum quidam, sub boni specie, vt diuinitùs præsentiebat, damnaturi erant connubia, & cibos, quos Deus creauit, reprobaturi. *qua occasſione Author, de more, eruditam instituit disputationem de cælibatu, deque ciborum delectu, ac abstinentia: de quadragesimali, & quatuor anni temporum ieiunio, aliisque ex Apostolica institutione seruari solitis. probatque catholicam Ecclesiam ita Virginitatem commendare, vt non damnet connubia: ita nullum ciborum genus respuere, vt laudabiliter certis temporibus quorundam vsum inhibeat;* quæ quidem dogmata longè alia sunt ab ijs, de quibus innuit Paulus, quæque postea, ex eius prædictione, effuderunt Enchratitæ, Marcionitæ, Manichæi, Saturninij, alijque Apostolicæ, ac sinceræ Fidei desertores. *Cælibatus, Ieiuniũ.*

Act. 20. *Tit.* 1. At Paulus è Macedonia discedens, Cretam appulit, ibique Titum Episcopum institutum reliquit, & in Græciam regressus, eundem illùc per literas aduocauit. *Titus Cretæ Epis.*

Neronis primum scelus.

At Nero Cæsar Britannicum Claudij, ex Messallina, Filium veneno sustulit, quo facinore, hactenus non malus Princeps, viam sibi ad omnia deinceps scelera aperuit. *Tac. l. 13.*

In ea, quam Paulus ad Titum dedit, Epistola, ideò se ea in Insula illum reliquisse testatur, vt constitueret per Ciuitates Presbyteros: docetque eum quales esse deberent. fuere non nulli, qui Episcopos, & Presbyteros nomine tantùm differre contenderēt, *at enim Author multis docet argumentis, & re, & nomine discrepare.* quod verò Presbyteros vnius Vxoris Viros esse velit, haud mirū, non enim facilè erat cælibes apud Gentiles tùm reperire, præsertim apud Cretam, vbi antiquis legibus cælibatus vetabatur. quamobrem & ad Timotheum Ephesi Episcopum scribens hoc idem monet, ideò autem addit; *Filios habentes fideles non in accusatione luxuria, aut non subditos*, quòd turpissimus inibi mos esset Pueros adamandi, ac retinendi, adeò, vt liceret eos etiam Patribus rapere, ac per bimestre apud se habere, donatosque demum remittere, hocque laudi potius dari, quam probro, etiam illustri genere ortis, ità vt vestes ab Amatoribus splēdidiores donatas per summam lasciuiam licentius ostentarent: quæ ad Pauli sensum aperiendum, licet non sine rubore,

Chri. Ann. 58.

De Episc. & Præsbyteris.

Mos Cretēsiū turpissimus.

Strab. l. 20.

Tit. 1.

Strab. ibid.

ac

ac stomacho attulimus. cæterùm vnius Vxoris Viros Apostolus Presbyteros, & Episcopos esse præcipit, non vt excludat cælibes, sed bigamos: neque ex bigamis eos tantùm, qui plures simul Vxores haberent, hoc enim omnibus Fidelibus, non tantùm Presbyteris vetabatur, imò & Gentilibus, certè apud Græcos, apud quos, Athenienses dumtaxat, occasione exhaustæ belli cladibus Iuuentutis poligamìam aliquando admisisse reperimus. Apostoli itaque sententia ea est, vt Presbyteri, qui vxorati ad illum ordinem assumuntur, vxore demortua, aliam nequaquam superinducant. castè insuper cum Vxoribus tùm Presbyteros. atque Episcopos permansisse explorantissimũ est, adeò, vt neque Vigilantius impurissimus cęlibatus infectator hoc inficiari sit ausus. huiusmodi autem thori coniugalis separatio, non ex volũtaria tantùm pietate contingebat, sed ex lege, quamobrem, si qui, ex his, liberis dare operam comperti fuissent, non secus, ac adulteri puniebantur, gradu certè deijciebantur. Hoc eodem ex Pauli præcepto, & consueto deinceps in Ecclesia more constat, eos etiam in Presbyteros assumi vetitum, qui duas habuissent successiuè Vxores, aut etiã vnam tantùm, sed Viduam. quod ideò factum putandum est, quia hoc ipsum

Polygamia.

Hier. in Vig. l. 1.

Sacerdotum calibatus.

Conc. Elib. can. 33.

Conc. Arelat. 2. c. 2.

de Sacerdotibus olim Hebræorum, imò etiam Gentilium erat cautum; ne quid laudis, ab his minus, Christiani Sacerdotes haberent. diximus autem alibi, multa Apostolos, ex his, quæ ad morum institutionem spectant, ex Synagoga in Ecclesiam cum fœnore transtulisse. *Leuit. 21. Hier. ep. 11. Tert. ad Vx. & de monogam. c. 10.*

Euangelium conscripserant Matthæus, ac Marcus, vt antea innuimus; verùm quod ille hebraicè, hic latinè; par erat, vt græcè quoque scriberetur: id aggressus est Lucas hoc anno, Paulo & suadente, & adnitente.

Lucas Euangelium scribit.

Hoc eodem tempore Paulus, cum Nicopoli esset, secundam ad Corinthios dedit Epistolam, in qua, inter cætera, catalogum suarum ærumnarum texit, quas Lucas in actis Apostolicis fermè prætersit. quod autem noctè, & die in profundo maris fuisse se dicit, vel de horribili aliqua tempestate, qua nocte, ac die iactatus fuerit intelligendum est, vel, vt quidam putant, de carcere quodam Cizici profundissimo. *cum quinquies quadragenas vna minus*, se accepisse ait, illud erat genus animaduersionis apud Hebræos, quo vndequadraginta verbera infligebantur. iam tum tertiò se naufragium feciisse testatur. ad hæc quartum, multos post annos, passus est apud Melitam, de quo tantùm meminit Lucas, vt nemo inficiari possit, *2. Cor. 11. Bed. l. quæst. q. 9. tit. 3. Act. 27.*

Pauli ærũna.

multa

multa ab Euangelista in Act. Apost. historia fuisse prætermissa.

Antequàm Paulus in Macedoniam rediret, Cenchreas (quod est Nauale Corinthiorum) appulit, ibi cum esset, Epistolam ad Romanos scripsit. *Antequam autem Paulum Hierosolymam reuerentem Author deducat, multa ex Iosepho tradit de infelici tùm temporis Iudæorum statu ob Præsidum auaritiam, latronum incursus, & Ciuium factiones, quæ præludia veluti quædam fuere miserandi Hierosolymorum excidij. multa etiam de cereis, ac lampadibus in Templis accendi solitis sumpta ex his, quæ* Act. 20. *Lucas tradit accidisse Troade, occasione; cum insuper Lucas dicat Paulum festinasse Hierosolymam vt solemnitatem ibi ageret Pentecostes, Author de legalibus Festis iam tùm abrogari cœptis, deque immutato die Paschæ, aliisque Christianis Festis, tùm de precibus tàm in Ecclesia, quàm extra eam procedendo, (vnde Processiones) de tintinnabulis item ad Populum excitandum, cogendumque fusè disserit, ac in primis eruditè.* Troade autem discedens Paulus multis in Vrbibus, ex itinere, Fidelibus sacra doctrina recreatis, venit Cæsaream, inque Philippi domum, qui vnus erat ex septem Diaconis ab Apostolis institutis, se recepit. *huic* (inquit Lucas)

Cereorũ, ac lampadarũ in Tẽplis vsus.

Christiana festa.

erant quatuor filiæ Virgines prophetantes. moratus autem ibi dies aliquot Hierosolymam perrexit obnitentibus Discipulis, quòd ex Propheta quodam Agabo audissent, vincula ei inibi intentari. eò cum peruenisset, exceptus est à Fratribus perbenignè: cognouit autem ex eis malè se apud omnes audire, quòd Circumcisionis præceptum, aliaque ex legalibus institutis abrogasset. proindè monebant, sanctificaret se more maiorum, & cognoscerent Iudæi falsa de ipso fuisse vulgata; morem illis gessit Apostolus, & postridiè purificatus Templum iniit. ritus autem huiusmodi purificationis fuit abstinere à vino, caput radere, &, finito tempore ouem, agnum, ac arietem offerre, crinemque cum hostijs concremare. ex hoc, qui Nazaræorum erat ritus, mos item apud Christianos inoleuit, vt qui à vulgari aliorum vitæ consuetudine recederent, caput abraderent. consueuerunt autem apud nos Clerici, ac Monachi non integrum caput radere, ne iudaizare omninò viderentur, aut Isidis, Serapidisue, aut alios, apud Gentiles, Sacrificulos imitari viderentur. cæterum apud Romanos vnicuique, cum barbam primo poneret, aut crinem, eam Numini alicui dedicare mos fuit, cuius rei exemplum habes apud Suetonium in Nerone.

Act. 21.

num. 6

Tōsura Clericorū.

Post

Act. 21. Poſt oblatum à Paulo ſacrificium Nazareorum, ſeptem dies ad eius vincula interceſſiſſe Lucas teſtatur, quibus elapſis, Iudæi, qui ex Aſia venerant, illum, quòd contemptor eſſet patriæ Religionis, delaturi, videntes eum in Templo concitauerunt omnem Populum, & manus ei iniecerunt, *quærentibus autem eum occidere, nunciatum eſt Tribuno Cohortis, qui ſtatim aſſumptis militibus, & Centurionibus, accurrit. tunc accedens apprehendit eum, & iuſſit eum alligari catenis duabus.* Tribunus autem qui Ægyptium eum eſſe putauerat, græcè loquutum attentiùs audiuit, fecitque ei poteſtatem Populum alloquendi; cum autem vidiſſet Tribunus Populum in Paulum magis magiſque efferari, *iuſſit adduci in caſtra, & flagellis cædi, atque torqueri, vt ſciret propter quã cauſam ſic acclamarent ei.* tùm Paulus opportunè Ciuem ſe Romanum profeſsus eſt. Tarſenſes autem omnes Ciues Romanos factos conſtat, quod bellis ciuilibus Iulij Cæſaris primùm partibus, tùm etiam Octauiani ſtuduiſsent. de Tarſentium verò laudibus hæc Strabo. *tantum autem Tarſenſibus ſtudium rerum Philoſophicarum, ac diſciplinarum, quas encyclias dicunt, inceſſit, vt ſuperauerint Athenas, & Alexandriam, & ſi quis alius nominari*

Pauli Vincula.

Paulus virgis caditur.

Tarsẽſis Vrbis laudes.

Dio. l. 47.

Strab. l. 24.

potest locus, vbi Philosophorum, & artium ad humanitatem pertinentium schola haberentur. vt nè miremur Paulum supra alios Apostolos eloquentem, ac eruditum. quòd autem non liceret Ciuem Romanum flagellis subijcere, statuit primùm, lata lege, Valerius Publicola: id ipsum lege Porcia, ac demum Sempronia firmatum est. postridiè Tribunus solutum Paulum ad Iudæos produxit. erat autem coactum magnum illorum Concilium quod *Synedrim* vocant, in quo verba facere cum cæpisset Ananias Princeps Sacerdotum iussit percuti eos eius. tùm Paulus *percutiet te Deus* (inquit) *paries dealbate*. admonitus autem illum Principem Sacerdotum esse, excusationem attulit professus se id nescisse: néquè mirum, cum Concilium illud tumultuariè fuerit coactum, ita vt loco suo vnusquisque nequaquam sederet, sed stantes, vt in re turbida, loquerentur. illud etiam animaduertendum; alium fuisse summum Pontificem, seu summum Sacerdotem, alium verò Principem Sacerdotum, Hic enim erat præpositus illi magno Concilio. Sedebant autem eo in Concilio vterque primo loco diuersis in lateribus. qui duo dignitatum gradus videntur respondere ipsis Moisi, & Aaroni. prudenter autem

Ciues Rom. iurgis cædi vetitũ

Sigon. de iur. ant. Rom. Cic. pro Rabir. Val. max. l. 4. c. 1 Act. 23.

autem Apostolus professus se ex Phariſæis esse, eam Sectam cum alia, Sadducæorum, ex quibus duabus vniuersum Concilium erat conflatum, inter se quodammodò commisit, ità ut eius defensionem illi susceperint, proindèque abijt indemnatus. tùm ex his qui ei aduersabantur quadraginta amplius deuotione se se adegisse sasi sunt, non sumpturos cibum, nec potum, donec illum occiderent, curandum itaquè, vt iterum à Tribuno veluti in concionem adduceretur; peracturos se etenim haud dubiè meditata. hoc cùm resciisset Tribunus, Paulum sub custodia clàm misit Cæsaream ad Fœlicem Præsidem, additis literis quibus significabat eum se hominem ægrè à furente abductum Populo, quamquam nullius compertum flagitij, ad ipsum mittere, ne quid in se culpæ rediret, si per tumultum interficeretur. quàm magno autem Iudæi odio in eum essent accensi, ex eo liquet, quod Lucas addit *post quinque enim dies* (inquit) *descendit Princeps Sacerdotum Ananias cum Senioribus quibusdam & Tertullo Oratore, qui adierunt Præsidem aduersus Paulum*. Iudæorum deindè orationem refert, ac Pauli defensionem. Iudæis Fœlix respondit velle se Tribunum expectare antequàm aliquid decerneret. audiuit

Iudæorũ odiũ in Paulum.

Act. 24.

Pauli accusatio, & defensio.

diuit etiam seorsim Paulum *de Iustitia*, (vt ait Lucas) *de Castitate, & de futuro Iudicio* differentem; qua oratione permotus Fœlix, ac perterrefactus eum quidem à se dimisit, frequenter nihilominus eum accersens, *sperabat* enim (addit idem Lucas) *pecuniam se accepturum à Paulo, quod audisset ex Asia illum multa ad eleemosynam, & oblationes attulisse.*

Cum autem Iosephus scribat hoc tempore iuisse se Romam, vt quosdam Sacerdotes illùc vinctos à Præside missos defenderet, addatque ficis, ac nucibus eos victitasse, subit suspicio, ex illis fuisse, qui se panè non manducaturos deuouerant, donec Paulum interficerent, quos fortasse Fœlix tam diro sacramento adactos, puniendos censuit, cum, nè deinceps tumultus miscerent, meritò pertimuerit.

Porcius Festus succedit Fœlici

Haud ita multò post Fœlix Præses Successorem habuit à Cæsare Porciũ Festum; quod autem Lucas ait, *elapso biennio*, intelligendum est, Imperij Neronis, nam & ante illum Fœlix sub Claudio vna cum Cumano, vt diximus, Prouinciæ partem, hoc est Samariam, rexerat. Hierosolymam autem nouus Præses cum veniset, præsto fuere accusatores Pauli, quos Festus Cæsaream iussit accedere; quod haud ægrè præstiterunt. ibi cum Hic gratificaturus Iudæis, in eos videre- *Act.* 24.

tur

Act. 25. tur propensior, Paulus Cæsaris ad Tribunal appellauit.

Interim Agrippa, qui Iunior dictus est, Cæsaream cum Berenice Vxore, Festum salutaturus, accessit, coram quibus causam Apostolus iterum cum Act. 26. dixisset, *in modico* (inquit Rex) *suades me Christianum fieri*; & Iudæorum subodoratus perfidiam, dimitti illum potuisse, ni Cæsarem appellasset, affirmauit. *Agrip. Iun. Cæsarea.*

Act. 27. Traditus itaque Paulus custodiæ Iulij Centurionis, nauim conscendit vnà cum socijs, qui eum sequebantur non inuiti. hos inter fuit Lucas, qui iter omne dietim quodammodo recensiuit. Cretam Insulam prætergressi, ex Pauli prædictione, vitæ discrimen adiuerunt, diù noctùque vi tempestatis iactati. Melitam demum Insu- Act. 28. lam incolumes, dirupta quamuis, mersaque naui, tenuerunt. ea in Insula cum Paulus, ad ignem excitandum, alendumque, sarmenta intulisset, Vipera manum eius inuasit, qua ille in ignem excussa, præsentis vim veneni non sensit, stupentibus Incolis, illumque vti Deum aliquem venerantibus, quem modò vti sacrilegũ fuerant auersati, quasi indignum vita, quem, naufragio superstitem, præsens exitium excepisset. Eo ex miraculo vis Insulæ est indita ad fugandos angues, aut, si quos haberet, innoxios alendos, gle- *Paulus Melita. Melita vis in vene- na.*

ba

ba quoque ipsa veneno medetur.

Apud Melitam porrò tribus mensibus, dum hyems remittitur, Paulus cum socijs subsistit, perbenignè illum interim habente Publio Insulæ Domino, aut Præfecto, cuius Patrem febri, ac dissenteria laborantem incolumem reddiderat. rei tùm fama morbo laborantes alij permulti, Pauli ope, seruati sunt.

Pauli iter à Melita.

Indè cum tres demum post menses soluissent, venerunt Syracusas, ac subinde Regium, tum Puteolos, ac demum Romam, vnde obuiam Paulo processere, ex Fidelibus permulti ad Forum vsque Appij, atque adeò ad tres Tabernas, hoc est ad trigesimum, ac quinquagesimum ab Vrbe lapidem: tanta erat illius doctrinæ fama, ac sanctitatis. Romæ nihilominus degentem, causamque coram sæuissimo omnium Principe dicturum, plærique omnes deseruere. par autem est credere, Iudæos omnem lapidem mouisse, quò illum perditum irent. itaquè in omni, vt ipse ait, Vrbis Prætorio eius causa cognita est. puta, apud Principem, apud Senatum, apud Collegium Pontificum: demum, eius cognita iunocentia, solutus vinculis, vnius tantùm sub custodia militis, liberè agere permissus est.

Paulus a suis deseritur.

Chri. Ann. 59. 2. *Thi.* 4. *Philip.* 1.

Timotheus interim Romam, accersitus, venerat; quamobrem ad Phi-

Chri. Ann. 60.

lip-

lippenses, quæ hoc tempore data est, Epistola non Pauli tantùm, sed Timothei quoque nomine data legitur. ea in epistola certiores Apostolus Philippenses reddit de propagatione Euangelij in Vrbe facta, cui sua ipsius vincula non modò impedimento non essent, sed mirificè conferrent. monet insuper caueant à malis Operarijs, inimicis Crucis Christi, & *videte* (inquit) *concisionem*: Eam nihil aliud fuisse constat, quam Simonis Magi, Cerinthi, ac Sectatorum delirium, quo Christum à Iesu diuidebant, & quodammodo concidebant; negantes Christum passum, mortuum, suscitatum: hæc eadem de Iesu fatentes. Crucis eos vocat inimicos, quod Christum verè Cruci affixum negarent, proque eo Simonem supponerent Cirenæum, Christi Crucem quasi erubescentes. aduersus hos in Ecclesia mos inoleuit Crucis signum singulis fere in rebus frequentius adhibendi; qui mos ad hæc vsque tempora perseuerat, vt qui illum quasi nouum reijciunt, aut absurdum derident huius temporis Sectarij, reijciendi potius, ac deridendi ipsi sint, qui in ipso veluti meridie cæcutire, antiquitatis omnis ignari, videantur.

Epist. ad Philippenses.

Simonis, ac Cerinthi deliria.

Crucis signū.

Iren. l. 1. c. 20
Epiph. har. 21
Ignat. ad Philip. ep. 8.
Tert. d. cor.
Basil. de spir. S.
Cyrill. cat. 13

Dum adhuc Apostolus esset in vinculis, literas ad Colossenses dedit, quas Tychicum detulisse constat, quem-

Epist. ad Colossēses.

quemadmodum, & primas ad Timotheum: fuit autem Is non tam Tabellarius, quam Legatus de alijs eos com-

Colossæ Vrbs. pluribus, quæ Epistola non haberet, certiores redditurus: erant autem Colossæ Vrbs Maioris Phrygiæ non longè à Laodicea eiusdem Prouinciæ Vrbe, alia tamen ab ea, quæ & in Syria, quæque in Media. Vtrùm vero

Strab. l. 12. c. 15. Plin. lib. 5. c. 32.

Laodicea tres, Apostolus ad Laodicenses simul scripserit, vt videtur innuere, antiquorum Patrum non mediocriter torsit ingenia; *qua de re plura hìc Author, qui & multa addit ad Apostoli sensum eruendum, dum obscurè satis de An-*

Coloss. 2. & 3.

Angelorum cultus. gelis meminit; qua sumpta occasione, de eorum cultu differit copiosè. ad hæc, cum idem Apostolus Colossenses hortetur ad Psalmos, & Hymnos concinendos, qua ex antiqua de his habentur traditione, in medium affert.

Psalmorũ vsus. His veluti publicis ad Colossenses literis, priuatas ad Philemonem nobilem eius Vrbis Ciuem Paulus addi-

Epist. ad Philomonem. dit. Huius domum Colossis, ad sua vsque tempora, superfuisse, Theodoretus tradit in Templi formam, vsumque ab eodem Philemone redactam.

Onesimus. huic Paulus Onesimum commendat, quem illius Seruum, illiusque Fratrem, etiam secundum carnem, appellat. quod mirum cum aliquibus videatur, animaduertendum est, seruum illum fuisse libertate postmodum donatum,

Fra-

Fratrem autem secũdum carnem ideò dici, quod esset & ipse, vt Philemon, ex Gentilibus; qua etiam ratione, ab Apostolo Hebręi inter se se Fratres etiam secundum carnem appellantur, hoc est secundum originem.

Hunc Onesimum Ephesi posteà fuisse Episcopum, omnes consentiunt. Vltimam ex Pauli Epistolis, quæ ad Hebræos data est, hoc eodem anno fuisse ab eo scriptam, coniecturę complures persuadent. hanc, quòd non nulli olim, aut Barnabæ, aut Lucæ, aut Clementi tribuerint, aut certè in dubium reuocauerint, *Author, pluribus congestis argumentis, ac Patrum testimonijs, Paulo vindicat.* *Epist. ad Hebræos.*

Tacit. l. 13. Aruit hoc anno Romæ Ficus, quam *Ruminalem* vocarunt, Romuli, ac Fratris cunabulis memoranda, post quàm annos amplius DCCC. virens, ac vegeta permansisset; quod prodigij loco habitum. liceat verò & nobis in eo prodigium agnoscere, quod aridum Crucis Lignum Apostolorum doctrina veluti irrigatum, cæperit tùm Romæ virescere. *Ficus ruminalis arescit*

Biennio interim exacto, liber Apostolus abire iussus, quò nam Gentium profectus sit, non satis constat; conijcere tamen possumus in Asiam reuersum, quod Colossensibus, ac Philemoni, ac demum Hebræis fuerat pollicitus. per hoc autem non efficitur, *Paulus liber abit.*

tur, quò minus in Hispaniam, quod multis placet, perrexerit.

Hoc eodem anno Lucas Operi, quod ab Apostolorum Actis inscripserat, vltimam apposuisse manum traditur. quò nam verò & ipse abierit, incompertum est.

Nero Matrẽ necat.

At Nero Princeps facinus omnium sceleſtissimum meditatus Matris necem, naufragio cum non succesſisset, ferro peragi curauit. tàm fœda autem Popoli Romani assentatio fuit, vt lætitiam inde publicam, tamquam departa Principis salute indixerit; qua fortasse de causa Paulus libertati est restitutus. *Tacit. l. 14.*

Festus moritur.

Interim Festus in Prouincia diem obijt extremum datusque illi à Cæsare Successor est Albinus. Chri. Ann. 62.

Albinus succedit.

Prodigia Roma.

Roma prodigijs agitata, spem maximam concepit futuræ Neronis mortis, qua tamen, vt sæpè, frustrati Ciues, dignoscere haud ægrè potuerunt, quàm sit fallax huiusmodi prodigiorum indagatio.

Laodicæa quoque, nobilis Asiæ Vrbs, qua de meminimus, terræ motu collapsa, à Ciuibus, qui diuitijs pollebant, restituitur. de ea, deque illius opibus Ioannes Apostolus meminit, eaque inibi de causa Christi Fidem intepuisse queritur. *Apoc. 3.*

Qui sequitur annus Iacobi Apostoli cognomento Iusti, Fratris Domini Chri. Ann. 63.

mar-

martyrio insignis est. rem vti celebrē,
lib. 2. c. 8. Iosephus ipse egregiè testatam reliquit, tantoque Iudæorum sceleri Vrbis, ac Templi excidium tribuere videtur: obijt autem è summo Templo præceps datus, tùm lapidibus petitus, ac Fullonis vecte percussus. cur autem illius potius neci, quam Christi, calamitates illæ fuerint tributæ, cum Christum Iacobus sectaretur, haud dubiè, quod ad Iacobi statim mortem sequutæ sint. Supereſt eius epistola, quæ prima inter canonicas numeratur. *in ea cum de infirmorum peruncti one mentio fiat appositè Author de hoc extremæ vnctionis Sacramento ex more differit, additque de Sacrificij forma, seu Missa, quæ eidem Apostolo tributa adhùc extat.*

Iacobi Ap. fr. Domini martyrium

Extrema vnctio.

Tacit. l. 14. Hoc item anno rebellantes Britanni, per Paulinum Suetonium iterum debellantur. Proximo autem subsequente Marcus Euangelista Alexandriæ Martyrio afficitur. eius locum subit Anianus. quoad mortis genus, ferunt ab altari abstractum, biduo per Vrbem raptatum, animam Deo reddidisse.

Britanni iterū debellantur.

Chri. Ann. 64. Euseb. Chr. & hist. l. 2. c. 23. Hier. de scri. bt. in Marco

Marci Euāg. martyrium.

De Christianis ab eo institutis putantur scripta quæ Philo quasi in gloriam suæ Gentis de Essenis, siue Esæis tradit. de his Plinius elegantissimè, sed tamen vti de Gente vetustissimæ originis, & nescio quæ interiora,

Esseni.

Iu-

Iudææ loca incolente. siuè illa oscitanter ex Philone, siue ex alio quopiam petierit. *Gens*, inquit, *sola in toto Orbe prater cateras mira: sine vlla fœmina, omni venere abdicata, sinè pecunia in diem ex æquò Conuenarum turba renascitur, largè frequentantibus, quos, vita fessos, ad mores eorum Fortunæ fluctus agitat. ita per sæculorum millia (incredibile dictu) Gens æterna est, in qua nemo nascitur. tàm fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est.* hæc Plinius; ex quo, vt alia fermè, non minore elegantia Solinus, haud dissimilia prosequutus est. Verũ quamuis Essenos ante hæc tempora fuisse Iosephus tradat, in eos non omnia quadrant, quæ apud Philonem habentur, multò minus quæ apud Plinium, quæque apud Solinum. his adde nullam de his mentionem haberi in veteri, nec in nouo Testamento, neque apud alios Plinio antiquiores ex Profanis. At enim Philo de suis Essenis tradit, non Alexandriæ modo, magno numero, fuisse, sed in alijs quoque Ægypti regionibus, tùm apud Græcos æquè, ac Barbaros. ex quibus affirmare cogimur de Christianis illum loquutum, vt antiquiores, ex nostris, Patres pro comperto habuerunt, non autem de Essæis, quæ Iudæorum erat Secta, vt quidam ex Nouatoribus, contradicendi studio, affirmant. cui enim

Phil. de Vit. cõt. l. 5 c. 17.

Plin. l. 5. c. 17

Polyc. 36.

per-

persuadebunt, Gentiles tanto numero ad Iudaismum desciuisse? itaque à Philone Essenos fuisse dictos par est credere, quod illorum vitæ institutum, qui apud Iudæos erant, (quamquam multis partibus auctum in melius) imitari viderentur. nisi si cui magis arrideat non nullorum sententia, qui putant ab eo Essenos, siue Essæos à contemplatione, ac sanctitate, vel Iessæos à Iesse Dauid Patre, ex quo Christus Iesus ortum habuit, nuncupatos.

Tacit. lib. 15. Neronis interim sæuitia in dies magis grassabatur. itaque Octauiã Coniugem calumnijs circumuentam in Insulam deportari mandauit, nec ita multò post balnei ibidem vapore extingui. ditiores quosque ex Libertis, in quibus Pallantem suæ Authorẽ Fortunæ, è medio sustulit. Quo tempore Romanus exercitus, Duce Peto, à Parthorum Rege Pacoro sub iugum turpiter mittitur. *Nero Coniugẽ necat.*

Cum iam diuinæ gladius vltionis Iudæorum ceruicibus propiùs immineret, Iesus quidam homo rusticanus, in summa Hierosolymorum pace, ac opulentia, cælesti veluti afflatus Numine, clamare cæpit dira minitans Vrbi, ac Templo; nec propterea à destitit, quòd malè à quibusdam mulctatus, plagisque ad mortem acceptus fuerit: imò ad singula eum verbera inclamasse ferunt *vah Hierosolymis*. Albino autem *Vaticiniũ de excidio Hierosol.*

tem Præsidi, alijsque interrogantibus, qui nam esset, cur ve malè ominari pergeret, nihil respondebat, nec victum præbentibus gratias agebat. perseuerauit autem, quod mirum, per annos amplius septem numquam fatigatus, aut raucior factus, dum obsidione demum cincti Ciues, vera ipsum præsagisse re ipsa intellexerunt. tùm verò ille, postquam aliquandiù quieuisset, conscenso Vrbis muro, iterum væh Ciuitati, ac Templo ipsisque Ciuibus contentiori voce inclamauit: ad extremum, cum addidisset, *væh etiam mihi*, lapis è tormento à Romanis excussus eum peremit.

Decimus agebatur Neronis Principatus annus, Christi Domini LXVI. cum, casu ne, an Tiranni iussu (vtrumque enim proditur) Roma Vrbium Regina miserabili incendio deflagrauit. quamquam autem rei infamia in Principem plurimùm redũdauit, quòd inijsse illum domesticam scænam, & Troicum excidium interim, dum Roma arderet, ad cytharam per iocum ceciniſse diceretur, Christiani tamen calumniam passi, magno numero alieni sceleris, ac stultitiæ pœnas persoluere. Sex ipsos dies, siuè, vt alij tradunt, nouem grassatæ flammæ quatuor, non amplius, Vrbis Regiones, ex quatuordecim, superstites reliquere.

Chri. Ann. 66.

Roma incendium.

Christiani calumniam passi.

Circumferebantur etiam tùm Hierony-

ronymi, atque Augustini ætate epistolæ, quæ adhuc extant, Pauli ad Senecam, Senecæ vicissim ad Paulum; cæterùm qui in illis errores temporum deprehenduntur manifestæ eas arguunt impostura. *Pauli, ac Senecæ Epistolæ.*

Chri. Ann. 67. *Ios. ant. l. 20. c. 9 & de bell. l. 2. c. 14*

Albino Successor datus Florus futurarum calamitatum Author haud dubiè fuit. ita dum Christiani supplicijs acerbissimis addicuntur, Iudæi à Flore expoliantur. *Florus Iudææ præficitur.*

Tacit. l. 15. Dio. & Suet.

Romæ autem detecta in Principem conspiratio, malè in Authores vertit. eius criminis (si crimen appellare fas est) comperti multi ex prima nobilitate, vario mortis genere periere. in his fuit Seneca, eiusque ex Fratre Nepos Lucanus, & Romanorum tùm temporis nobilissimus Plautius Lateranus Consul designatus, cuius ædes apud Cælium Montem in vsum posteà Christianorum cessere, Augustissimo ibi Templo excitato, ac Pontificijs ædibus adiectis. *Cõiuratio in Neronem Senecæ, & Lucani mors*

Hier. ep. 32.

Coniuratorum pœnam sequuta est mors Poppææ, quam, licèt impensiùs adamatam, ira percitus Nero, ictu calcis percussam vehementius, interemit.

Chri. Ann. 68.

Romæ tot Christianorum supplicijs Christiana re pœnè collabente, præsto fuere ipsi Apostolorum Principes, quorum prædicatione, ac Martyrio restituta est. At Petro non satis visum Romanæ Ecclesiæ prospicere.

igitur quòd vniuersi gregis creditam sibi curam sciret, præcipuè Iudæorũ, quorum in Hierosolymitano Concilio susceperat patrocinium, secundam ad eos dedit Epistolam, in qua suum ipsius exitum instare docet. de huius porrò Epistolæ firmitate dubitatum aliquandò fuisse constat, quod diuerso ab alia stylo, ac charactere videatur; cæterùm Interpretum hoc potius varietate accidisse dixerim. sanè inficiari nemo poterit à Patribus eam passim, ac Concilijs inter canonicas recenseri, quòd verò hæc eiusdem ferè sit argumenti, ac Iudæ Epistola, qui Thadæus dictus est, *de vtraque Author differit, deque Hæreticis, qui in illis notantur, eorumque dogmate, ac delirijs.*

Secunda Petri Epistola.

lib. 30. c. 2.

At Nero, quod Diis ipsis, inquit Plinius Imperare generosius cuperet, id per Magos assequi se posse ratus, eos vndique conquisitos aluit. in his fuit Simon Samarita, de quo alibi meminimus. Hic vt Principi harum rerum cupido sese venditaret, ipso inspectante, volasse dicitur, Petri verò ad Deum precibus, eo ex volatu, in terram decidisse, qua veluti in se collata iniuria, Neronem Petro succensuisse, ipsumque, ac Paulum carceri mancipasse. carcerem porrò, in quem coniecti Apostoli sunt, Mamertinum fuisse constat, non autem Tullianum. addicti postea eidem sunt

Suet. c. 12.

Neronis vanitas.

Simon Magus

Clem. const. l. 6. c. 9

Arnob. l. 2. Euseb. l. 2. c. 14. Cyrill. cath.

Apostolorum carcer

l. 6.

Pro-

Aug. Proceſſus, & Martinianus Milites Apo- *Proceſ-*
ep. 86. ſtolorum cuſtodes à Petro, vt tra- *ſus, &*
dunt, ad Chriſti Fidem traducti, ibi- *Marti-*
demque erumpente, diuina vi, ex *nianus*
petra fonte, Baptiſmo initiati: fons
ſanè in hanc diem perſeuerat, non *Fõs in*
rerum modò tùm geſtarum memo- *carce-*
ria nobilis, ſed perenni quoque mi- *re Apo*
raculo illuſtris; quippè è medio car *ſtol.*
ceris ſurgit tiburtinis ſtrati lapidibus
grandioribus per lapidem cubitali al-
titudine veluti terebratum; ita vt nec
redundet vmquam, nec, quantumuis
hauſtus, exſiccetur. cur autem, &
Paulus cum Petro cuſtodiæ ſit tradi-
In vit. tus, hanc affert Chryſoſtomus cau-
mon. ſam, haud dubiè ex antiquiori aliquo
vitup. acceptam, quòd Is Neronis Pellicem
l. 1. ad Chriſti Fidem traductam, ab illius
conſuetudine abduxerit.

lib. 16. Iam Nero, vt ait Tacitus, tot inſi- *Nero-*
gnibus Viris trucidatis, virtutem ip- *nis Ty-*
ſam quodammodo excindere cõcupi- *rãnis.*
uit, interfectis Barea Sorano, ac Tra-
ſea Peto. Sed, & de Seruilia Bareæ
Filia rea cum patre conſtituta quæ-
dam addit, quæ Chriſtianam eam fuiſ-
ſe facilè demonſtrent.

Philo- Edicto dein Philoſophos Vrbe exe-
ſtr. l. 4. git, recepto haud ſecius, ac humani-
ter habito Apollonio Thianæo, qui
hoc ipſo tempore Romam ſub Tele-
ſini Conſulis patrocinio venerat.

Poſt hæc Nero in Achaiam naui- *Nero*

Isthmũ perfodere tentat.

gat, vt Isthmum perfodiat. id cum irrito conatu tentasset, Olympicis ludis non Spectator modò esse voluit, verùm & Actor. itaque omnes superans Citharædos, atque Aurigas, meritas coronas Homo leuis adeptus est.

Hebræi à Romanis rebellãt.

Hoc eodem anno Hebræi suis ipsorum factionibus, ac Præsidum tyrannide, in primisque Deo vindice eos adigente, à Romanis rebellant. *causas fusè Author tradit ex Iosepho. eruditè insuper disputat, an Christi prædictiones ad has clades sint referendæ, an ad Iudicij diem extremum.*

Neronis ad Vrbem reditum Apostolorum martyrium sequutum est. datum quippè illis nouo crimini est Matronas complures ad castimoniam colendam allexisse. Petrum porrò carcere elapsum, adnitentibus Discipulis, inter quos ipsi carceris Custodes erant, fugam arripuisse, Christi verò monitu, qui ei obuiam factus Romam se, vt iterùm crucifigeretur, venire professus est, statim reuersum, antiquorum Patrum authoritate exploratum habemus. illud quoque traditur, vtrumque, antequàm ad supplicium ducerentur, more Romano, virgis cæsum. nec est quòd quis hoc neget de Paulo, qui Ciuis Romanus esset; nam Lege Sacra cautum erat Ciues quoque ab huiusmodi animaduersionis genere, immunes ne essent,

Chri. Ann. 69.

Petri fuga.

Romã redit.

Apostoli virgis cæsi

Sip. l. 3. c. 10. Ambr. in Auxent.

cum

cum immanis alicuius sceleris fuissent postulati. impietatis porrò crimen, quo Paulus, & ipse, reus est factus, haud dubiè inter immania censebatur. extant adhuc Romæ in Templo D. Mariæ trans Ælium Pontem Columnæ, quibus tùm Apostoli, cum virgis cæderentur, alligati dicuntur. perductos quoque simul iunctos ad Portam vsque Trigeminã, quæ Ostiensis est eadem, hodiè S. Pauli; ex antiqua potius traditione, quàm ex veterum Scriptorum testimonio habemus. hìc cum sese mutuò fuissent osculati, Paulus ad Aquas Saluias perducitur tertio ab Vrbe lapide, vbi Christianorum carnificina postea quoque est habita, vt testantur antiqua monumenta; ibi enim decem militum Christianorum millia cum Zenone Duce obtruncata sunt, eorumque ossa visuntur adhuc, magno aceruo, colunturque. Hìc cum Apostoli Caput Carnifex abscidisset, sectæ colli venæ, lacte, non sanguine promanarunt; *nec mirum*, inquit Ambrosius, *abundasse lacte Nutricium Ecclesiæ* manant adhuc tres ibi Fonticuli, qui tùm primùm feruntur erupisse, cum sacrum Caput tres veluti saltus edidisset. statura fuisse illum breuiori tradunt, naso inflexo, atque oblongo.

Zeno, ac socij mart.

Pauli Martyrium.

Tres fontes.

Serm. 68. Nicephl. l. 2. c. 37.

At Petrus trans Tyberim, vbi tùm Iudæi agebant, ad Ianiculi verticem

ductus, capite in terram inuerso, Cruci suffigitur, vitaque demum cassus, in eiusdem Ianiculi parte illa sepulturæ est traditus, quæ Vaticanum appellatur. constat enim Ianiculum olim appellatum totam illam Collium veluti catenam, quæ Vrbi imminet, & ad Pontem vsque Miluium pertingit, quod, ne errore quis labatur, dictum voluimus. Tentasse postmodum Orientales Christianos tamquam suorum Ciuium sacra Apostolorum Corpora secum auferre, testatur in primis Gregorius, additque eos illa tantisper deposuisse ad Catacumbas altero ferè ab Vrbe lapide. cum autem ea inde tollere niterentur, deterritos vi tonitrui, ac fulguris, reliquisse. *Quæ autem de Apostolorum laudibus, ac monumentis ex Patrum præconijs hùc afferuntur, apud Authorem quære.* l. 3. ep. 30.

Petri Martyrium.

Ianiculus.

Apostolorum corpora.

Linus. Petro in Ecclesiæ administratione subrogatus est Linus, qui Patria fuisse dicitur Volaterranus. sunt qui velint hunc, viuente Petro, quem Vniuersalis sollicitudo Ecclesiæ in alias Christiani Orbis partes auocabat, Coëpiscopum, seu, vt nunc vocamus, Coadiutorem egisse, & vnà quidem cum Cleto. alij ex his neutrum inter Romanos Pontifices collocant; itaque, post Petrum, Clementem statim numerant. horum tamen sententia, infirmo nititur fundamento. *veriorem,*

De Petri successoribus.

rem firmat hoc loco Author ex multis, quæ in medium affert, argumentis.

Neronis cura.

Galliæ ac Hisp. motus.

Resediſſe Neronis iram in Chriſtianos viſa, ex Apoſtolorum nece. ſiue Is rebus ſuis proſpicere, & à Nobilium conſpirationibus præcauere, Galliæque, ac Hiſpaniæ motus compeſcere, alijs neglectis curis, coactus fuerit, ſiue (quod etiam traditur) ab ijſdem Apoſtolis, nocturnis terroribus, ab inſtituta inſontium hominum carnificina inhibitus. ſanè illum inſomnes duxiſſe noctes, à Matre territum, poſt illius mortem, profani quoque Scriptores tradunt.

Dio in Ner.

Veſpaſianus interim, qui in Iudæos miſſus à Nerone fuerat, maximis eos quotidiè cladibus afficiebat, quas ex Ioſepho, qui eas fusè narrat, petere curioſus lector poterit.

de bell. l. 3.

Chri. Ann. 70. Iam Nero mortalium omnium odio laborans, poſt Gallici exercitus ſub Iulio Vindice, Hiſpanici, ſub Galba, defectionem, cum audiſſet Rubrium quoque Gallum, quem in Rebelles mittebat, rebellaſſe; deſertum ſe inſuper à Prætorianis cognouiſſet; non niſi iam latebras circumſpiciens, viliori, ne agnoſceretur, veſte indutus, in Phaontis Liberti Prædium Salariam viam inter, ac Nomentanam venit. hìc in ſpelunca deliteſcens, cum ab Equitibus ſe ad necem peti reſciſſet, ægrè tandem manus ipſe ſibi attulit,

Neronis mors.

Neronis mors.

tulit, quodque animam diutiùs traheret, Epaphroditus, & ipse Libertus, eum confecit IV. Idus Iunias, (quo die Octauiam olim Coniugem interfecerat) cum annos imperasset propè XIV. vixisset ad XXXII. Porrò Neroniana sæuitia abijt prouerbium; itaquè antiquiores Christiani Antichristum illum fuisse existimarunt, quod hoc Paulus visus sit innuere, dum de Antichristo loquens, addit, *mysterium iam operatur iniquitatis*. errore autem lapsos satis constat, cum epistola, Claudio imperante, scripta sit, quod antea monuimus. hinc alius etiam error refellitur eorum, qui putarunt, illum nequaquam mortuum, nouissimis temporibus iterum proditurum. superfuisse equidem tùm Neronem, apud Romanos quoque, ac Barbaros, Parthos in primis, dubitatum diù est.

Nero creditus Antichristus.

Tacit. hist. l. 2 Suet. Ner. c. 57.

Galba Imp.

Galba à militibus, quibus præerat, Imperator acclamatur: Vir ætate grauis, per omnes fermè honorum gradus ad supremum euectus, in eo non diù stetit. post menses quippè non amplius septem, totidemque dies deturbatus indè est.

Vespasianus deuicta Galilæa, dum Hierosolymæ obsidionem parat, nuncio de Neronis obitu, Galbæ Principatu accepto, Titum Filium ad nouum Principem legat, quo cum

etiam

etiam Agrippa proficiscitur.

Chri. Ann. 71. At Galba, quòd seuerioris disciplinæ assertor videretur, à militibus in Foro occiditur; quorum studio Siluius Otto sufficitur breuiori adhuc Imperio potiturus. Romani etenim in Germania milites, suum, & ipsi, beneficium Romanum Imperium facturi, Vitellium Ducem Augustum appellant; suamque illi in Ottonem operam pollicentur, quam & egregiè, parta de Hoste victoria, præstitere. Hic ille est Vitellius qui demandatam à Claudio Syriæ Prouinciam administauit, priuatus melior, quàm Princeps; quippè Imperium adeptus, æmulo potestatis sublato, turpissimum vitæ genus instituit; itaque proborum iuxta, ac improborum odium incurrit. quo audito Vespasianus, suis de Vitellij nequitia militibus edoctis, haud ægrè ab his Cæsar appellatur. tùm præmissa terrestri itinere exercitus parte, à qua Romam delata, Vitellius deiectus est, ac Populi ludibrio expositus, ipse Alexandriam petens, diù ibidem substitit. *porrò quæ ibi mira, quaue ea virtute patrauerit, Author in disquisitionem reuocat, refellens eos, qui, quæ de Christo prædicta erant, de Vespasiano intelligenda esse crediderunt.*

Galba occiditur.

Otto succedit.

Vitellius Imp.

Ottonẽ vincit.

Vespasianus Imp.

Tac. hist. l. 4 Suet. in Vesp. Ios. d. bell. lib 7. c. 21.

Iudæis interim quies à Romanis fuit (nam & Titus Alexandriæ tum

erat) at non perindè à suis, quorum factionibus haudquaquam mitius, quàm ab hostibus, sunt habiti.

Titus Iudææ repetit

At Vespasianus, Romam petiturus, Titum Filium in Palęstinam redire iubet. Is, Cæsaream cum veniisset, omnia inibi ad Hierosolymæ expugnationē necessaria comparat. instabant dies Paschæ, quamobrem incredibilis Conuenarum numerus Hierosolymā concessit; opportunè tùm Titus exercitum Vrbi admouit, omnesque obstrui vias iussit, ne quis egrederetur, quò citius eos fames perurgeret; quæ, haud diù cunctata, infœlicem Populum extrema statim pati coegit, notiora ea quidem, quàm vt hìc pluribus sit opus recensere. capta demum Vrbs est: Templum omnium augustissimum incensum: ædes reliquæ solo æquatæ: Iudæorum vndecies centena millia cæsa, reliqui fermè vilissimo ad hastam precio venditi seruitutem seruire infœlicissimam coguntur. Chri. Ann. 72.

Titus Hierosolymā obsidet

Capit, ac diruit.

Cæsorū numerus.

Titus aliquandiù apud Syriam moratus, Alexandriam repetit, atque inde Romam, vbi nobilissimum, de Iudæorum Gente debellata, triumphum egit, cuius adhuc extat monumentum. cæterùm Iudæi complures, qui illam cladem euasere, aut longius ante illam abiere, diuinam, & ipsi, vltionem effugere nequiuerūt. ex his enim tria amplius millia, qui in nemus Iardes Chri. Ann. 73.

des se receperant, à Lucilio Basso Legato ad vnum omnes interempti sunt. rursus qui in Ægyptum, aliasque remotiores Regiones se contulerant, varijs vbique ex casibus extincti dicuntur. addit Eusebius Vespasianum Principem omnes vbique ex stirpe Dauid diligentius conquisitos, necari iussisse quòd in vaticinijs esse cognouisset, ex ea Regem, qui æternus futurus esset, proditurum.

Ioſ l. 7. c. 29. Euſ. l. 3. c. 11 Chri. Ann. 74. Epiph. her. 18 & 29. Hier. ep. 69. Theo. haret. fab. l. 2

Ex Iudæis, qui superfuere, Gentis infamiam pertæsi, Christianum nomen verùs, quàm sacra susceperе. ex his, quasi ex diuersi generis animantibus varia veluti monstra prodierunt peculiaria postmodum sortiti nomina, Samaritæ, Nazaræi, non ex antiquo instituto, sed nouiter quodammodo cusi, qui, & Minæi: Hebionæi, seu Hebionitæ: Osseni: & si quæ aliæ huius generis pestes, *quarum dogmata ab Authore hic referuntur.*

Hæreticorũ sectæ varia.

Hoc Vespasiani imperantis anno tertio, Martialis Episcopus, Galliæ Apostolus, à Petro illuc missus, gloriosissimo labore perfunctus est. Tradunt autem (nam ex Iudæis erat) Puerum illum Hunc fuisse, de quo ad Christum Andreas dixit; *est Puer hic habens quinque panes, & duos pisces.*

Martialis Galliæ Apostolus.

Chri. Ann. 75.

Vespasianus aliòquin bonus Princeps, Muciano impulsore, edictum promulgauit de pellendis Vrbe Philo-

Philo-

sophi Vrbe pulsi.

sophis. horum tamen contumaciam leniſſime tulit. ſane ex his multi erant in Principes procaciores, alij nouorũ quotidiè dogmatum profeſſores. ad miratione autem dignum eſt, hoc ipſo tempore, quo Apoſtolici Viri Terrarũ Orbem peragrarunt, multos quoque ex Philoſophis id factitaſſe. plures ex his recenſet Philoſtratus dum de ſuo ſcribit Thianæo. *hic appoſitè Author narrat, quæ Lucianus habet de Peregrino; ex his enim Christianorum hominum integritas mirè elucet.* *Suet. & Dio in Vespaſ.* *lib. 5.*

Vltimum Luſtrũ Capitolini Agon. Homines lõgæui.

Veſpaſiani anno IV. ipſo Cenſore conditum eſt Luſtrum, quod poſtremum fuit, (poſtea namque pro Luſtris Capitolini Agones numerari ſunt cœpti) in eo per Italiam, cenſiti ſunt mortalium complures, qui à centeſimo vſque ad quinquageſimum inſuper ætatis annum numerabant, quos Plinius recenſet; ne cui mirum videatur, cum audit Simeonem Fratrem Domini nuncupatum, vigeſimum ſupra centeſimum egiſſe annum cum Cruci affixus eſt, cumque eadem ferè de Ignatio, Polycarpo, Herma, Quadrato, alijſque Apoſtolorum Diſcipulis referuntur, qui aut Chriſtum Dominum viderunt, aut vidiſſe potuerunt, & ad Traiani, atque Hadriani tempora peruenerunt. quod Diuino etiam factum Conſilio exiſtimandum eſt, vt ea ratione Eccleſiæ conſultum Chri. Ann. 76. *lib. 7. c. 49.*

eſſet

esset contra Hæreticos quotidie, vt diximus, emergentes.

Chri. Ann. 77. Dio. in Vesp. de bell. l. 7. c. 24. Exindè Augustus Pacis Templum sumptuosiùs extructum dedicauit. mira id quidem celeritate factum apparet, & quæ, si opus spectes, hominum, vt ait Iosephus, cogitationem superaret. cur verò, nouo exemplo, Paci potiùs, quàm alteri Numini illud dicauerit, cum præsertim sub alijs Principibus pacatum Imperium diutiùs conquieuerit; non alia id factum de causa putandum est, quàm quòd, vt alibi innuimus, ex vaticinijs, ac Iudæorum adulatione cognouerat per ea tempora ex Palæstina Regem proditurum, qui æternus ipse, æternam Orbi pacem esset pariturus. quæ de Christo dicta cum essent; ipse, vt sunt Principes gloriæ cupidi, in se transferre, quacumque demum ratione, studuit. argumento est, quod & paulò ante indicauimus, omnes eum, quoad licuit, ex Dauidis stirpe, sustulisse.

Pacis Templum.

Cur Paci dicatum.

Esai. 9

Chri. Ann. 78. 79. Iam per aliquot deinceps annos pauca admodum reperimus Christianorum gesta ad nostrum institutum pertinentia. quamquam alioquin par est credere, bene illos huius opportunitate Pacis, diebus velut Alcioneis, vsos igitur annis haud secius adnotatis, satiùs duximus vacuos illos quodammodo præterire, quam aliquid incerto Authore, siue vtcùmque mi-

nus

nus exploratum illis adscribere.

Lini obitus. Linus, quem diximus, Petri Successor, cum annos sedisset paulò amplius XI Saturnini Consularis iussu interimitur. scripta ab eo fertur historia de altercatione Petri cum Simone Mago, quæ non extat. Acta verò passionis Petri, quæ eidem tribuuntur, multis referta erroribus, reijciuntur. Chri. Ann. 80.

Eius scripta

Cletus succedit. Lino subiectus est Cletus, quod veterum sententia Patrum exploratum habemus.

Vespasiani obitus. At Vespasianus ætatis annum LXX. cum iniret, imperasset autem annos ferè decem, VIII. Kal. Iulij, morbo sublatus est; inter bonos Principes, primus ab Augusto numerandus. Chri. Ann. 81.

Vesuuij incendiũ Huic Titus Filius adhuc melior succedit, de cuius laudibus, Suetonium, ac Dionem consule.

Hoc tempore Campaniæ Mons Vesuuius maiori, quàm vmquàm anteà, vt proditur, incendio conflagrauit, quo Plinius interijt. *hoc cum posteà quoque sæpius vsu venerit, nescio an aliàs vmquàm maiori cum accolarum incommodo, ac terrore acciderit, quàm paucos ante menses, quam hanc ipsam Epitomen scribendam aggrederemur. libet rem probè compertam hìc breuiter testari.* Superiori anno extremo, qui à Christo nato primus, ac trigesimus fuit supra millesimum, ac sexcentesimum, huiusmodi

Suet. c. 11. Dio. in Tit. Hier. in ep. ad Gal. c. 6.

Aliud nouissimum.

di

di Campaniæ clades illata est. Principiò tellus vndique per multa passuum millia concussa est vestementius: tùm Monte hiatu maximo fatiscente, fumi, ac flammæ, cineriſque, ac lapidum vis magna erupit. fumus non Campaniam modò, sed alias quoque circùm Oras oppleuit: flammarum impetu, ac copia multi mortales absumpti: arbores ambustæ: Domus incensæ: mare ipsum emotum, ac retroactum: lapides non pumicei modò, ac torrefacti, sed etiam liquescentes latè disiecti: cinis arborum, ac domorum æquauit culmina, vt verius canere nunc liceat, quod Statius hac ipsa de re cecinit. *Cineris altè tudo.*

Mira fides: credetne Virum ventura propago,
Cum segetes iterum, cum iam hæc deserta virebunt,
Infra Vrbes, Populosque premi?

Idem cinis Licium vsque, extremę Vrbem Italiæ, delatus est, non modò in Apuliã, aliasque viciniores Regiones, insuper mare Superum transgressus, apud Dalmatiam pluisse dicitur. nec mirum, cum Byzantium vsque aliquandò peruaserit, quod suo loco referemus. itaque Mons veluti euiscератus, & media fermè sui parte deiectior nunc est, & os exerit immane, cuius (si fas dicere) ingẽtia labra ad aliquot passuum millia patescunt. quid quod *Quò cinis delatus.* *Mõtis hyatus*

Marcell. Chron. ad an. 471.

Aquæ eruptio quod aquæ vis magna ad montis latus erupit, erumpitque post aliquot iam menses, & certum alueum nondum nacta veluti errabunda, lata, ac vineta, si quæ ab igne reliqua, miserè populatur? iam sonitus ex telluris succussione, ac diductione auditus est in locis longè dissitis; quodque omnem superat fidem, audiuimus ipsi cum Ciuibus reliquis Perusiæ, quæ Vrbs distat à Vesuuio ducenta amplius passuum millia, & alij nobiscum innumeri apud alias Hetruriæ, Vmbriæ, ac Piceni Vrbes quàquàuersum. erat autem fragor veluti ex displosis per interualla æneis tormentis, auditusque est per tres ipsos ante eruptionem dies. itaquè errore iucundissimo, certatim quisque ex vicinarum Vrbium incolis scitari per literas, ecquis Procerum aduentasset, ecquodnam illud esset lætitiæ, vt putabatur, argumentum. mirari postmodum vicissim omnes, cum nullibi tale quidpiam contigisse nunciaretur: omnes denique obstupescere, cum, literæ Neapoli allatæ, rem vti erat, euulgabant. hæc de postremo hoc Vesuuij incendio, ab alijs haud dubiè fusius tradenda, à nobis præter institutum dicta sufficiant.

De sonitu mira.

Tito ad Campaniæ calamitatem Chri.
Roma incendium. visendam profecto, Roma ipsa, flam- Ann.
ma per triduum debacchante, miserè 82.
vastata est. periere eo incendio, aut *Suet.*
certè *c. 8.*

Dio. in Tit. certè deformata superfuere, præter priuatas ædes, Templa, aliaque publica ædificia complura: Serapium, Septa, Isium, Neptunni Fanum, Balnea Agrippæ, Diribitorium, Pantheon, Theatrum Balbi, Scena Pompeij, Octauiana ædificia vnà cum libris, Templũ Iouis Capitolini vnà cum proximis Sacellis. ita *hoc malum*, inquit Dio, *diuinum potius, quam humanum fuit*. huiusmodi sanè occasione vsos Christianos credimus, quod sæpè alias, ad Gentiles, eo incusso terrore, ad Christi Fidem suscipiendam, permouendos, extremique iudicij diẽ expectandum, ac pertimescendum. *Quæ absum pserit.*

Chri. Ann. 83. 84. Suet. c. 11. Dio. ibid. Post hæc Titus optimus Imperator, Orbis deliciæ, veneno vt creditum, à Domitiano Fratre propinato, extinguitur, cum annos imperasset paulò amplius duos, vixisset XLI. *Titus moritur.*

Suet. c. 7. Martial. l. 6. & 9. Inuit. sua sub fin. Sublectus est Domitianus idem natura sæuus, ingenio ferox, ac vafer, quem mittissimus Frater officijs numquam valuit demereri. initio sane Principatus iustitiæ cultor fuit, aut videri experijt. Seueriſſimas in impudicos Leges, impurissimus ipse, tulit, aut iam latas renouauit; quo facto, vt res tùm Christiana radices altiùs egerit. itaque & Iosephus, qui etiam tùm Romæ erat, cumulatum se honoribus ab eo scribit, hisque veluti stimulis incitatum, libros de Anti- *Domitianus succedit.* *Iosephus libros Antiquit. scribit.*

qui-

quitatibus iudiciis conscripsisse.

Verum enim verò quam hactenus iustitiæ curam Tyrannus simulauerat, haud diù cunctatus, abiecit. sæuire itaque in Ciues cæpit, tùm in Philosophos, quos solum vertere edicto iussit, nisi si qui fortè ex Philosophis Assentatores, aut Delatores facti, exilium infamia redemissent. inter extorres fuere Epictetus, Musonius, Dio Chrysostomus, ac permulti alij Viri clarissimi, ac integerrimi.

Philosophi pulsi.

Epictetus Musonius, Dio. Chrys.

Chri. Ann. 85. *Suet. & Dio. Philostr.*

Animum deinde adiecit ad restituenda Templa incendio, vt diximus, absumpta, Sacerdotes Flauiæ Gentis instituit: Vestales Virgines tres, stupri compertas, viuas infodi iussit. sed hoc seueritati detur, illud non nisi sceleri, quod Plutarchus in primis detestatur, cum, malis publicis auerruncandis, Græcos duos, totidemque Gallos, Viros, ac Mulieres innoxios defodit. porrò si quis dixerit hos ex Christianis acceptos, quemadmodum Nerone Principe vsu venit, hunc scopum attigisse affirmauerim.

Vestales defossæ.

Item alij licet innoxij.

Chri. Ann. 86.87 *Probl. Rom. q. 83.*

Quintum dum ageret in Imperio annum, Agonales in Capitolio ludos instituit quinto quoque anno, ad instar græcarum Olympiadum, instaurandos qui tamen diuersi adhuc erant à ludis quinquennalibus ab eodem institutis.

Agonales ludi

Chri. Ann. 88. *Suet. c. 4. Cæsar. c. 14.*

Ad hæc vanissimus omnium Princeps

Chri. Ann. 89.

ceps eò dementiæ venit, vt se Palla-
Suet. dis Filium, Deumque, ac Dominum
c.13. dici voluerit; & hoc quidem oppor-
Philo- tunè ad res nostras, quò tùm Fideles
str.l.5. Romanos Deos promptius exibila-
rent, nouoque exemplo veteres æsti-
mandos suaderent.

Chri. Ann. 90.91. Cum autem capessere aduersus Da-
cas arma oporteret, ex Vrbe eam in
expeditionem discessit; tùm verò, si
vmquàm anteà, summa cum superbia,
summam ignauiam præ se tulit. iram
etenim statim vertit in Ciues, quo-
Philo- rum complures fortunis, exilio, vita
str.l.7. quoque mulctauit. hos inter Cocce-
ium Neruam, qui post eum impera-
uit, extorrem fecit, quod cum Thia-
næo consuetudinem habere compe-
risset: qua etiam de causa Thianæum *Thiæ-*
ipsum coma, ac barba, contemptus *naus.*
causa, exutum, traduxit: cum verò il-
lum detinere vellet inuitum, Magus,
si vera referunt, iniectis veluti tene-
bris, recessit inuisus, & Puteolis nec
opinatò sese Discipulis ostentauit.

Chri. Ann. 92. *Tert. de præscript. c.36. Euſ. l. 3.c.13* Ioannes interim Euangelista, qui *S. Ioã-*
Asianas curabat Ecclesias, impietatis *nes Ro-*
reus constitutus, Romam à Procon- *mam*
sule mittitur; siue id Thianæo, siue au- *mitti-*
thore Ebione factum. ibi feruentis *tur.*
olei dolium expertus innoxius, in In-
sulam Patmos relegatur. hoc veluti
præludio Tyrannus sæuissimũ in Chri- *Rele-*
stianos bellum auspicatur. est autem *gatur.*

Patmos

Patmos vna ex Sporadibus passuum in circuitu habens triginta millia. *Plin. l. 4. c. 12*

Sæuiente iam, quod diximus, in Christianos bello, Cletus Rom. Pont. Martyrio coronatur, exactis in Pontificatu annis ferè XIII. *Strab. l. 10.*

Cleti Martyrium.

Post Cletum Clemens sufficitur antiquus Principum Apostolorum Alumnus. Chri. Ann. 93.

Antipæ Martyriũ.

Sub hoc idem tẽpus Antipas illustris Martyr Pergami coronatur, de quo in sacra Apocalypsi mentio habetur. *Iren. l. 1. c. 2.*

Glabrio Coss.

Illustrissimus quoque Acilius Glabrio cum Consulatum vnà cum Vlpio Traiano gereret, vocatus in Albanum ad Iuuenalia, reus impietatis factus *quod ad Iudæorum mores* (inquit Dio) *transisset*, in Theatrum immissus, vt ab immani Leone voraretur, belluam egregiè confecit. en quò sæuissimi Principis venit immanitas. quamobrem posteà (pergit idem Author) eadem ex causa *quod Romanos Deos non coleret:* iussus est interfici. nec minori cum immanitate Corneliam Vestalium Maximam innoxiam, vt vulgò creditum, defodi iussit; cum, vt ait Plinius Cæcilius, suum sæculum illustrari hisce seueritatis exemplis arbitraretur. Chri. Ann. 94. *l. 4. ep. 11.*

Bestijs traditur.

At Clemens Pontifex, cuius erat munus vniuerso Christi gregi prospicere, ad Corinthiorum Ecclesiam, quæ schismate laborabat, luculentam Chri. Ann. 95.

dedit

Iren. l. 3. *c.* 3. *Clem. Alex. Strr. l.* 4. dedit epistolam, quam summis efferunt laudibus antiquiores Patres, ex qua non nisi fragmenta ad nos quædam peruenere. altera quoque ad eosdem eius nomine circumferebatur, quæ tamen non eandem mereri Fidem visa est. Multos eum quoque instituisse ferunt Episcopos, apud Galliam in primis, in quibus Dionysium Parisiensibus tribuit, Eutropium Sanctonensibus, Nicasium Rothomagensibus, Taurinum Ebriocensibus, Lucianum Bellouacensibus.

Chri. Ann. 96. Domitiani anno XIII. Iosephus viginti libris comprehensum de Antiquitatibus Iudæorum Opus absoluit, ætatis annum agens LVI. ex quo illum Adolescentiam egressum vix fuisse constat, cum iam bello clarus sub ipsum Vespasiani in Iudæam aduentum triginta ferè ante annos militaribus apud Galilæam copijs præerat. ex ephœbis autem vix egressum cum suis ipse Quibus patrocinaturus, Romam, vt diximus, perrexit nisi; si quis mendum in numeri notas irrepsisse potiùs contendat. pollicetur autem editurum se libros quatuor de Iudæorum opinionibus quoad Deum, ac de legibus: compendio insuper bella omnia, quæ Iudæi ad illud vsque tempus gessissent traditurum; quæ, an postea præstiterit, ignoratur; commentarij certè huiusmodi non extant. *Iosephus Antiquitatũ opus absoluit.* *sup. ad an. Chri.* 58.

Se-

Sequenti anno Ioannes Euangelista Chri. suam scripsit Apocalypsim *de cuius firmitate, quòd aliquandò dubitatum sit, Author fusè docet quid hac in re sentiendum, qua etiam occasione Cerinthi dogmata (qui ab aliquibus Apocalypsis Author est creditus) distinctius recenset.* Ann. 97.

Apocalypsis.

Cerinthi dogmata

Persequutio interim in Christianos instituta, quæ alibi deferbuerat, gliscere in Aula Principis cæpit. itaque suorum quoque cruoris sitiens Tyrannus, Flauium Clementem Patruelem Exconsulem, & vt quidam tradunt duos insuper eius Filios, quos iam Cęsares destinauerat, ob Christi Fidem mactari iubet, Flauiam porrò Domitillam Neptem exilio mulctari; quo sibi, vt ait Suetonius, exitium haud dubiè maturauit. Stephanus quippè eiusdem Domitillę Procurator, ad Tyranni colloquium admissus, libellum porrigere se, coniurationis indicem, simulans, exerto, quẽ brachio adiunctum abdiderat, gladiolo, diutiùs licèt obluctantem, confecit. quo audito Romanus Populus illius Statuas aureas, atque argenteas (nam vilioris materiæ renuerat) conflauit: Arcus euertit: è Saxis nomen erasit: Octobris quoque nomen, quod in suum Tyrannus mutauerat, restituit, eraso ex omni ære, ac marmore infausto vocabulo. Atigerat tùm Imperij annum XVI. ætatis VI.

Chri. Ann. 98. *Suet. c* 15. *&* 17. *Dio. Euſ. l.* 3. *c.* 1.

Flauius Clemẽs occiditur

Domit. Imp. occiditur

Eo

Dio. in Neru. Eo sublato Cocceius Nerua, non Senatus modò authoritate, sed Militum etiam assensu, capessit Imperium; statimque Christianos restituit, deque ijs quæstionem in posterum haberi vetat: grauissima Iudæorum tributa condonat. *Nerua Imp.*

Hoc loco Author non pauca ex Eusebio, ac alijs habet de Ioanne; quem cum reliquis exulibus nouus Princeps liberum esse iusserat, deque eius Euangelio, ac Epistolis. lib. 3. c. 15.

Chri. Ann. 99. Porrò Nerua cum se viribus fatiscentem, tanto imparem oneri agnosceret, Vlpium Traianum Hispanum hominem, cum legionibus apud Germaniam agentem, adoptatum, Cæsarem dixit.

Hoc eodem anno moritur Apollonius Thianæus, incertum quo mortis genere. quippè (quod Philostratus etiam fatetur) immortalem se à suis credi percupiens, omnium consortium moriturus vitauit. *Thianæi obitus.*

Chri. Ann. 100. At vero Imperij anno vix exacto Augustus, octogennario maior decessit, laudatusque funebri oratione est à Cornelio Tacito, quod quidam tradunt, nam alioquin eius oratio desideratur. *Nerua moritur.*

Libri I. finis.

AN-

ANNALES ECCLESIASTICI CAESARIS BARONII S. R. E. CARD.

A LVDOVICO AVRELIO Perusino.

In totidem libellos breuissimè redacti in quot magna volumina opus ab Authore digestum est.

LIBER II.

Respondens secundo Authoris Tomo.

COCCEIO Nerua Augusto vita functo, Imperium capessit Vlpius Traianus ex Italica, Turdetanę Prouinciæ Vrbe, in Hispania, cum adhuc in Germania cum legionibus ageret. Is optimus alioquin Princeps, quique, literis ad Senatum datis, iure etiam iurando contestatus fuerat nullum se Virum bonum vita priuaturum, in Christianos tamen, Chri. Ann. 100.

Dio in Tra.

tamen, hominum innocentissimos, vt qui maximè sæuijt, quòd auitę religioni apprimè esset addictus, illiusque cultum obsoleſcere æquo animo non ferret. sanè eo ipso tempore Oracula fermè conticuerant: raræ admodum offerebantur victimæ: mira erat Templorum solitudo: edicto itaque vetuit Fidelium sodalitia, & coitiones. Clementem Pontificem mitiùs tunc quidem apud Cimmerium Bosphorum relegauit, non sine illius Gentis bono, quæ Christi Fidem amplexa est. Sanguinem tamen pro Christo fuderunt Nereus, & Achilleus Flauiæ Domitillæ Eunuchi, alijque complures impietatis in Deos postulati, cumque His Regia ipsa Virgo pridem, vt diximus, Domitiani iussu exilio mulctata. porrò Traiani gloriam non tantùm sæuitia in Christianos decolorauit, verùm etiam vini vsus nimius, ac Puerorum turpissimi amores.

Plut. opusc. cur. orac. &c.

Iuu. sat. 6.

Plin. l. 10. ep. 47.

Oracula silẽt.

Clem. Pont. relegatur.

Dio. in Iuliã. Cass.

Traiani vitia.

Chri. Ann. 101. Secundo Traiani Principatus anno Ioannes Euangelista Ephesi diem clausit extremum. *quod probat Author ex Patrum sententijs, quas recenset, reiectis eorum delirijs, qui illum viuere, & in Iudicij extremi tempora seruari contendunt.* peruenisse autem illum ad ætatis annum IIC. Beda tradit, & ex eo recentiores quidam: nonagesimum quidem certè excessisse nemo negat.

Ioãnis Euãg. mors.

Bed. d. sex. atat. Vsuard. Martyrol.

Ioannis mortem sequutum est Clementis Martyriũ apud Taurică Chersonesum, vbi, suspensa ad collum anchora, in mare proiectus est. per multa deinde sæcula, annua eius solemnitate reuertente, per tria passuum millia, mare retrocedere consueuit, vt siccum præberet iter eius inibi sepulchrum inuisentibus. *hic nonnulla Author addit de Epistolis, aliisque à Clemente editis operibus, deque illorum fide, atque authoritate.* Chri. Ann. 102. *Greg. Turo. d. glor. Mart.*

Eo sublato, vacasse aliquot mensibus Romanam Sedem par est credere, dum nuncius Romam è tam diffita Regione perueniret. sufficitur itaque Clementi Anacletus, regitque Ecclesiam annos amplius IX. Chri. Ann. 103.

Eodem hoc ineunte anno Traianus Vrbe cessit moturus arma in Decebalum Dacorum Regem superbissimum. Hunc igitur ingenti affectũ clade humi procumbentem excepit, quem Domitiani ignauia fecerat ferociss imum. hoc in bello egregiam Traiano nauasse operam tradunt Placidum insignem Ducem, qui Christianus postea factus, Eustachius dictus, martyrium sub Hadriano Principe est consequutus. *Dio. in Tra.*

Plinius Bithyniã regit. C. Plinius Consulatu functus, Bithyniam Prouinciam administrandam suscepit. eò cum perueniss et, & Christianorum ibi multitudinem innume- Chri. Ann. 104.

ram

ram reperiſſet, Principem ea ſuper re consuluit. ea in Epiſtola multa de illorum moribus, atque innocuo vitæ genere ſcribit. Traianus porrò, vt perquirendos vetuit, ita in propoſito conſtantes puniendos cenſuit. ex ijſdem Plinij literis conſtat, ſi quis ex ijs eſſent Romani Ciues, Romam mitti conſueuiſſe. hinc poſſumus intelligere, immenſum planè fuiſſe numerum eorum, qui Romæ Martyrium ſint paſſi; quando non ex his tantùm, qui Romæ agerent Chriſtiani, ſed nobiliores quique toto orbe Romano capitis iudicium ea in Vrbe ſubire cogerentur.

de Chriſtianis refert.

Martyres cur Romæ innumeri.

Chri. Ann. 105. Chriſti anno CV. prodijt Elxai Iudæus Genere, cuius deliria ex Epiphanio repete.

Elxai Pſeudopropheta.

Epiph. hær. 19 Dio. in Traia. Traianus Dacico perfunctus bello, Romam cum redijſſet, plurimas ibi barbararum Gentium Legationes audijt; paciſque artibus iam intentus, Bibliothecas extruxit; Forum omnium pulcherrimum ædificauit, mediam columnam cochlidem immenſæ altitudinis (quæ adhuc ſupereſt) ſtatuit. cuius demum in vertice, dum hęc ipſa prodimus, Sixtus V. P. M. Principis Apoſtolorum ingentem ex ære, magna impenſa, ac ſtudio conflatam Statuam inauratam, ſacris ritibus ſolemniter collocabat. neque eam tantùm, ſed & aliam haud abſimilem Paulo

Traiani forũ & columnæ

itèm Apostolo in alia, quæ gemina est, Romæ Columna, Antonini olim monumentum ad Viam Latam consecrabat. porrò eorumdem Apostolorum iam tùm Romæ Trophæa, vt vocarunt, ab Anacleto, & alijs fuisse erecta exploratum est. *Euseb. l. 3. c. 24.*

Traianus in orientẽ

Cæterùm Traianus bellicæ gloriæ in primis studiosus. haud diù in Vrbe moratus, Armenis, ac Parthis, alijsque finitimis Populis bellum infert, ac fœliciter conficit. Quo tempore Abagarus Edessæ Rex (haud dubiè senioris Abagari Nepos, quem Christi temporibus vixisse diximus) muneribus eum coluit, eidemque fortassè gratificaturus, Christianam Religionem insectatus est. itaque cum Barsimeo eiusdem Vrbis Episcopo, martyrium passi dicuntur Sarbelius, qui Idolorum Sacerdos fuerat, eiusque Soror Barbea. Chri. Ann. 107. *Dio. in Tra. Suid.* *Abagarus Iunior* *Rom. Marty rol. 29 & 30.* Chri. Ann. 108.

Insignes Martyres.

Eodem quoque victoriæ cursu, Babylonem, ac Chtesiphontem occupauit: Bosphoranos, Cholcos, Iberos, Sauromatas subegit. cumque exercitum de more lustraret, inuenisse in eo dicitur Christianorum vndecim millia, in quos cum animaduertere tutò vix posset, eos ignominia notatos in Armeniam amandauit. Romulum domus Præfectum V. C. non aliud ob crimen, verberibus seruiliter affectum, capite mulctauit, eodem quo- *Marty rol. Ro. die 5. Sept.*

que

Meta-ph. 6. Sept. que tempore passum putamus Hyacintum, qui eidem Cæsari erat à cubiculo. at quos diximus Milites eos ipsos existimamus, qui haud longè dispari numero, in syluis Ararat eiusdem Prouinciæ Montis Crucibus posteà affixi sunt.

Eodem Crucis supplicio affectus est sequenti anno Simeon Hierosolymitanus Episcopus, Frater Dominiran num agens vigesimum supra centesimum. *Simeō Fr. Domini.*

Ignatius quoque, Vir Apostolicus, qui non Antiochenæ tantùm, sed totius Orientis Ecclesijs pręesse eo tempore videretur, Romam bestijs tradendus amandatur. ex itinere Epistolas, quæ ad nostram vsque ætatem integrę, magno Dei beneficio, peruenere, ad diuersas dedit Ecclesias, ex quibus Apostolicæ traditiones, antiqui Ecclesiæ ritus, ac mores, aliaque complura aduersus huius temporis Sectarios habentur. Sub idem tempus martyrium subiere Philippis apud Macedoniam Zosimus, ac Rufus: Parmenas quoque qui vnus fuit, ex septem primis Diaconis, & alter quoque Zosimus Miles in Pisidia. *iniecta autem hìc ab Authore Dionysij Areopagitæ mentione, dum de Ignatio scribit, longam, ac profícuam instituit disputationem de eodem Dionysio; quo Is tempore obierit, an vnus idemque fuerit* *Ignatius.*

Chri. Ann. 109.

Parisiorum Episcopus, ac Areopagitas; quæ scripta ediderit. quoue ea tempore promulgauerit, aliaq. id genus, quæ in disquisitionem vocari consueuerunt.

Porrò Ignatius, quem superiore anno Romam adductum memorauimus, Vir ætate, ac morum probitate in primis venerandus, Theatro clausus, immissis leonibus, per summam immanitatem, laniatus est. eius, quæ superfuerunt ossa, à Discipulis, qui comitati eum fuerant, Antiochiam fuisse relata, honorificèque excepta, ac seruata, Chrysostomus egregia oratione testatur. ea verò magno fuisse precio redempta par est credere; cum constet antiquo Romanorum iure reliquias defunctorum transferri veticum fuisse, scribatque Plinius pro ea re impetranda Collegium Pontificum adiri consueuisse. Ignatio (quòd ipse prædixerat) Successor ab Antiochenis datus est Hero eiusdem Diaconus. Aliarum quoque Vrbium Episcopi complures, quasi Authores seditionum, à proprijs abstracti sedibus, Romam fermè trucidandi abducebantur: ex his fuit Onesimus Pauli Assecla, Ephesiorum Episcopus, qui lapidibus est obrutus.

Ignatius à leonibus laniatus

Reliquiæ redẽptæ.

Onesimus lapidatus.

Chri. Ann. 110. 111. *Euseb. chron. & hist. l. 3. c. 30. Hier. descript. eccl. Chrys. Serm. de S. Ignat. Plin. l. 10. ep. 37.*

Post hæc martyrio coronatur Anacletus vbi egisset in Pontificatu annos amplius nouem. res ab eo gestæ communi scripturarum naufragio interie-

Anacleti martyrium.

Chri. Ann. 112.

re.

re. sepultus est iuxta corpus B. Petri, cui ipse monumentum dudum erexerat, quod *Trophæum*, ac *Memoriam* nuncuparũt. tres ab eo Epistolæ conscriptæ leguntur, in quarum postrema tres Patriarchales Ecclesias ordine recenset. non æquo hæc animo Nouatores accipiunt recentiora hæc esse nomina contendentes, cum tamen constet ab Hebræis, ac Ægyptijs fuisse vsurpata, vt fas est legere apud Herodotum cum de sacris Ægyptiorum agit, & in epistola Hadriani Cæsaris ad Seruianum.

Fl. Vopisc. in Saturnin.

Post dies non amplius tredecim Successor Anacleto datur Euaristus, qui totidem ferè sedit annos, in Græcia natus Iuda Bethleemitico Iudæo Patre. Hic Titulos diuisit Presbyteris, hoc est diuino cultui dicatas Ædes; à rebus Fiscalibus desumpto nomine *de huiusmodi tàm Fiscalibus, quàm Ecclesiasticis Titulis eruditè hic quædam addit Author, quæ apud eum require; quemadmodum, & ea, quæ de Diaconis tradit.* Alij quoque ab Anacleto, hoc eodem anno martyrium Romæ subierunt, in quibus Maro, Euthiches, Sulpicius, Seruilianus, Hiacynthus, & Cæsarius quorum memoria tabulis Ecclesiasticis est adscripta. Horum cædem vltus videtur Deus immisso fulmine, quo Agrippæ Templum celeberrimum magna ex parte conflagrauit.

Euaristus PP

Tituli qui.

Insignes martyres.

Iren. l. 2. c. 3 Optat. in Parm. l. 1. Aug. ep. 165. l. si quãdo C. de bon. vac.

Ab anno Traiani Principatus XIV. ad VIII. Hadriani, obierunt sex Hierosolymorum Episcopi, quos Eusebius recensetj vt conijcere hinc liceat horum Principum gladium maximè tùm ea in Vrbe sæuijsse, quo magis dolendum nobilissimæ Ecclesiæ Acta, ac Monumenta excidisse. Chri. Ann. 113. *Euseb. in chron.*

Traiani fœlicitas, & fortuna vicissitudo.

Traianus interim, qui se longius quàm Alexander, progressurum iactabat, transmisso ante biennium Euphrate multas latè Regiones, quà deditione acceptas, quà vi subactas, Romano Imperio adiecit. hanc veluti gloriæ metam cum attigisset, retrò postmodum cedere coactus est, rebellantibus namque vndique, quos subegerat, Populis, Romanosque milites passim cædentibus, liberos eos facere necesse habuit. tonitrua insuper, fulgura, ac miræ magnitudinis grando constantiores quosque exterruerunt. ad hæc, muscarum vis ingens repentè ebullijt, quarum fœdo contactu edulia corrumpebantur, humana corpora molestia vix tolerabili afficiebantur. quo factum, vt Traianus magnitudine curarum pressus, viribus corporis destitutus, nec Romam reuerti, nec quidquam anteacta vita dignum agere in posterum potuerit, quam Romani exercitus, Romanique Principis fœlicitatem haud diuturnam, prædixisse diù anteà ferunt sanctio- Chri. Ann. 114. 115.

res

res quosdam Christianæ Religionis Antistites, ad nutantem quorundam Fidem sustentandam.

Chri. Ann. 216. Alia deindè haud quaquam leuior iniecta est Traiano cura, ex Iudæorum quasi ex composito, non vno in loco, excitatis seditionibus. placet eas Dionis verbis recensere. *Per idem* (inquit) *tempus Iudæi, qui circa Cyrenem incolebant, Andrea Duce constituto, Romanos, & Græcos sine discrimine statim obtruncant: nec cæde contenti, humanis carnibus vesci cœpere. horum intestinis stillanti adhuc sanguine cincti; tùm pellibus obuoluti: multos per medium vsque ad verticem secuere; plures bestijs laniandos obiecere: alios inter se digladiari coegere, vt ducenta amplius hominum millia eo furore, & armis Iudæorum interierint. nec minori clade Cyprij affecti fuere. siquidem in ea Insula, Duce Alcemione, conspirantes Iudæi, circiter ducenta, & quadraginta capitum millia trucidarunt, qua facti atrocitate Iudæus de cætero legibus, & pœnis Cyprum attingere prohibetur: si autem vi tempestatis, vel per errorem illùc delatus fuerit, ceu capite damnatus statim morte mulctatur. sed inulta clades non mansit, nam Traianus misso cum exercitu Lucio, cum antecedentibus alijs Ducibus, Iudæos, qui per vniuersum terrarum orbem tan-* *Iudæorum furor.*

tum cædis ediderant profligauit. hactenus Dio. quibus Eusebius addit eadem molitos in Mesopotamia, ac alibi, eadem passos. *Euseb. i chro. & hist. l. 4. c. 2*

Terræmotus Ad hunc annum Traiani Principatus XIIX. spectat funestissima Antiochiæ clades ex horribili terræ succussione, quam, innumera ferè Incolarum, Accolarumque multitudine cum Pedone Consule, alijsque primi nominis Viris interemptis, Traianus ipse, qui in hybernis ibi cum exercitu erat, vix euasit. Historiam lachrymabilem habes apud Dionem, siue Xiphilinum, qui eam ob oculos ponit, ac veluti in scœna exhibet omninò legendam. Chri. Ann. 117.

Papiæ error. Sub idem tempus Authore Papia Hieropolitano Episcopo, Ioannis Auditore, Viro alioqui sãctissimo doctissimoque, ex falsa Apocalypsis interpretatione, irrepsit error ille *de millenario*, qui tamen non eò vsque progressus est, vt transiret in hæresim, nisi postquam demum in Apollinare, qui Papiam peruicaciùs propugnauit, à Damaso damnatus est; vt suo loco dicendum erit. Porrò Papias multa scripsit, dequibus apud Eusebium mentio habetur. Chri. Ann. 118.

Traiani facinus indignũ. At Traianus, qui nullum vexandi Christianos finem faceret, sæuitia, quę ad dementiam spectauit, quamque non excogitasset Nero, Anthiochiam reuersus, quinque Virgines Fidem palam

lam profitentes comburi iussit, cineribusque æri commixtis, vasa quædam conflauit ad vsum lauacri, quod magnificentissimum exrruebat. verùm, vt ait Nicephorus, quicumque ea ingrediebantur, vertigine correpti, cum impetu procurrentes concidebant. tùm Cæsar eadem vasa in Virginum combustarum formam efficta, pro balneo collocat. dicitur posteà Præfectis mandasse, ne Christianos amplius vexarent, quod tamen non nisi postremo vitæ tempore imperatum constat. obijt enim haud ita multo post apud Selinuntem Cyliciæ Vrbem, quæ Traianopolis deinde est appellata, vigesimo Principatus anno non dum exacto, vitæ altero, ac sexagesimo. extinctus est non sine veneni suspicione. Solus, aut certè primus intra Vrbem sepultus, nam cineres Romam relati, aurea in Vrna sub columna in eius Foro vt diximus, erecta collocati sunt. Hadrianum, qui post eum imperauit, extremo vitæ tempore adoptasse ferunt; alij negant, fictamque eam adoptionem à Plotina Augusta, quæ Hadriano studeret, contendunt.

l. 3. c. 23.

Chri. Ann. 119.

Traiani mors.

Dio. in Trai.

Eutro. l. 8.

Chri. Ann. 120.

Hadrianus itaque Augustus Appellatus, ex Syria redux, Clementiæ, ac Liberalitatis specimen insigne dedit; iurauit enim nullum se Senatorem nisi ex S.C. punieturum. H.S. nouies mil-

Hadriani Clemẽtia.

Hadrianus Imp.

ac liberalitas

lies, hoc est milliones, vt nunc loquimur, XXII. cum dimidio, Fisco debita condonauit. quod non Scriptores modo, sed marmoreæ etiam tabulæ, ac Numismata testantur. Verùm, quòd Traiani calcare vestigia instituisset, persecutionem in Christianos instaurauit; odio præsertim in Iudæos, quorum efferata fæuitia mortalium omnium inuidiam excitauerat, quæ in nos veluti cognatos redundabat. itaque Eustachium strenuum illum Traiani Ducem cum Vxore, ac Liberis, leonibus tradi iussit, à quibus cum non læderentur, alterius veluti Phalaridis iussu, candenti æneo Tauro clausi sunt. horum memoriæ extructum Romæ Templum adhuc perstat.

Panuin. in fast. Adolf. d. numism.

Eustachius ĩsignis mart.

Nicephl. 3. c. 29. Euseb. l. 4. c. 7

Noui Hæresiarchæ.

At non his tantùm, verùm nouis subindè Hæreticorum Sectis Ecclesia vexabatur. harum Authores fuere Basilides, Saturninus, & omnium impuriſſimus Carpocras, qui Christiano nomini turpem notam adsperſit. *horum dogmata, aut veriùs portenta, precatus veniam, fusè Author recenset ex Patribus, qui ea ipsa non sine rubore, atque horrore prodiderunt.*

Iren. l. 1. c. 23 Tert. de præscr. c. 46.

Euaristus Papa moritur Alex. Papæ.

Secundum iam annum in Imperio agente Hadriano, moritur Euaristus; Alexander sublegitur homo Romanus, qui decennio amplius Pontificatum administrauit. Iudæi apud Pa-

Chri. Ann. 121. *Euseb. chron.*

lesti-

Hier. in Daniel. c. 9.

lestinam Romanum iugum excutere cum voluissent, ingenti accepta clade, Rufo Duce, ad officium rediere.

Hadriani Peregrinatio

Hadrianus verò Vrbanis rebus compositis peregrinationem per vniuersum Romanum Orbé instituit: quod Prouincijs gratissimum accidit, vbique enim, & munificentiam in Populos, & Seueritatem in Præfectos exercuit, multis ex His supplicio affectis, quod turpem quæstum fecissent, ac Iustitiam vænalem habuissent. quamobrem cuius est nummus huiusmodi cum inscriptione. LOCVPLETATORI ORBIS.

Munificëtia

seueritas.

Christianos autem (quòd de eorum inexpugnabili constantia vbique audiret) supremam veluti potentiam ostensurus, diris subiecit quæstionibus, ac supplicijs addixit acerbissimis.

Chri. Ann. 123.

Galliam post Italiam cum peragrasset, in Britanniam concessit. ea in Insula murum duxit octoginta passuum millia habentem, qui Romanos à Barbaris diuideret. partem eam exclusisse murum tradunt, quæ nunc Scotia dicitur, quod non dùm deuicta, aut certè non dùm exculta, aut Romanis frequens esset. Post hæc in Galliam reuersus, Alexandrina audita seditione, turbatus est. ortam eam esse comperit ob inuentum multos demum post annos Apim, certantibus inter se ad

Britãniamuro diuisa.

Seditio Alexãdria.

inter-

internecionem Ægyptijs, apud quem potissimùm collocandus esset. Erat autem Apis, vt tradit Herodotus, vitulus certis cum notis veluti Deitatis indicijs, hunc Vitulum sanctiùs ab Ægyptijs coli solitum, ac secretiùs adseruari, Cambises Persarum Rex curiosiùs inspicere cum voluisset, Sacerdotum fraudem stomachatus, ac Populi deridens insaniam, educto gladio per femur transfixit.

Apis Ægypti Deus.

Herodot. in Tal.

Per idem tempus Asiam Proconsul administrabat Arrius Antoninus postea Augustus cognomento Pius. ad eum quandòque pro tribunali sedentem Christiani magno numero conuenerunt, apud quem Christi Fidem magno animo cum profiterentur imparem se illis puniendis sentiens, constantiam admiratus; *habetis*, inquit, *restes, ac pracipitia, si tantoperè mori concupiscitis.*

Tert. ad Scap. c. vlt.

Hadrianus in Hispaniã

Sequenti anno Hadrianum Hispanias peragrasse ferunt. Quæ porrò ibidem gesserit quòd ad res nostras ea non pertineant, præterire satiùs duximus. ea cognoscere si quis velit, ex Dione ac Spartiano petat.

Chri. Ann. 124.

Hadrianus Athenas.

Ex Hispania rectà in Achaiam nauigauit, Athenasque petijt, vbi Eleusinia suscepit Sacra, multaque Athenienfibus, Leges in primis, contulit, ex Draconis, Soloniſque veluti officina recusas. porrò Eleusinia quæ dixi-

Chri. Ann. 125. *Spart. Dio.*

Eleu-

mus,

Cassiodor. in chron.

mus, Sacra obscæna, & homine, ne dum Romano Principe indigna fuisse, ex Profanis æquè Scriptoribus, ac Sacris exploratum est. non igitur mirum si in nostram Religionem impius Is fuit, qui in suam pius, vel cum dedecore videri voluit. eiusdem itaque impiæ pietatis studio Publium sanctissimum eius Vrbis Antistitem martyrio affecit. *sinia sacra.*

Chri. Ann. 126. *Spart. Euseb. in chron. Adolf. de numism.*

Athenis cum hyemasset, Romam prius regressus, Africam deinceps perlustrauit, quò non ita multò ante colonias deduxerat, quòd Iudæorum ibidem seditiones multos mortales absumpsissent. hoc, alijsque multis beneficijs cumulati Afri, numismata procuderunt huiusmodi cum inscriptione RESTITVTORI AFRICÆ. *Hadrianus in Africam.*

Ab hoc anno, ad XIX Hadriani, quo iterum Hierosolyma est euersa, sex alios eiusdem Vrbis Episcopos Eusebius recenset. Sanè tam crebra illorum successio, vt alibi indicauimus, haud obscurè arguit grauem inibi persecutionem viguisse; nec mirum, cum, Cæsarum edictis incendio excitato, Iudæi identidem faces subderent, ac Romanum mucronem exacuerent.

Chri. Ann. 128.

Ex Africa Cæsar Romam cum venisset, iterum Athenas appulit, in Orientem profecturus. ea in Vrbe Ioui Olympico constructam ædem dedi- *Hadrianus iterum Athenis.*

cauit, Aram sibi erexit. Tùm Quadratus Vrbis Episcopus Apostolorum Discipulus, & Aristides insignis Philosophus prò Christiana Religione libros Principi obtulerunt. Quadratus insuper, eo audiente, luculentam habuit orationem. Gentilium verò in Christianos licentia, ac Iudicum sæuitia eò venerat, vt ad Populi tantùm clamores, nulla Iudicij forma seruata, Fideles vulgò ad supplicia raptarentur, rei indignitate motus Serenius Granianus Legatus ad Cæsarem ea super re literas dedit, qui, eo ex Prouincia recedente, ad Successorem Fundanum rescripsit, tumultuaria huiusmodi iudicia non placere. Hadriani literas (nam Graniani non extant) recitat ex Iustino Eusebius. Exindè Hadrianum placatiorem in Christianos redditum ferunt. Athenis autem in Asiam, quæ Minor dicitur, profectus, ea peragrata, in Syriam, atque Arabiam, indè in Ægyptum concessit.

Euseb. chron. Hier. de script. Eccl. & ep. 84.

Hadrianus in Asia.

In Asia cum adhuc degeret, Templa aliquot dedicauit, Prouinciarum Præsides, Vrbiumque Præfectos æquè, ac in Gallia, qui in Reip. administratione peccassent, grauiter punijt. Chri. Ann. 129.

In Syriam autem cum veniisset, Anthiochenis sese infensiorem præbuit, fortassè quòd numerus ibidem Christianorum esset longè maximus. itaque ea ne Ciuitas tam latè aliarum es- Chri. Ann. 130. *Spart. & Dio.*

set

set Metropolis, Phœnicem à Syria voluit seiungere. Hierosolymam pri- *Hierosolyma Ælia dicta.*
dem euersam rursum inhabitari permisit, indito Æliæ nomine, Temploque Ioui è regione Templi Salomonis erecto, quo Gentem mirum in modum exasperauit. quamquam autem in apertam tùm perduellionem erumpere non est ausa, omnia tamen ad futurum bellum opportuna sensim comparare instituit. cuniculos quoque fodit ad effugia; ea forma (vt licet conijcere) qua Romæ, quæ adhuc extant, Cœmeteria. *qua occasione de huiusmodi Cœmeterijs Author eleganter scribit.* Imminentis metu belli territus Iustinus Philosophus præstantissimus, qui Iudæus erat genere, Patria Samarita; anticipandam sibi esse fugam ratus, solitarium quæsiuit locum animi curis tempèrandis, ac veritati indagandæ: Christianum ibi hominem præter spem nactus, sensim ab eo ad Christianam Fidem perductus est. quod ipsemet accuratius recenset. *Iustinus martyr.*

Dial. cum Trip. Euseb. l. 4. c. 8

Ex Syria Cæsar in Arabiam, verte- Chri. Ann. 131. 132.
te deindè anno in Ægyptum venit. At Romæ Aureliano Iudice Alexander Pontifex cum Euentio, ac Theodulo Presbyteris post diros cruciatus martyrij coronam est adeptus; quòd (vt eius habent Acta) multos Senatorij Ordinis Viros insignes, Hermetem in primis Vrbis Præfectum, Chri- *Alex. Papa mors.*

sto

Aqua benedicta.

sto adiunxisset. *cum autem eadem acta aqua benedicta primum illi vsum tribuere videantur, antiquiorem illum fuisse Author ostendit, & tantùm abesse, vt incantationis species dici possit (quod Nouatores criminantur) vt potius illius ope incantationes, aliaque mali Damonis artes dissoluantur, cuius rei exempla hùc affert; ritumque, ex Gentilibus licet desumptum, multorum Patrum authoritate commendat.* Alexandro Sixtus Romanus item subrogatur.

Sixtus Papa.

Antinoi mors.

Hadriani amētia.

At tantoperè commendatus Augustus, in Ægypto cum esset, Antinoo Puero formosissimo, quem in delicijs habebat, morte amisso, muliebriter fleuit, & per summam rei indignitatem, eum inter Deos retulit; Templum extruxit: Aram excitauit: Sacra instituit. Festa dicauit: cudit numismata: Vrbem denique eius nomine ædificauit. laudabilius sanè apud Pelusium Pompeij tumulum erexit. Hac Hadriani dementia ad rem suam vsi Christiani tùnc temporis Scriptores, atque Antistites, exemplo Antinoi haud ægrè Populo ostenderunt, quo loco apud eum reliqua Numina esse deberent, quaue arte, ac ratione ad libidinem Principum ea fuerint inuecta.

Spart. & Dio in Hadr.

Hadriani edi

Ad annum Christi CXXXIII. nihil afferimus. ad sequentem verò spectat

Chri. Ann. 133. 134.

Ha

C. de Edict. D Hadr. toll.

Hadriani edictum, quo vigesima hæreditatis pars Fisco addicebatur, quod, cum annis propè quadringentis viguisset, Iustinianus demùm abrogauit.

ctũ Iustiniano abrogatum

Chri. Ann. 135. Dio in Hadr.

Iudæi, quòd ab Oriente Cæsar abscessisset, animos sumentes, ac vires, in apertam defectionem prorumpentes, omnia ferro, flammisque vastabant. opus itaque Hadriano fuit Iulium Seuerum strenuum Ducem ex Britannia euocatum illùc validis cum copijs mittere. Is nihil potius habuit, quam vt illorum ferociam arte eluderet, vires sensim attereret, ac frangeret, coactam multitudinem cunctatione dissolueret. itaque diuisos adortus commeatibus intercludere, carptim cedere, Arces expugnare, Vicos diruere instituit. hoc pacto serius quidem, minore tamen cum iactura perduelles opprefsit, ac deleuit. itaque bellum tractum ad vsque Hadriani Principatus annum XVIII. Christi autem CXXXVII. excisæ sunt eorum Arces munitissimæ quinquaginta: direpti, ac diruti eorum Vici frequentissimi ferè mille. Prænunciata dicitur postrema hæc eorum clades multis anteà signis. lupos, atque hyenas Vrbes ingressos noctu, atque interdiù vlulasse ferunt. Salomonis sepulchrum augustissimum spontè, nulloque impellente corruisse.

Iudæorũ rebellio.

Cladis signa.

Chri. Ann. 136.

Hoc anno sæculi sexto, ac trigesimo

Ieiunium

quadragesimæ mo Eusebius quadragesimale ieiunium Teleſphori Romani Pōtificis authoritate inſtitutum tradit. ſed errore tēporis labitur, cū Is non dum Pontificatū inijſſet. illud quoque animaduertendum, quod alibi monuimus, ieiunium hoc Apoſtolorum tempore inuectum, & ad Teleſphorum vſque, ex traditione, piaque conſuetudine ſeruatum, edito ab eo Decreto, ſtabilitum, & ex præcepto deinceps ſuſceptum. *Euſeb. chron.*

Iudæi Hieroſolymã aſpicere veteriti. Poſtremæ huic cladi qui ſuperfuere Iudæi, Hadriani decreto vetiti ſunt Sacram Vrbem ex editioribus etiam locis quantumuis remotis aſpicere, ne dum incolere. Suem quoque ex marmore ea ſuper Vrbis porta, qua Bethleem itur, collocauit: planè vt Iudæi ſi minus Edicto, Vrbis acceſſu arcerentur, inuiſi certè aſpectu Animantis fugarentur. porrò æquè infenſus Chriſtianis Princeps, eorum Fidem abrogaturum ſe ratus iniuria loci, Caluario in colle Iouis, ac Veneris ſimulacra conſecrauit: apud Bethleem Adonidi Fanum ædificauit. Chri. Ann. 137. *Dio. in Hadr.* *S. Paulin. ep.* 11. *Hier. ep.* 13. *Ambr. in Pſ.* 43.

Hadrianus Romã reuertitur. Decimoſexto demùm anno Romam reuertitur, à qua tamen quietis amans, ſubindè Tybur recedebat, Villa inibi magno ſumptu ædificata. at non perindè Chriſtianis hominibus à delatoribus quies'. Martyrij coronam tùm quidem adepti Getulius cum Fratre Amantio Tribuno. Cerealis quo- Chri. Ann. 118.

que

que vicariam tùm Præfecturam agens. qui, quòd immolare Idolis victimas recusarent, igni sunt traditi. Getulium Virum sequuta est Symphorosa cum septem Filijs, ac Presbytero Exuperantio.

Chri. Ann. 139. *Spart.* & *Dio.*

Quietem porrò Hadrianus ita non inuenit, vt, morbo correptus, qui in hydropen euasit, vitæ tædio, mortem sibi conscisscere haud semel enisus fuerit. Seruos quoque, ac Medicos, vt se ferro, aut veneno conficerent enixè precatus, recusantes ita increpuit, ac terruit, vt, aut fuga sibi consulere, aut etiam mortem anticipare coacti sint. itaque Antoninus ab eo adoptatus, præter multorum sanè morem, qui Imperium habere malunt, quam expectare, omni ratione, atque arte, adeòque fictis etiam miraculis, quæ à Spartiano recensentur, spem vitæ, ac valetudinis Patri facere conatus est, qua ex re Pij nomen adeptum putamus.

Hadriani mortis cupidus.

Antonino vnde Pij nomen.

Chri. Ann. 140. *Spart.* & *Dio.* *Iul capit. in Anton.*

Eam itaque pietatem (vt fas est credere) exosculatus Hadrianus, quantumuis mortis cupidus, Tribunicia Pium Filium potestate auxit. demum, quod ferro, aut veneno non dabatur, cibi potusque abstinentia vitæ finem inuenit. ætatis annum agens LXIII. qui clymatericus dici solet, Principatus verò XXI. moritur apud Baias, sepelitur Puteolis in Ciceronis olim Villa,

Hadriani mors.

Villa, nec ita multò post Romam transfertur, & in Mausolæo ab eodem Filio propter Tyberim excitato, collocatur.

Antoninus Imperator.

Porrò Antoninus, qui in viuentem Patrem Pius fuerat, in mortuum quoque esse studuit. itaque cum eius Acta Senatus rescindere conaretur, mitissimè intercessit; &, si (inquit) *eius Acta rescinditis, Adoptionem quoque meam abrogabitis:* quo dicto placatiores illos in defuncti memoriam reddidit.

Excreuerat ea tempestate in immensum Christianorum numerus, vt Patres docent, qui eodem fermè sæculo floruerunt. verùm quò magis Christiana res vigebat, eò etiam magis inuidia, &, ex ea, calumnia augebatur, quamobrem etiam Pio sub Principe pijs esse non licuit. Cæterùm Antoninus pacis eximius cultor bellum nisi prouocatus non intulit: Romanum iugum detrectantes Barbaros per Legatos domuit. Iudæos iterum rebellantes, nec finem seditionum facientes, contudit. in Achaia quoque, atque Ægypto turbas repressit. sed hæc diuersis Imperij annis sunt gesta.

Chri. Ann. 141. *Iust. Dial. in Tri. ph. Capitol. in Ant.*

Tert de pr dic.

Faustina Aug. mors,

Tertium porrò agebat Principatus annum, cum Faustinam Vxorem amisit, quæ S. C. consecrata est, additis Statuis aureis, atque argenteis, Flaminis

Chri. Ann. 142. *Iul. cap.*

minibus, ac Templo, quod adhuc su- *& ho-*
pereſt Palatium inter, & Capitolium, *nores:*
niſi fortè illud Iunioris Fauſtinæ, ac
M. Aurelij Viri quis eſſe contendat.
Copioſa hæc ſuccreſcentium quoti-
diè Deorum ſeges, mirum quantum
ſtabiliendæ Chriſti Fidei conferebat.

At Sixtus exacto Pontificatus an- *Sixti*
no X. martyrio vitam finijt. extant *Papæ*
tres illius Epiſtolæ, in quarum vna vni- *mors,*
uerſalis Eccleſiæ Epiſcopus inſcribi- *& de-*
tur. quod cum concoquere Nouato- *creta.*
res nequeant, recens additamentum, *Rom.*
atque impoſturam clamant. ſed nihil *Pont.*
proficiunt; delendæ namque illis eſ- *Primæ*
ſent huiuſmodi nomenclaturæ ex alijs *tus.*
eiuſdem ætatis ſcriptis, atque Autho-
ribus. certè apud Tertullianum Vi-
ctor *Pontifex Maximus*, *& Epiſcopo-*
rum Epiſcopus quodam in edicto ap-
pellatur. Ruffinus Aquileienſis Pre-
sbyter, Sixti Pythagorici Philoſophi
commentarium à ſe tranſlatum Huic
Pontifici attribuit, ſed fraudem Hiero-
nymus detexit. Legitur eiuſdem Sixti
Pontificis decretum, quo ſacra vaſa
non niſi à ſacris Miniſtris contrectari
permittũtur. ſanxit quoque Epiſcopos *Epiſto-*
ad Sedem Apoſtolicam euocatos, ad *la Pon-*
ſuas Eccleſias redeuntes non admitti, *tificia*
niſi ſecum Romani Pontificis literas, *multi-*
(quas *formatas*, alijs etiam poſtea *plices.*
nominibus appellarunt) ſecum affer-
rent. *hac data occaſione Author de his*

Tert. de pudic.

multa,

multa, deque Dimissorijs, Decretalibus, Confessorijs, Apostolicis, alioque nomine censitis Epistolis, ex Patribus sacrisque Concilijs affert. Tertio non amplius die à Sixti morte legitur Telesphorus Græcus, vt ferunt, Anachoreta, qui Pontificatum ad XII. annum protulit.

Telesphorus PP.

Cæterùm Antoninus, qui etiam dum priuatus esset, gladio in Christianos minimè agendum duxit, collabenti auitæ Religioni alia ratione consultum voluit. edicto itaque Sybillarum carmina, aliorumque etiam Gentilium Vatum libros in posterum legi, haberique vetuit, quòd ex his multa in rem suam Christianos sumere cognouisset. de quo apud eum quæritur Iustinus, & post illum alij.

Chri. Ann. 143.

Iustin. ī Apo. Arno. l. 3.

Libri sibillini vetiti.

Quadragesimo quarto huius sæculi anno initum à Marco, post Eumenem, Antiochiæ Episcopatum Eusebius scribit; sequenti porrò nouum Monstrum Valentinum Fidei naufragium passum, nouos Deos, noua Sæcula somniasse. *Huius deliria fusè hìc ab Authore percensentur, neque huius tantùm, sed & aliorum, qui ex eadem errorum Schola prodierunt.* ex his Marcion duos inducebat Deos, bonum, ac malum. duos item Christos, aliaque non sine stomacho, aut risu excipienda. Hos acriter infectati multi ex Patribus, Fidei veritatem veluti à cæno, ac scoria repurgarunt.

Chri. Ann. 144. 145.

Iren. l. 3. 2. c. Tert. Valē.

Valentinus Hæresiarcha.

Marcionis Hæresis.

Tert. de pr. scr. & con. Marc.

Qui

Chri. Ann. 146. 147. 148. 149. 150.

Qui sequuntur anni ad vsque huius sæculi quinquagesimum, nostrarum rerum expertes, prætereundi sunt; quinquagesimo autem Iustinus sanctissimus Martyr testatur se Apologeticam orationem Antonino Augusto, ac Filijs nuncupatam promulgasse. mirum sanè est quanta Is dicendi libertate eo in argumento versatus sit: quid porrò effecerit, inexploratum est. edictum quidem certè pro Christianis ab Antonino promulgatum, post triennium constat.

Iustini Apologia.

Chri. Ann. 151. 152. 153. 154. *Iren. l. 3. c. 3 Tert. con. Marc. l. 8. in fin.*

Tres quoque, qui sequuntur anni steriles à Christianis rebus extiterunt. Quinquagesimo autem quarto, Telesphorus ab inito Pontificatu XII. martyrij palmam adipiscitur. Seprem verò post dies Hyginius Athenienſis ex Philosopho Pont. Max. consecratus est; quo in munere annos omninò quatuor egit. cum Telesphoro alij permulti, *quos Author recenset*, non Romæ modò, sed in reliqua etiam Italia, atque alibi martyrio affecti sunt, quos vltus est Deus multis illatis Romano Imperio cladibus: fame, terræmotu, incendijs, ac Fluminum eluuionibus. itaque Augustus, quod diximus Rescriptum, ad Asiæ Populos pro Christianis dedit apud Iustinum, atque Eusebium legendum. Secundo Hyginij anno venisse Romam ferunt Valentinum, quem diximus, ac

Telesphori Papæ. martyrium.

Hyginius Puta.

Antonini rescriptũ pro Christianis

Euseb. l. 4. c. 12.

Valentinus, ac Cerdo.

Cerdonem. Hi, cessantibus tùm quidem persecutionum procellis, maius enimuerò Catholicæ Ecclesiæ negocium exhibuere. Chri. Ann. 155.

Hygini mors. Pij successio.

Eiusdem sæculi anno LIIX. (nam duobus proximè præcedentibus quid tribuamus non habemus) moritur Hyginus & ipse Martyr: Huic Successor datur Pius ex Vrbe Aquileia, qui annos in Pontificatu egit propè decem. Chri. Ann. 156. 157. 158.

decretū de Pascha.

Pius Pontifex vsum celebrandi Pascha die Dominico ab Apostolis inductum decreto sanxit; cum anteà aliquibus in Ecclesijs, Orientis præsertim, Iudæorū more celebrari XIV. die Lunæ augescentis fuerit toleratum. Chri. Ann. 159.

Antonini Iustitia.

Annum Antoninus agebat I Imperij XXII. cum Iustitiæ illius fama permotos Barbaros complures compulit, vt, depositis armis, eum Arbitrū sumerēt. Eius ptæclara illa vox. *malo vnum Ciuem seruare, quàm mille hostes perdere*. legem Iuliam aduersus Vxores latam, in Viros quoque æquissimè armauit, contra quàm Ælius Verus, ab Hadriano, & ipse adoptatus, paulò antè feciſſet, ea ratione, quòd Vxorem dignitatis nomen esse diceret, non voluptatis, quasi incongruum non sit Viros sepositā Coniuge, alienas Mulieres ad voluptatem quærere. Chri. Ann. 160. 161. *Aur. Vict. in Anton.* *Spart. in Æl. Ver.*

Titulus Pastoris.

Biennio ante eam, de qua mox dicturi sumus, persecutionem in Christianos excitatam, erectum fuisse con- Chri. Ann. 162.

constat Pastoris Titulum, seu Templum in Thermis Nouati, quod multa demum post sæcula pænè collapsum, dum hæc ipsa proderentur, Henricus Cardinalis Caietanus decentissimè restituebat, & Cistercienſibus restitutæ seuerioris disciplinæ Monachis curandum tradebat. *à Car. Caietano instaura tur.*

Chri. Ann. 163. At enim Antoninus, cum regnasset annos tres ferè, ac viginti, apud Lorium Villam diem clausit extremum: iure comparatus Numæ, quippè qui adeò non ciuili, vt nec hostili sanguine maduerit. S. C. inter Diuos relatus, Templum, Flaminem, Circenses ludos, ac Sodales Antoninianos, si quis alius, meruit. matura obijt senectute annum agens LXXV. conditusque est Hadriani Mausolæo, à se anteà, vt diximus, extructo. Eo sublato M. Aurelius Antoninus cognomento Philosophus, ac L. Verus, quos viuente, ac iubente Hadriano adoptauerat, Imperium capessunt. *de Horum Nominibus, quæ multiplicia fuerunt, & subindè etiam apud Scriptores, in Numismatibus, ac alijs Monumentis, immutata, vide quæ hìc tradit Author ad errorem vitandum*, illud quoque animaduertendum, M Aurelium tantùm à Senatu Augustum declaratum, Imperij collegam Lucium assumpsisse, Veri nomine indito, ac Filia in Matrimonium collocata; tùnc verò primùm

Antoninus moritur.

Dio. Iul. Capit. & alij.

M. Aurelius ac L. Verus Impp.

duo simul imperarunt, qui & Diui Fratres apud Iurisconsultos, ac alios dicti sunt. Lucius porrò in Parthos missus, qui Romanum exercitum Duce Seueriano in Armenia cæciderant; in Syria ferè per quinquennium substitit, bello per Legatos administrato. ferunt Lucillam eius Sponsam, Marci Filiam, antequàm Viro iungeretur, à Dæmone correptam, ab Albercio Hierapolitano Antistite, ad hoc Romam euocato, à Dæmonis præstigijs fuisse solutam. Albercium porrò ad pauperes suæ Ecclesiæ alendos frumenti modios ter mille quotannis præstandos, ex Fisci redditibus, impetrasse, qui & præstiti dicuntur ad vsque Apostatæ Iuliani tempora. hæc non ex Actis modò apud Metaphrastem, sed ex ipsis quoque profanis Scriptoribus explorata sunt.

Lucius in Parthos.

Meta. ph. 22. Octob. Iul. Cap. in Marc.

Hoc secundo horum Cæsarum anno, non tàm iussu quàm permissu ipsorum in Christianos persecutio excitatur impellente, ac faces quodammodò subdente Crescente Cynico Philosopho, alijsque eiusdem farinæ hominibus, qui Christianos publicæ quietis perturbatores conclamabant. præ cæteris horum calumnijs impetitus Iustinus, post quàm alteram Senatui Apologiam dederat (quæ perperàm ante aliam ad Cæsares collocatur) martyrium subire coactus est

Chri. Ann. 164. 165.

Persecucio Christianos

Iustini Martyrium.

Iustin. orat. ad Senatũ.

est vnà cum Socijs, quorum certamina ex Actis, quæ extant, pete. Praxedem quoque Sanctissimam Virginem delatam, quòd Cóuentus domi coge-ret, eiusdem testantur acta, ex quibus constat Symitrium Presbyterum, cum alijs viginti duobus in ipso, quem diximus, Pastoris Titulo immisso satellitio iugulatum. reliquit Iustinus suæ disciplinæ Alumnum Tatianum, de quo mox dicturi sumus,

Chri. Ann. 156. 167. *Tom. 1. Bibl. sanct.*

Sexagesimo sexto sæculi huius anno Pius Pontifex primam Epistolam, ex his quæ extant, ad Iustum Viennensem Episcopum dedit, sequenti autem anno ætatis postremo secundam, *quas Author hìc recitat.* Martyrio igitur affectus Successorem habuit Anicetum Syrum genere, qui totidem ferè annis Pontificatum administrauit; sub cuius initium Marcion, nouorum dogmatum impius Assertor, Romam venit, de quo plura Tertullianus, qui illum non soluta tantùm oratione, sed etiam carmine insectatus est. illud mirum eodem ferè tempore Romam itèm accessisse Marcellinam, ex Gnosticorum familia procacem Mulierculam, quæ & Viros docere ausa sit, & fœdissimos Conuentus agere non erubuerit. At enim diuina prouidentia factum par est credere, vt sub eadem quoque tempora Romam accesserint Polycarpus Ioannis Euãgelistæ Discipulus

Pij Papæ martyrium.

Anicetus succedit.

Marc. Marcellinæ

Tert. l. 3. Epiph. hær. 27. & 42. Iren. l. 1. c. 24.

pulus effœta iam ætate Senex venerandus, & Hegesippus morum Sanctitate æquè, ac doctrina insignis, de cuius stylo, atque eruditione Eusebium, ac Hieronymum consule.

Parthi trium phati.

Lucius porrò, Parthico bello fœliciter confecto, Romam reuertitur, & cum Collega Triumphũ agit speciosissimum, dum interim bellum Marcomanicum ambo meditantur; cuius terrore, addita etiam lue, quæ vulgò grassari cæpit, Principes non tàm solliciti, quàm superstitiosi redditi, supplicationes, & lectisternia, & placationum huiusmodi genera omnia per Diuum Puluinaria decernunt, quo factum, vt Mystarum dolo, Populi levitate grauia omnia in Christianorum impietatem referentium, iterum persecutio recruduerit, & vulgò Fideles eo solùm nomine, sacri præsertim Antistites, Populi clamoribus ad supplicia vocarentur. ea de causa Polycarpus Smyrnensium Episcopus, rei Christianæ columen, tot anteà procellis superstes, Triumpho splendidissimo vitam anteactam illustrauit. extat Epistola Smyrnensis Ecclesiæ apud Eusebium, qua eius certaminis Acta recensentur. alios etiam cum Polycarpo martyrium passos Eusebius idem refert.

Chri. Ann. 168.

Chri. Ann. 169.

S. Polycarpi martyrium.

l. 4. c. 14.

Pestilẽtia latè sæuit.

Vulgaris interim lues, quam secum detulisse Lucius cum exercitu remeãs

fere-

ferebatur (quàcumque etenim pertranſiſſet, Vrbes, ac Vici ea ſtatim corripi viſi ſunt) orbe ferè vniuerſo, Romæ inprimis multos mortales abſumebat. itaque ad bellum Marcomanicum ſeruos armare, alioſque præter morem oportuit, neque eos tantùm, quòd bello Punico vſu venit, verùm etiam latrones, & omnis generis ſontes, & criminoſos, inſuper Germanorum auxilia aduerſus Germanos empta. meminit eiuſdem peſtis Galenus, qui tùm Romæ erat, ſed ſtatim, periculo cognito, receſſit in Patriam. illud ſcitu dignum, quod Capitolinus tradit, eam Babylone ortam, cum à milite aurea arcula è Templo Apollinis ſublata, ac reſerata, noxium ſpiritum exhalauit. Diuino factum conſilio exiſtimandum eſt, vt, quem dementes Populi Medicinæ Deum, & Medicorum Parentem crederent, diræ luis haberent Authorem. verùm hæc omnia vulgò ad Chriſtianorum, vt diximus, inuidiam, ſuadente Dæmone, accipiebantur: ſanè omni æuo huiuſmodi in nos querela audita eſt. ea ipſa motus Auguſtinus (cuius ætate Romanum Imperium barbararum Gentium illuuie peſſum ierat) eruditiſſimos, quos de Ciuitate Dei inſcripſit, commentarios ſcripſit.

Opuſc. de præſag. l. 3 c. 3. d. mor. vulg. l. 3. & 6. Sipl. med. l. 9. & in vita.

Peſtilentiæ ortus mirus.

Hoc eodem anno Eccleſiæ Anthiochenæ præficitur Theophilus Vir do-

ctissimus, de cuius lucubrationibus multa Eusebius, ac Hieronymus; deque Hermogene, aduersus quem idem Theophilus scripsit. *Euseb. chron. & hist. l. 4. c. 19. & 23. Hier. de scri pt. Ec. cl. & ep. 15.*

Bellũ Marcomanicum L. Veri obitus.

Instructo iam ad Marcomanicum bellum exercitu, ambo Augusti Vrbe cum copijs excedunt. Aquileiam cum peruenissent, Barbari, qui illùc ferè vsque peruenerant, formidinem, atque terrorem præ se agentes, terga, tùm quidem malè inter sese coalescentes vertunt. At Lucius, dum eodem, cum Collega, vehitur curru, Apoplexia repentè correptus interijt. tùm superstes Augustus Lucij funus curaturus in Vrbem redijt, illumque inter Diuos ex S. C. relatum in eadem, quam diximus, Hadriani mole condit. tùm intermissum repetit bellum: Galenus iussum se Augustum sequi scribit; cæterùm id cum inuitus faceret, Romæ subsistere permissum. Prodierat non ita pridem Impostor quidam Alexander, (cuius fraudes ex morum similitudine exploratas habuit Lucianus) Is Æsculapij sese Interpretem (qui tùm fortè serpentis specie visus dicebatur) venditabat. explorato igitur Dei oraculo, certam Augusto Victoriam spopondit, qua ille spe fretus, hostium viribus inconsultè nimis tentatis, in maximum Legiones discrimen adduxit. hùc spectant quæ de Luciano refert Suida; eum extrema iam ætate, *Anno Chri. 171.*

Galenus.

Gal. de præcogn. ed. Postum. c. 9.

Serpẽs Æsculapius creditus.

Luciani mors.

Lucian. in Pseud.

te, qui omnes proscindere canino dente consueuisset, à canibus laceratum; impietatem demum cum vita exuisse.

Sub hoc idem tempus martyrij palmam adepti Geruasius, ac Prothasius perhibentur. *Geruasius, ac Prothasius martyres.*

Cæterùm cum Christiana vbique res, siuè à Præsidum sæuitia, siuè ab improborum hominum calumnijs, pacem habere haudquaquam posset; Melito Sardensis Episcopus, Vir insignis, luculentam Apologiam & ipse Augusto obtulit. *Melito Sardensis.*

huius fragmenta quadam ex Eusebio Author hìc recitat, additque catalogum tùm librorum, quos edidit, tùm quos ex sacris literis pro authenticis, ac legitimis agnoscit.

Eadem libertate, & doctrinæ fama Apollinaris Hierapolitanus Antistes Apologeticam orationem, aliaque permulta ab Eusebio recensita, scripsit. *Apollinarìs*

Fœcundior sanè Christianæ doctrinæ hæc ætas fuit. Itaque hìc numerandi sunt Philippus, qui in Marcionem scripsit, Gortinensis Episcopus: Modestus, qui in eundem: Musanus, qui aduersus Encratitas: Pinthus Gnosiæ apud Cretam Episcopus, alijque permulti omni disciplinarum genere instructi, qui aut Hæreticorum fraudes, aut Gentilium calumnias ingenij veluti mucrone ingularunt. *Hæresis Mõtani.*

Anno M. Aurelij XI. sæculi LXXIII.

Hæresis Mõtani.

exordium accepit Hæresis, quæ *iuxtà Phryges* dicta fuit, Authoribus Montano, Priscilla, & Maximilla insanis Vatibus, quæ quamuis alia ratione Christianæ rei noxia non fuisset, hoc certè nomine fuit pestifera, quod Tertullianum, tantum Virum, veneficio veluti fascinatum, dementauit, ac Catholicæ Ecclesiæ subripuit; At quis fraudes Dæmonis satis admiretur? ecce tibi, qui non ita pridem Gnosticorum, quas retulimus, turpitudines inuexit, his cum se parùm profeciſſe animaduerteret, Ieiunijs, Continẽtia, Martyrio, Vaticinijs, rem agere aggreditur. verùm enimuerò dolum non satis occuluit; adeò namque in aduersam, à Gnosticis, partem à recta virtutis orbita declinauit, vt, cum sese iam proderet, diutiùs impunè delitescere nequaquam valuerit. itaque Viri doctissimi in Montani dogmata stylum acuunt, Hi fuere Apollinaris, Apollonius, Milciades, Serapion, alijque non pauci: imò Tertullianus ipse, qui, huiusmodi deindè larua deceptus, omnibus intentis neruis, eidem patrocinatus est. Verùm quod ad Montànum spectat; fuisse illum Eunucum tradunt, seque Paracletum à Christo Domino promissum Ecclesiæ venditasse. fanaticè autem mira per rerum inuolucra, non ipse tantùm, sed ipsius etiam, quas diximus, Prophetides vaticinaban-

Euseb. chron. & hist. l. 5. c. 15. Epiph. her. 48 Hier. ep. 54.

Scriptores aduersus Montanum.

Mõtani dogmata.

bantur: continentiam ità commendabat, vt coniugia damnaret, iuberet diuortia. Ieiunia plus quàm Iudaica superstitione sanciuit. Martyrium ita per simulatum Idolorum cultū (quod Gnostici factitabant) non declinandum, vt sponte, ac per voluntariam sui delationem subeundum præciperet. alia id genus de Montani erroribus referuntur; quò magis Tertulliani deplores casum, qui Vir alioqui prudentissimus, doctissimusque mulierc-ularum commentis traduci se puerili-ter passus sit eius, post lapsum, ineptias, ac deliria, habes apud Pamelium in Paradoxis (quæ vocat) Tertulliani, ab eo collectis.

Chri. Ann. 174. *Iren. l.* 1. *c.* 3. *Euseb.* *l.* 4. *c.* 27. *Epiph.* *hær.* 46.

Tertulliano non absimilis Tatianus, Syrus genere, ex Platonico Philosopho Christianus, Iustino Martyre Cathechista; multa Romæ, ac alibi, docuit, multa scripsit proficua æquè, ac honorifica; in primis autem, egregium volumen aduersus Gentes. in Orientem cum reuertisset, in hæresim lapsus, Encratitarum Author extitit. Continentiam, & ipsi, ita commendarunt, vt Matrimonium à scortatione nihil differre existimauerint. sacra Mysteria aqua, non vino peragebant, ex quo Aquarij ab Augustino dicti. alterius Dei esse Legem, alterius Euangelium affirmabant, quod ex Marcione mutuati videntur. vnum ex qua-

Tatianus.

Encratitæ.

tuor Euangelijs Tatianus effecit, quod *Diatessaron* appellauit, non tamen sine fraude, cum multa, Christi in primis Genealogias prætermiserit. Opus hoc alioquin perutile, Ammonius Alexandrinus, redditis quæ deerant, edidit, & *Harmoniam* vocauit, quod & alij posteà, non sine ingenij laude, præstiterunt. eiusdem Hæresis dogma, fuit, abstinendum à vino, & animatis; Fœminas ad sacra Mysteria admittebant, quibuscum, & viuebant; adeò, vt qui Cõtinentiam commendabant, turpitudinem maximè sectarentur. Tatiani Assecla fuisse tradunt Iulium Cassianum, qui ex disciplina fuerat Valentini: Is ad Tatiani dogma roborandum, librum scripsit de Continentia, & Castitate, in quo, Lignum primis Parentibus veticum apud sacram Genesim, Matrimonium est interpretatus; & ex Pseudoëuangelio secundum Ægyptios, Christum retulit cum Salome loquentem, & Matrimonium detestantem. hæc, & alia ex eo Clemens, cui talia infectanti, vtinam eius Auditor Origenes auscultasset. Seuerus quoque, ex quo Seueriani, ex Tatiano, vt videtur, vino suis interdixit, quod diceret vitem de terra, & Satana germinasse: deterius nihilominus vetus testamentum respuit, carnis resurrectionem abnegauit.

Harmonia Euangelica.

Iulij Cassiani errores.

Seueriani.

Clem. Alex. Strom. l. 3.

Euseb. l. 4. c. 27.

Aug. de har. c. 24.

Chri. Ann. 175.

His, alijsque Hæreticorum conatibus,

tibus, veluti machinis, impetita Ecclesia, gladio adhuc persecutionis sæuiente (quo sublatus est Anicetus) nequaquã labefactata est. vt planè constet firmissima super Petra, quæ Christus est, fuisse fundatam, illudque audacter liceat vsurpare *Porta inferi non praualebunt aduersus eam.*

Aniceti PP. martyrium.

Capite igitur plectitur Anicetus, exacto Pontificatus anno nono. Huic tribuitur decretum de coma à Clericis nequaquam nutrienda. cæterùm de clericali tonsura alia occasione diximus Annalium tomo primo. Martyrium Romæ cum Aniceto sunt passi alij complures. præ his autem commendatur Fœlicitas, quam D. Gregorius plus quàm Martyrem vocat, cum septem Filios suo triumpho præmiserit. Hanc, & Petrus Chrysologus Rauennæ Episcopus, pro concione laudauit. dubitasse scimus Virum eruditum ob Græci nominis cum latino congruentiam, an hæc Martyr eadem fuerit cum Symphorosa; sed temporis, Patriæ, supplicij, nominis Filiorum diuersitas eximere dubitationem posse haud ægrè videntur. Eodem tempore passi martyrium dicuntur Iulianus Soræ, Spoleti Concordius, & Pontianus; Perusiæ Constantius eius Vrbis Episcopus: alijque permulti, quos in nostris quoque ad Martyrologium notis recensemus. Anicetum sequi-

Fœlicitas, cũ septem filiijs mart.

Cõstãtius Perusiæ Episc. mart.

sequitur in Pontificatu Soter, de cuius beneficentia in omnes latè Ecclesias, in Pauperes, ac pro Christi Fide carceri addictos, aut ad metalla damnatos, præclarum testimonium Eusebius affert ex Dionysij Corinthiorum Antistitis Epistola ad Romanos, eandemque consuetudinem ad sua vsque tempora viguisse scribit. quam sanè consuetudinem, dum hæc ipsa scriberemus, reuocasse, ac restituisse visus est Gregorius huius nominis XIII. Pont. Max. cuius effusa munificentia in omnes Christiani Orbis Regiones peruasit, atque in ipsos adeò Antipodas penetrauit. itaque præter literaria magno numero studiosorum Iuuenum Collegia ex omnibus pœnè Nationibus, varijs in Vrbibus, ac Regnis, redditibus annuis attributis, instituta; in egentes vbique terrarum, pietatis præsertim causa extorres, pecuniæ vim maximam effudit. cuius summam ex publicis Pontificij ærarij, ac priuatis rationibus collectam conficere compertum est, Sestertium octingenties, hoc est vicies centena aureorum millia, cuius rei præclarum monumentum extat sub eius Statua ex S. C. in Capitolio collocata.

Euseb. l. 4. c. 23.

Gregorij XIII. encomium.

Dionysius Corinthiorũ. Episc.

Verùm ad Dionysium Corinthium reuertamur; Hunc Eusebius ea tùm fuisse fama tradit, vt, Eo adhuc superstite, eius epistolæ ad varias Ecclesias,

l. 4. c. 22.

sias, quas enumerat, ab eo datas, fuerint ab Hæreticis deprauatæ. idem Eusebius alios quoque eius ætatis Scriptores Christianos recenset de Bardesane, quamquam à catholica veritate aberrante multa refert. Is Valentini Sectator fuit, *qua occasione multa hìc habes ab Authore de alijs nõ nullis eiusdem Valentini Assectis, deque illorum fabulis, ac opinionum portentis.*

Chri. Ann. 176. Romanus exercitus quadriennio iam difficili bello aduersus Marcomanos, aliasque tum barbaras Nationes implicitus, & in maximum discrimen sæpius adductus, ope tandem Christianorum Militum fusis ad Deum precibus, non solùm ab infestis hostium armis, quibus premebatur, eripitur, sed victoria diuinitùs parta glorioßimè potitur. rem gestam fusiùs Christiani Scriptores narrant, sed quibus Fidem abrogare non liceat, cum, vt de re cõperta, paucis post annis scripserint. Profani sanè Scriptores rem inuoluunt, & Marci pietati, aut magicæ arti miraculum adscribunt: quippè cum Romanus exercitus rerũ omnium inopia laboraret, & sex ipsos dies omni potu careret, Christiani tùm Milites, qui magno erant numero, genu flexo, sublatisque in cælum manibus, oculisque, optatam repentè pluuiam impetrarunt, eodemque tem-

Tert. Apol. c. 5. & ad scap. c. 4. Euseb. l. 5 c. 5. Iul. Capit. & Dio in M. Aur.

Christianorum militũ miraculũ.

temporis momento hostium circumfusa multitudo dira grandine, atque fulminibus disiecta est. extant ipsius M. Aurelj literæ in calce operum Iustini, quæ olim in Traiani foro descriptæ erant; rei quoque gestæ imago marmore expressa, in ipsa cochlide, quam diximus, Antonini Columna adhuc visitur.

Cassij Rebellio.

Qui sequitur annus insignis est Auidij Cassij cæde, quo Duce Lucius, vt diximus, Parthos deuicerat. Is accepto falso nuncio de Marci in Germania obitu, Cæsarem se à Legionibus dici curauit. quod autem nomen temerè assumpserat cum tutò deponere nequaquam posset, per vim studuit retinere. tertio tamen vix mense elapso à suis ipsis Militibus occisus est. Tertullianus, dum Christianos à Fide in Principes commendat, eorum nullum Cassiana defectione, quemadmodum neque alias ante ea tempora, implicitum fuisse gloriatur. Chri. Ann. 177. *Iul. Capit. & Dio in M. Aur. Tert. Apol. c. 35.*

M. Aurel. in Orientē Faustina Vxoris obitus.

Cæsar bello Germanico defunctus, orientales Regiones, Cassij defectione nutantes, confirmaturus, illùc profectus, Faustinam Vxorem ex itinere amisit. Hæc ob impudicitiæ famam malè hactenus, conniuente, aut inscio fortasse Viro audierat, Diuinos tamen honores, & Templum S.C. consequuta est. Alexandrinis, qui Cassio fausta dixerant, veniam dedit. Chri. Ann. 178.

Cas-

Cassij quoque consanguineis pepercit. in Italiam cum rediret, naufragium pænè est passus. Romam demum reuersus incolumis, cum Filio Cõmodo, quem Cæsarem dixit, triumphauit. *Marcus cũ filio triumphat.*

Chri. Ann. 179. Succesſu itaque rerum lætus, dum, benè merendi ſtudio, omnia omnibus indulget; Chriſtianos iterum Gentiliũ libidini exponit. impij homines, quò Cæſaris edictum anteà promulgatum eluderent, Chriſtianis iterum cænas Thieſteas, Oedipi nuptias, aliaque Gnoſticorum flagitia obiectare, ſecretos Cõuentus, conſpirationes, ſeditiones prætexere, quicquid publicæ, priuatæue cladis, accidiſſet; eorum impietati tribuere. His, alijſque id genus criminationibus, cuiuſque fermè Ciuitatis Populus incitatus, conſueta in eos capitis iudicia, clamore, ac tumultu peragit. immanè quantùm in Chriſti gregem noua hac conſpiratione ſæuitum, eſt. extant apud Euſebium, Vienenſis Eccleſiæ, ac Lugdunenſis, ad Aſianas, epiſtola, qua ſuorum Ciuium pro Chriſto certamina recenſent. Ad hæc eadem tẽpora ſpectat Athenagoræ Chriſtiani Philoſophi ad Cæſares Apologia, *ex qua multa hìc habes ab Authore relata, omninò legenda.*

Euſeb. l. 5. c. 1 Aug. d. cur. mort. c. 6. Sur. 22. & 24. April. Greg. Tur. d. glor. mart. c. 49.

Athenagoras Philoſophus Chriſtianus.

Ado. die 2. Iun. Hoc eodem ſæuientis procellæ impetu ſublatus eſt Soter exacto Pontificatus anno quarto. Huius eſſe decretum fertur, ne Fœminæ, etiam quæ

Soteris mors. Eius decretum.

quæ Diaconissæ essent, quibus hactenus licuerat, sacram Pallam contingerent, neuè thus adolerent. hoc ideò factum putamus, quòd Montani tùm Mulierculæ sacris Ministerijs impudenter sese immiscerēt. Soteris morte sublectus est Eleuterus. ad Hunc Legatus cum literis mittitur, à sacris Confessoribus, qui apud Lugdunum in vinculis erant, Irenæus eius Ecclesiæ tùm Presbyter, qui aliquamdiù Romæ moratus Apostolicis ritibus, ac traditionibus imbutus, & custodire eas in Gallia, & locupletissimè testari potuit. cæterùm. iusto Dei iudicio factum videtur, vt Christianorum precibus parta, vt diximus, Romano Imperio Pax, quod beneficium Princeps æquè, ac Populus non agnoscerent, Barbarorum iterum coitione turbaretur. ad redintegrati belli incommoda vulgaris iterum lues accessit, quodque Augusti animum acrius exulcerauit, Filij mores iam tùm corrumpi, ac deprauari cæpti, cuius rei mærore Patrem ita in dies afflictatum ferunt, vt demum tædio vitæ, cibi, potusque abstinentia, mortem anticipauerit, quam apud hostes, in quos statim perrexit, posteà oppetijt.

Ado. die 2. Iun.

Eleuterus, PP.

Irenæus Romæ.

Euseb. l.5.c.4 Iren.l. 3.c.1.

Iul. capit.

Bellū Marcomanicum redintegratur. Lues iterū sauit.

Photino Lugdunensi Episcopo iam nonagenario Martyrij palmam adepto, Irenæus subrogatur, Legatione, quam diximus, tùm perfunctus, Audito-

Irenæus creatur Episc.

Chri. Ann. 180.

Euseb. l.5.c.6

Hier. d. scri- pt. Ec- cl. & ep. 29. Epiph. her. 24 31.

ditor Is fuisse dicitur Polycarpi, ab eoque ex Asia in Gallias missum. nec Polycarpi tantùm, sed Papiæ quoque, qui & ipse Ioannis Euangelistæ Auditor fuerat. de tanti Viri doctrina, (quē Tertullianus coëuus Author, omnium doctrinarum exploratorem vocat) deque conscriptis ab eo libris, ac rebus gestis *fusè hìc Author quē consule.* græcè autem illum scripsisse omnes consentiunt: Apostolicis, aduersus hæreticos, traditionibus maximè est vsus. denique Ecclesiæ columen omnium sententia est habitus. *hoc loco Author, sumpta ex Irenæi dicto occasione. quædam tradit de Esdra, deque restitutis per eum, vt tradunt, Sacris literis post captiuitatem Babylonicam.*

Chri. Ann. 181. *Euseb. chron. Nicephor. l. 3. c. 37.*

Huic anno Eusebius tribuit Iuliani, post Agrippinum in Sede Alexandrina successionem, eademque in Vrbe, Templi Serapidis conflagrationem. Nicephorus autem historiam de Iudæo narrat, cuius fides penes Authorem sit. hunc ait per arida loca iter cum Christianis facientē, morbo correptum, Baptismum expetijsse, penuria autem aquæ, arena ter adspersa, ad inuocationem Sacrosanctæ Triadis, fuisse baptizatum, & huiusmodi qualicumque baptismate vires statim cum valetudine recuperasse, institutumque iter perfeciisse. hac postmodum super re consultum Dionysium,

Iudæus fidē conualuit.

quem

quem diximus Corinthiorum Episcopum maximæ tùm famæ Virum aqua abluendum ad sacramenti perfectionem censuisse.

M. Aurelij mors. Annum secundum in Germanica expeditione Augustus iam agebat, cum publicis priuatisque confectus curis, apud Pannoniam voluntaria, morte, ex inedia extinctus est. Exacto Principatus anno XIX. ætatis non dum LX hæreditarium statim Imperium capessit Commodus, qui cum Patre in castris agebat, annos natus XIX. Is belli propè iam confecti curam remittens, Romam redijt, vbi haud ità multò post in omnia scelera prolapsus, Caium, Neronem, ac Domitianum retulit. eius tamen iussu, quamdiù imperauit, nullum Christianis negocium, Religionis causa, exhibitum. vt intelligamus in vltionem innoxij Christiani sanguinis à Deo datum. vix enim vllus ex his, qui, Patre imperante, Vrbes rexerant, aut Prouincias, quique iniquissimis sententijs Christi Martyres per ludum, aut tumultum damnauerant, eius gladium euasit. cur autem huiusmodi sæuitiæ Monstrum à Christiano sanguine temperauerit, huic etiam causæ adscribitur, quod Martia eius Pellex, cui Augustæ honores ferè omnes tribuit, Christiana esset, aut Christiani certè nominis studiosa.

Chri. Ann. 182.

Cõmodus Imperator. *Dio & Lãpri. ĩ Com. Herodian. l. 1.*

Dio in Com.

Hu-

Chri. Ann. 183. *Euseb. l. 5. c. 20. Bed. de gest. l. 1. c. 4*

Huiusmodi Ecclesiæ tranquillitate iam parta multi ex Gentilibus illustri quoque loco nati Christiana suscipiunt sacra: nec Romæ tantùm, ac per Italiam, sed ex omnibus ferè Prouincijs, ac nationibus, præ cæteris autem insignis fuit Britannorum Rex Lucius, qui diuiua perfusus luce, legatione ad Eleuterum missa, acceptisque ab eo sacris Ministris, Christianis sacris initiatus est. neque verò his Fidem abrogare quis audeat ex eo, quòd ea Insula dudum Romano sub Imperio esset, ac proindè Regem habere nequaquam posset. constat enim ex his quoque, quæà nobis sunt tradita, numquam totam fuisse subactam, ipsiusque Hadriani iussu, post Claudium, Romanos, hoc est qui Romanis parebant, muro à Barbaris fuisse disiunctos. horum quæ diximus Fidem abundè, vt putamus, firmant Tertulliani eius ætatis Scriptoris verba, qui ait, *Britannorum inaccessa Romanis loca Christo sunt subdita*. itaque mirum videri non debet si ea Insula, qua parte Romanis armis adhuc erat imperuia, Regem habuerit; nisi si quis sentire malit, fuisse Lucium Regulum quempiam Romano sub Imperio dominantem, quemadmodum alios permultos, tùm fuisse constat.

Lucius Britannia Rex Christianus

Tert. aduc. Iud. c. 7.

Chri. Ann. 184.

Sub hæc tempora noua sacrorum Librorum translatio à Theodotione est

Tertia Biblio-

orum trãſlatio à Theodotione.

est edita, quæ tertia dicenda erit, si primam quæ à septuaginta duobus Interpretibus Ptolemæi Philadelphi iussu facta est, secundam quæ ab Aquila Pontico, Hadriano Principe, numeremus. cæterùm Theodotionẽ Ephesium Patria, secta Marcionitam fuisse tradunt, posteà tamen ad Iudæos transisse. huiusmodi translatio, adhibita Origenis censura, ab Ecclesia recepta tùm fuit.

Pantænus.

Pantænus ex Stoicorum disciplina, Christianus Philosophus sacras literas Alexandriæ docebat magna doctrinæ pariter, ac sanctimoniæ fama. Is Apostolico spiritu incitatus ad Indos Christiana Religione imbuendos perrexit, exposcentibus id eorum Legatis ad Demetrium Alexandriæ Episcopum missis. inter Pantæni Auditores præcipuus eruditione fuit Clemens Alexandrinus, qui Origenem instituit, de quibus alibi dicturi sumus. Pantæni, vt potè Viri sanctissimi, dies anniuersaria notatur in tabulis Ecclesiasticis, ipsis Nonis Iulij.

Chri. Ann. 185. *Euseb. l. 5. c. 10.* *Martyrolog. 7. Iul.*

Ad annum huius sæculi LXXXVI. Maximi Hierosolymorũ Episcopi ordinationẽ refert Eusebius, vbi & Successores illius octo ordine enumerat.

Chri. Ann. 186. *in chron.*

Sequenti autem anno data legitur Eleuteri Papæ Epistola ad Galliarum Episcopos, in cuius calce cum scribat Vniuersalis Ecclesiæ illis curam fuisse

Chri. Ann. 187.

à Chri-

à Christo commissam, *germanam eorum verborum interpretationẽ Author affert. ne his nostrates Sectarij (quod fecerant) amplius sibi plaudant.*

Chri. Ann. 188. Septimum Principatus agebat annum Commodus, cum Augustalem Ægypti Præfecturam Philippo decernit, quam non nisi octauo inijt, summaque postmodum cum laude gessit. Hic est ille Philippus, qui ab Eugenia Filia ad Christi Fidem conuersus, cum eadem Martyrium deinde subijt sub Seuero; vt dicturi mox sumus. *Philippus Ægypti Præf.*

Chri. Ann. 189. *Euseb. chron. & hist. l. 5. c. 20.* Perennius Præfectum Prætorio tùm agebat summa cum authoritate, Seianus alter; quippè in illum Commodus Imperij curas omnes veluti exonerauerat. Hic Apollonium Christianum hominẽ ex Ordine Senatorio, Philosophiæ quoque studijs percelebrem, cum librum de Christiana Fide scripsisset, ac Sènatui perlegisset, capite damnauit. ergò quòd Roma iterum Christiano se sanguine polluerit, debitas statim pœnas dedit: nam vulgari correpta iterum lue, miserè absumpta est, cum ad duo hominum millia quotidie efferrentur. fulmine in Capitolium decidente. Bibliotheca cum adiacentibus latè ædibus deflagrauit; Perennius ipse Seiani exitum sortitus est. *Apollonius, senato Christianus mart. Pestis Romæ & incẽdia.*

Herodian. l. 2.

Dio. in Com.

Chri. Ann. 190. 191. Proximi duo, qui sequuntur anni habent tantùm successiones Antistitum quorumdam Alexandriæ, atque

An-

Antiochiæ, aliarumque Palæstinæ Vrbium ex Eusebio, quorum præcipuus doctrina Seraphion Antiochenus: Is præter alia, quæ scripsit, censuram adhibuit Euangelio, quod Petri dicebatur, quo vtebantur Hæretici Docitæ, hoc est Opinatores, nuncupati, qui Mysterium Incarnationis non verè, sed tantùm apparenter peractum docebant. *l. 6. c. 12 & in chron. Clem. Alex. str. l. 3* Chri. Ann. 192.

Docitæ Hæretici

Vndecimo Principatus anno Commodus munera edidit omnium, quæ hactenus edita fuissent celeberrima. in his autem non Spectator modò fuit, sed etiam Actor: prodijt namque Herculem referens, Leonis Exuuijs, Clauaque insignis. testatur Dio, qui tùm inter Senatores aderat, lauri folia ex corona, quam habebat, ad risum cohibendum deuorasse. multos porrò, qui risum non tenuerant, iugulatos. ex Christianis etiam quidam huiusmodi stultitiam, non risu prosequi sat esse putantes, dictis palàm incessere ausi sunt: ea igitur de causa ad vanissimum Principem delati, capitis pœnam subierunt. Hi fuere Eusebius, Pontianus, Vincentius, Peregrinus, ac omnium præcipuus Iulius Senatorij ordinis Vir clarissimus, qui tamdiù fustibus ignominiosè est cæsus, quòad animam efflaret. Eusebius verò auulsa lingua cum adhuc loqueretur, Antoninum Carnificem, miraculo tattonitum,

Commodi demẽtia. Risus capitalis.

tum, ad Christi Fidem perduxit, & numero addidit Confessorum.

Chri. Ann. 193. *Herod. l. 1. Dio. & Lãpr. in Com.*

Qui sequitur annus publica priuataque Romæ iactura insignis fuit. Templum etenim Pacis cunctorum tota Vrbe maximum, pulcherrimumque, ex Iudæorum manubijs à Vespasiano extructum, in quod plærique Ciuium precioſiora quæque seruanda contulerant, seu nocturno fulmine, seu alia, quæ rescisi nequijt, ratione, incendio absumptum est. nec stetit flamma; deficientibus namque ex eo alimentis, Ædem Vestæ, aliasque tùm publicas, tùm priuatas corripuit, multosque iam dies peruagata repentino tandem imbre extincta est. consumpta tùm fuisse opima Iudæorum spolia, & Hierosolymitani Templi diuitias constat. vasa tamen aliquot alibi fortasse seruata ad Honorij vsque tempora permansisse Procopius tradit, eaque Vandalorum spolijs cessisse. cæterùm Commodum Neronis famam qualemcumque, vt in alijs, in hoc quoque æmulatum, Vrbem incendere nisi abstritus fuisset à Læto, qui Prætorio præerat, exoptasse Lampridius est Author, Is, qui Cæsarum probra, quæ reticere fuisset satiùs, non fine suo ipsius probro, in lucem profert.

Templum Pacis incensum.

d. bell. Vand. Lãpr. in Cõmod.

Chri. Ann. 194. Eleuterus exacto Pontificatus anno XV. extinguitur, incertum an gladio. sanè apud nonnullos Martyris

Eleuteri mors.

nomen adeptus est. Huic Victor Afer successit.

Victor. PP.

At Commodus, quod Romanum Populum vno ictu tollere, ex eodem, cum Caio, voto, nequiret, Primores certè cupijt. itaque Lætus, quem diximus, Electusque Cubiculi custos, cumque His Martia, qua de supra meminimus, præ cæteris in discrimen adducti, ac proindè facinus præripere coacti, Narcissum Athletam promissis oneratum in Tyranni cædem extimulant. Is ad luctam, ex more, prouocatus, aliquandiù dissimulato consilio, opportunè demum, licet obluctanti, fauces elisit. Tyranni exitum quam lætis auribus omnes excœperint, testantur Senatus æquè, ac Populi acclamationes, quas ex Mario Maximo Lampridius refert. extinctus est, cum annos in Imperio egisset propè tredecim, ætatis vnum, ac triginta.

Eusеb. l. 5. c. 21. Herodian. l. 1. Di. & Li. pr. in Com.

Commodi obitus.

Pertinax Imp.

Eo Sublato Ælius Pertinax obscuro loco apud Albam Pompeiam natus, per præcipuos tamen militiæ gradus à Pompeiano, Marci Genero, euectus, Principatum inuitus capessit, Senatu pariter, ac Militibus deferentibus, quodsanè tutius vsquè renuisset. nam, cum moribus esset seuerior, Populique, ac Militum licentiam castigare festinantius cæpisset, à Prætorianis occiditur, tertio Imperij mense nondum exacto. ætatis anno LXVII. Didius

Chri. Ann. 195. *Dio & Iul. Capit. Pertin. Eutr. l. 8.*

dius Iulianus homo disertissimus, cuius suasu Pertinax fuerat interemptus vę- nale Imperium à Prætorianis auctio- ne adeptus est, HS. decem, hoc est aureos ducentos quinquaginta viri- tim pollicitus. Imperium gessit Decessore haud quaquam diuturnius, ab ijsdem Prætorianis, quos pari arte Seuerus emerat, interemptus; hoc adeptus, vt qui celebris ingenio vixerat, Tyrannide infamis moreretur.

Dio in Iul. Aur. Vict. Spart.

Iulianus Imp.

Eius mors.

Igitur Seuerus, qui Pannocinis præerat Legionibus, territo Senatu, eo quoque annuente Principatum adeptus est, gessitque fœlicem æquè, ac diuturnum.

Seuerus Imp.

Eodem tempore Pescennius Niger apud Syriam Imperator ab exercitu dictus, Seueri arma in se conciuit. Albinum interim, qui, in Britannia cum exercitu dum esset, in Galliam venerat, Seuerus Imperij participem, ac Cæsarem dixit. hac arte vafer Afer, dum alterum ex Æmulis persequitur, alterum demulcet, vt tutius vtrumque subuertat, quod spe improba conceperat, haud ægrè est consequutus.

Herod l. 2. in fin.

Pescennius & Albinus Imperij æmuli.

Chri. Ann. 196. *Tert. Apol. c. 5. & de præscript.*

Res tùm nostræ tranquilla vbique pace florebant; nisi quantum nouæ subindè hæreses sacros Ministros, ac Pastores obdormiscere non sinebant; ergò cum Theodotus quidam Byzantius, postquam pro Christi nomine comprehensus Christum abnegauit,

Theodotus.

& pudore ductus solum vertere coactus est, crimini crimen addens, ipsam Christi Diuinitatem impugnare instituit. Hunc Victor Romanus Pontifex, pro Sedis authoritate, damnauit; eique Christianis Sacris, de more, interdixit. *hìc de alijs nonnullis Theodoti, ac Montani Assectis, deque his, qui illos impugnarunt, Author differit; & data occasione de Melchisedeco, quem antiquiores quidam Angelum fuisse, & Theodotus alter, Christo maiorem asserebant: de Praxea quoque, qui, Montani, ac Procli Sectator cum fuisset, ab ijs desciuit, multisque ad ea, quæ didicisset, ex his, quæ ipse postmodum somniasset, additis, nouæ sectæ Author haberi maluit.* *c. vl. Epiph. her. 45*

Praxeas. *Tert. adu. Praxeam. Aug. de her.*

Clemens Alex. Hoc eodem tempore floruisse Clementem Alexandrinum, quem sæpius laudauimus Eusebius tradit; quamquam Stromatum libros, in quibus de persecutione Seueri iam oborta meminit, aliquot post annos scripsisse eum oportet. de Huius laudibus, ac lucubrationibus multa, ex Hieronymo, & alijs peti possunt; quod autem apud Illum Ecclesiæ antiqui mores, quasi in speculo conspiciantur; diuina factum prouidentia putandum est, vt, tot alijs deperditis, Eius magna ex parte opera, ad nos vsquè peruenerint. *c. 41.*

Seueri victoria. At Seuerus, Pescennio debellato, Osrhoænos, Adiabenos, alioque ad Orien- Chri. Ann. 147.

Orientem Populos subegit, deque his triumphum, ex more, egit. cuius memoriæ extat adhuc, ad Capitolij radices, Triumphalis Arcus multiplici ornatu insignis, temporum iniuriæ præ cæteris veterum monumentis superstes, terra tamen, ex subsidente congesta cliuo, semisepultus. sed hæc non vno anno gesta, & Arcus huiusmodi si tùm primùm erectus, & non potiùs in altero, post annum Principatus decimum, de quo alibi dicturi sumus, triumpho; certè non statim absolutus. constat enim Antoninum Filium, qui in eo inscriptus legitur, non nisi septimum iam annum Patre Imperante, Augustum dictum, Collegam assumptum, Getam verò alterum Filium adhùc post biennium.

Seueri Arcus Triũphalis.

Hìc quod Tertulliani opus de Pallio hoc tempore ab eo scriptum quidam putarint; Author longè postea id factum docet, deque eo opere, ac de Pallio, eiusque vsu, de ipsius quoque Tertulliani ad Christum conuersione, ac vitæ ratione, eruditè admodum disserit.

Palliũ eiusq. vsus.

Chri. Ann. 198. *Euseb. l. 5. c. 22. Bed. de Æqui.*

Sub eadem tempora, quod Asiæ Ecclesiæ, Iudæorum ritu, adhuc Pascha celebrarent decimoquarto die Lunæ, quisquis ille hebdomadæ dies esset, contra quam Apostoli tradidissent, & in reliquo ferè Christiano Orbe seruaretur, Victoris Papæ iussu, atque authoritate Theophilus Cæsareæ

Concilium de celebrãdo paschate

fareæ apud Palæstinam Episcopus, Concilio Prouincialium Episcoporum coacto, decretum de Pascha die Dominico celebrando promulgauit. quæ nam autem eo in Concilio inquisitionem venerint, tradit Beda *ab Authore hìc relatus*.

Idem porrò Victor alijs quoque Asianis Episcopis præcepit, vt, coactis Concilijs, aut alia quacumque ratione, à Iudaica tandem aliquandò consuetudine recederent; minatus insuper eos se ab Ecclesiæ communione amputaturum, quòd & præstitit. illa autem tantæ seueritatis suberat causa, quod iam mos ille in hæresim transire videretur cum à multis non tàm permisso ritu, quàm noui præcepto Paracleti seruaretur. ex his probè constat, quanta esset Romani Pontificis in vniuersum Christianum Orbem authoritas. verùm controuersia illa de Pascha toties agitata, ne tùm quidem dirempta est; imò neque in Concilio quidem Nicæno celeberrimo fuit omninò sublata.

Romani Pōt. authoritas.

Atha. de Synod.

Hoc demum anno Seuerus Byzantium, quæ Vrbs à Pescennio steterat, post triennalem obsidionem expugnatum deleuit, ac in Viculum redegit, quem ipsum, altero deinde sæculo vertente Constantinus Magnus, suo indito nomine, congestisque totius Romani Imperij opibus, in eam, in qua

Byzãtium deletũ

qua etiam nùm perstat, amplitudinem excreuit.

Chri. Ann. 199.

Albinus Victus.

Eo perfunctus bello, arma in Albinum vertit, quem pariter, ancipiti quamuis prælio, debellauit.

Iudæi debellati.

Iudæi, qui à Pescennio insolitis tributorum exactionibus vexati fuerant, Romanum iugum excutere, eo extincto, cum voluissent, à Seuero, maxima accepta clade, deuicti sunt. quòd autem Iudæorum vexatio ad Christianos, qui in Palæstina magno numero erant, non pertinuerit, argumento esse possunt, quæ diximus de Concilio ibidem hoc ipso tempore coacto.

Fuseb. l. 6. c. 8 & 9.

Narcyssus Hierosol. Episc.

porrò Narcyssus Hierosolymorũ Episcopus, qui superiori anno eidẽ Concilio non interfuit modò, sed cum Theophilo etiam præfuit, suorum calumnijs circumuentus, volens, libensque solum vertit, & ad annos plurimos Anachoretam egit. quamquam ad Ecclesiæ curam, Adiutore dato, reuocatus ætatis annum excessit decimum sextum supra centesimum. testatur Eusebius, cum, ipso Paschæ peruigilioo, leum ex sacris lychnis defecisset, aquam eius iussu iniectam, in oleum versam, ex eoque, a discipulis seruato, adhuc suo tempore superfuisse.

Miraculum.

Chri. Ann. 200.

Seuerus ex Gallica victoria Romam ouans init, cum Triumphum de ciuili sanguine agere nefas esset. exceptus à Senatu, & Populo laureato

fauſtis vbique acclamationibus, Populo Ipſe congiarium, militibus pecuniam dedit. verùm haud ita multopoſt luctum Ciuibus rependit pro gaudio, multis cuiuſque ordinis occiſis, qui, vel leui ſuſpicione, Albini partibus fauiſſe comperti eſſent. quadraginta amplius Conſularium, aut Prætoriorum nomina Spartianus recenſet: denique, vt quiſque idoneus Imperio videbatur, eandem ſubijt aleam. ad hæc in eiuſdem Senatus odium, Commodum, pro concione laudatum, inter Deos retulit. vt, quod ait Spartianus, apertiſſimè illum furere appareret.

Seueri ſauitia.

Seuerus in Parthos.

Poſt hæc arma in Parthos vertit. Antoninum Filium natu maiorem. ante biennium Cæſarem dictum, Tribunicia poteſtate, reliquiſque Imperatorijs ornatum inſignibus Auguſtum nominat, ſimul Getam natu minorem appellat Cæſarem, nouumque Populo congiarium, militibus donatiuum præbet. quo tempore (vt Tertullianus tradit, qui tùm aderat) miles quidam Chriſtianum ſe eſſe profeſſus, dum renuit cum cæteris coronari, illuſtre ſubijt Martyrium. *hìc de Tertulliani lapſu, lapſuſque cauſa multa Author tradit, quæ apud eum require.*

Chri. Ann. 201. *Tert. de cor. mil. c. 1.*

Tert. lapſus.

Seuerus cum Filijs in Parthos profectus, Vrbis regimen Plautiano reliquit, cuius Filiam Antonino Aug. deſpon-

sponderat. Huic in mandatis datum, in reliquos, perduellionis vtcumque compertos, animaduerteret. Horum cędes Tertullianus racemationem post vindemiam appellat. Idem porrò Tertullianus tradit tùm in nostræ Religionis contemptum, à Nebulone quopiam tabulam expositam, in qua pictum animal visebatur asinino capite togatum vngula librum præferens hac cum inscriptione DEVS CHRISTIANORVM, quod Gentiles eadem illos, qua Iudæos calumnia inceſſerent, quasi Asinum pro Deo colerent, cuius Authorem constat fuisse Appionem Ægyptium, illum, quo de alibi meminimus, quem egregiè refellit Iosephus. ex Appione autem idem tradidisse Tacitum, ac Plutarchum, & apud Suidam Democritum quemdam. mirum quidem est Ægyptium Hominem rem vitio Hebræis vertisse, quam eius populares laudi sibi tribuerent, qui non fœda tantùm animalia, sed & allia, cepas, alioſque huiusmodi Hortenses Deos adorarent. porrò Ipse idem Tacitus Hebræos ab huiusmodi labe vindicat, dum ibidem testatur Gn. Pompeium, Templum Hierosolymis ingressum, nullam omninò imaginem in eo reperisse. his itaque calumnijs Christianos quoque, argumenti inopia, Gentiles appetebant; quas Tertullianus pro

Tert. Apol. c. 35.

Calũnia in Christianos

Ios. cont. App. l. 2. c. 10

Tac. hist. l. 5.

Plut. sym. l. 4. q. 5

singulari eruditione refellere instituit. hisce ludibrijs, quasi velitationibus impij homines præluserunt ad nouum bellum, quod hoc ipso anno, Plautiano Duce, aduersus Christianos indictum illatumque est. de quo pluribus in Apologetico Tertullianus.

Noua persecutio.

Martyres Carthaginenses.

Sequenti autem anno extra Vrbem quoque, atque Italiam sæuiri in nos cœptum. itaque Carthagine Saturnino Proconsule iudicium capitis subiere Speratus, Narzales, Cittinus, Donata, Secunda, & Vestina, quòd per Genios Principum iurare abnuissent. *Acta ex vetusto Codice humiliori stylo hic habes, ab Authore allata.* hac de causa Tertullianus diuina vltione Proconsulem luminibus captum fuisse, tradit, & Prouinciam aquarum illuuie deuastatam. Chri. Ann. 202. *Tert. ad scap. c. 2. & 3.*

Abagarus Rex.

Dum hæc Romæ, & Carthagine geruntur, Seuerus bellum Parthicum administrans, Abagarum Osrhoënorum Regem (quem Christianum fuisse existimant) ad se auxiliaribus cum copijs venientem excepit.

Victor Papa Martyr. Felicianus Episc. Fulginei.

At Romanus Pontifex Victor, acerrimus Catholicæ puritatis Vindex, cum annum auspicatus esset Pontificatus decimum, illustri martyrio coronatur; post quam multis per Italiam Ecclesijs Episcopos dedisset, in quibus Fœlicianus fuit, qui Fulginatem apud Vmbriam Ecclesiam administrauit, Chri. Ann. 203.

uit, martyrium demum sub Decio passus.

Zephirinus Papa: Post Victorem Pontificatum suscepit Zephirinus Romæ natus, cuius res gestæ suo loco referentur.

Tertullianus Tertullianus Romæ, vt diximus, diù moratus, Carthaginem, vnde erat, reuertitur. eam tùm Prouinciam post Saturninum administrabat Scapula, qui Christianis æquè infensus, excitatum à Decessore in eos bellum redintegrauit. ad Hunc Tertullianus libellum, non tàm supplicem, quàm declamatorium, dedit. *Hier. in Hier. c. 32. Epiph. de mẽs. & põd.*

Noua sacr. Bibl. transl. Sub hæc ipsa tempora (nam certus annus ignoratur) prodijt noua sacrorum Librorum translatio post Aquilam, ac Theodotionem à Symmacho Samarita semiIudæo facta.

Chri. Ann. 204. *Sperr. in Seu. Euseb. chron. & hist. l. 6. c. 2 Orosi. l. 7. c. 17* Parthico bello fœliciter defunctus Seuerus, in Syriam venerat, indeque Alexandriam. cum à diuersis Prouinciarum Rectoribus, certior factus de Christianorum numero, ac constantia, quàm peruicaciam, atque adeò perduellionem interpretabantur, Cæsareis Edictis cõpescere curauit. hac data Populis, eorumque Rectoribus sæuiendi licentia, laxatis veluti habenis, grassari in Christi Cultores cœperunt adeò, vt iam omnes instare Antichristum existimarent, nec verbis tantùm, sed etiam scriptis affirmarent. *Seuerꝰ persequutio*

Auxit Seueri indignationem Philippus *Philip.*

Ægypti Præfectus. (quem diximus) Augustalis Ægypti Præfectus, cum Christianum illum esse cognouisset, ratus itaque sibi fidum esse non posse, qui Deos Patrios abnegasset, datis ad eum literis, *quas hic apud Authorem habes*, leniter tùm quidem expostulans, & ingrati animi vitium exprobrans, aut resipisceret, aut Magistratu cederet, imperauit. Philippum acceptis literis morbum simulasse tradunt, dum, quæ sibi supererant, facultates in pauperes erogaret. tùm ei Successor datus est Terentius Lætus; Is, Alexandriam delatus, nihil prius habuit, Seuero (vt creditum) ita iubente, quàm vt Philippum occultè necaret. missis itaque Sicarijs, intra domesticos eum lares occidit, &, ne illius cædes in sui inuidiam redundaret, nèuè Populus, qui tumultuari cœperat, seditionem moueret, Sicarios ipsos comprehendi, ac duci iussit; quos tamen haud ita multò post; Principis rescripto, sedato iam tumultu, abire liberos permisit. *Martyrolog. Rom. 15. Septemb.*

Leonidas Origenis Pater Subinde eandem apud Vrbem, quò iam Seuerus appulerat, illustria Martyrum spectacula, frequentissimo veluti Theatro sunt edita; in quorum numero fuit Leonidas Origenis Pater. quantò autem Origenes tùm Adolescens Martyrij desiderio flagrauerit testatur Eusebius, qui ait *Euseb.*

cum

l. 6. c. 2 & 3. eum cum in certamen ardentius properaret, à Matre, quæ nihil precibus, ac lachrymis profeciſſet, ſubtractis clàm veſtibus, Diuina prouidentia, à qua ad plurimorum vtilitatem incolumis ſeruabatur, fuiſſe inhibitum. domi tamen ſic detentum ad Patrem, qui in carcere erat, literas dediſſe, quibus eum ad Martyrium fortiter ſubeundum ardentiſſimè hortabatur. quæ ad ipſius puerilem inſtitutionem pertinent; ab Euſebio poſt hæc relata, apud eum require.

Martyr. Origenis pietas.

l. 1. in fin. ff. de off. Præf. Vrb. Poſt eiuſmodi generale edictum Seuerus ſpeciale ad Vrbis Præfectum dedit Reſcriptum ad Chriſtianorum conuentus inhibendos, de quo meminit Vlpianus.

Chriſtianorum conuẽtus vetiti.

Chri. Ann. 205. Ab Oriente demum redux cum Filijs ampliſſimum de Parthis, deque alijs deuictis Nationibus Triumphum cum eiſdem Filijs, egit, Decennalia ſui Imperij celebrauit, in milites Prætorianos, ac Populum tot aureos viritim, quot annos imperaſſet, diſtribuit.

Seueri triumphus.

Dio in Seue. Herodian.

hoc anno, qui eius Principatus erat vndecimus, fortaſſe extructus, certè abſolutus eſt Arcus (quem diximus) ſub cliuo Capitolino adhuc ſuperſtes, in quo vndecies illius repetita Tribunicia poteſtas legitur, vndecimi Imperij anni certa demonſtratio. inſuper, Hoc eodem anno Agrippæ Templum, quod Pantheon dicebatur

Arcus Seueri

Pantheon

(nunc

instauratur. à Seuero. Itẽ ab Vrbano VIII.

(nunc Sanctæ Mariæ ad Rotundam Traiano Principe incendio deformatum, in pristinum splendorem restituit, vt docet inscriptio, quæ in ipsius Templi fronte marmori incisa adhuc legitur. *Quod, & nouissime, dum hæc ipsa prodimus, Vrbanus VIII. P. M. præstabat.*

Interim tùm Romæ Princeps, tùm in Prouincijs earum Præsides sæuissimam in Christianos lanienam exercebant, de qua, cum alijs, meminit Eusebius, qui addit Alexandriæ Origenem post glorioſum Patris exitum, cum ætatis annum ageret decimum octauum, aperto literario ludo, cœpisse sacras literas publicè profiteri tanta cum doctrinæ, ac sanctimoniæ, fama, vt multos ex Discipulis ad Martyrij palmam promouerit. paternis autem bonis proscriptis, egentem à locupletissima Christiana Fœmina, adoptatum fuisse. *De Origenis porrò doctrina, deque Martyribus, qui ex eius erant disciplina, plura hìc habes Author ex Eusebio, & alijs.* illud nequaquam est dissimulandum, plærosque insignes Viros (quos inter, Origenes ipse, eiusque Præceptor Clemens) non solum intentata vitæ pericula aliquandò vitasse, sed etiam pecunia redemisse, neque id priuatim tantùm, sed totius quoque Christiani Cœtus nomine, collato ære, vt piè

Origenes Adolescens publicè docet.

In chron. & hist. l. 6.

Christiani vexationem

licè-

liceret viuere, tributum pensitasse. hunc morem, quamuis diuina lege permissum, *vt Author hic multorum authoritate docet*, Tertullianus, ex Montani hæresi austerior factus, pro sua dicendi facultate acriter insimulat, & Catholicos, quod (vt ait) inter Tabernarios, Lanios, Fures, Balnearum Aleones, ac Lenones, vectigales scriberentur, mirè traducit. Sanè Valentini, Carpocratis, aliorumque His similium Sectatores, qui communi Gnosticorum nomine censebantur, hisce ipsis temporibus Dei Ecclesiam decolorabant, quippe qui re, ac verbis docerent ad quæstiones, ac supplicia vitanda, Christiano homini, Idola colere, Christum abnegare, mentiri, ac peierare fas esse. horum impietatem, dum, vna cum Catholicis, plerisque sanctissimis Viris, Tertullianus insectatur, in contrariam se partem propipi sinens, rectam veritatis lineam æquè deuius postea transgressus, Cataphrygibus, ac Marcionitis accessit, quos Catholica Ecclesia, medio incedens tramite, æquè, ac Gnosticos, damnat, ac respuit.

redimunt.

Hæreticorũ sentẽtia aduersa.

Ex multis, qui hoc anno Martyrij palmam adepti sunt, præterire æquo animo non possumus, nobile Fœminarum par, Perpetuam, ac Fœlicitatem: Illam, quod à fortitudine, ac diuinis

Perpetua, ac Fœlicitas mart.

uinis visionibus, Tertulliani, atque Augustini encomijs celebretur: Hanc quòd prægnans in carcere cum esset, ne post Sociorum certamina, suum expectare diù anxiè cogeretur, fusis ad Deum communiter precibus, maturitatem partus octauo mẽse impetrauerit; cum autem, pridiè, quàm ducendi essent instantis dolore partus vehementius angeretur, insultans Quidam, *quomodo, inquit, mortem cras feres, qua ita parturiens perturbaris?* cui illa; *naturæ debitas pœnas*, ait, *naturali tantùm virtute ægrè sustineo; quæ autem, quantumuis immania, pietatis causa subire cogar, Diuina gratia superabit*. quæ sanè illi æquè, ac Socijs adfuit: ad bestias etenim damnati, nudatis ad ignominiam natibus, in theatrum producti, interriti omnes permanserunt. itaque Satyrus (id vni ex Socijs nomen) primus à Leone discerpitur: mox ab eodem Perpetua, quam prius agitata stimulis Vacca dispulerat: tùm Fælicitas cum Rauocato Fratre à Pardo laniatur. Secundo, ac Saturnino, qui reliqui erant, bestiæ pepercerunt: reducti itaque ad carcetem, Hic gladio, Ille absque tortoris officio, ex incusso è bestijs terrore, seu vi quæstionum periere. cæterùm prægnantis mulieris supplicium non Romanis tantùm legibus cautum differri, sed etiam Ægyptis, ac Græcis com-

Tert. de an. c. 55.

Aug. de an. l. 1. c. 10. & l. 3. c. 9

Ludibria, & Supplicia Martyrum.

l. prægnãtis ff. de

pœnis. Plut. d. sera num. vind.

compertum est. Horum Martyrum certamen in Mauritania peractum est. Iam apud Gallias Vir celeberrimus Irenæus, eam Prouinciam, quam viuens excoluerat, morte illustrauit; quod ipso Seuerianæ persequutionis exordio factum putamus. qui enim Seuerus eam Prouinciam priuatus administrauerat, benè perspectas Prouincialium res, Lugdunensium in primis, quæ Vrbs Galliæ tùm erat præcipua, habere potuit: quemadmodum & Christianorum in ea nnmerum, atque constantiam Irenæi in primis, à cuius nutu, exemploque omnes penderent. itaque mitius cum eis frustrà se acturum ratus; circumdatam milite ampliſſimam Ciuitatem disquiri iussit, omnesque in ea Christianam Fidem constanter professos, Pastorem ante alios trucidari. porrò Irenæi lucubrationes Eusebius recenset. verùm ex multis eius operibus quinque tantùm de Hæresibus libri ad nostram ætatem peruenere, illique diù apud latinos latuere; itaque Gregorius Magnus anxiè se illos vbique perquirere ad Acterium Episcopum Viennensem scribit. caruisse illis quoque Cassiodorus videtur, cum nulla in eius Bibliotheca de his mentio habeatur. quamobrem quod græcè scripti essent, apud Græcos repertos pàr est credere; nam Theodoretus, post Eu-

Spart. in Sev.

Irenæi Martyrium.

Irenæi opera.

sebium

sebium, in Dialogis de his sæpius meminit.

Plautiani mors. & diuitiæ.

Plautianus, quem diximus summam authoritatem, Principibus in Oriente degentibus, nactum; seu quod altiora respiceret, seu (quod verius) Christianum sanguinem diuino Numine vlciscente; Antonini Generi insidijs appetitus interijt. ferunt illum diuitijs cum potentia auctum adeò, vt Populus in Theatro aliquandò exclamauerit ditiorem illum esse tribus simul Viris, Seuerum notans cum Filijs; Filiæ porrò, dotis nomine, tantum dedisse, quantum quinquaginta Reginis satis fuisset. Has illum diuitias ex damnatorum bonis congessisse author est Herodianus; damnati autem plerique omnes Christiani fuere.

Chri. Ann. 206. *Dio in Seu. Herod. l. 3.*

Plautiani interitu persecutio in Christianos deferbuit. Sæculares inde ludi sumptuosè celebrati, quorum occasione libros de Spectaculis, deque Idololatria à Tertulliano conscriptos quidam putant.

Igitur cum iam mitius in Christianos ageretur, Zephirinus Pontifex è latebris emergens, Pontificia munia obire cæpit, inter quæ narratur Natalij cuiusdam ab Ecclesiæ communione antea excluſi, cum eadem reconciliatio præcedente *Exomologesi*, hoc est publica criminum confessione, atque abiuratione. ad publicas

porrò

porrò enormiores noxas detergendas, summum Ecclesiæ Antistitem adiri cõsueuisse, alibi quoque admonuimus.

Origenes etiam tùm adolescens, Chri. Ann. 208. Euseb. l. 6. c. 7 siuè, quod cum omnis ætatis, ac sexus Auditores haberet, munus huiusmodi finè obrectationis, & calumniæ metu obire vellet; siuè, vt alij tradunt, non rectè Christi de Eunuchis sententiam interpretatus; facinus edidit, etsi neminiquidem probandum, quo tamen maximum Fidei, ac Castimoniæ specimen edidit: ardentiori quippè studio Deo vbique placendi, audacter se ipsum euirauit. Hoc eodem anno primam Sacrarum Literarũ interpretationem in Cantica Canticorum edidisse eum putamus. quem quidem librum apud Hebræos ne legi quidem illi ætati permissum scimus. *Origenis spõtaneum euirationem.*

Chri. Ann. 209. Seueri anno XV. Tertullianus testatur se commentarium in Marcionem elaborasse; eodemque ferè tempore scripsit quoque de Resurrectione carnis, ac de Christi carne aduersus Valentinianos. *Tertull. opera.*

Chri. Ann. 210. Proximè autem subsequenti Antonini Decennalia celebrantur: Getæ Imperatoria insignia cum Tribunitia potestate tribuuntur. tres vnà Augusti aduersus Britannos, qui Romanos fines irruperant, exercitum deportant. hostem fusum fugatumque haud ægrè coércent. murum, quem dixi- *Seuerus cũ filijs in Britãniam.*

mus

mus antea exttuctum, instaurant, porrectioremque, atque altiorem reddunt adeò, vt maximum horum Principum decus à Spartiano dicatur.

Ad hæc tempora nobilis inter Ecclesiasticos Scriptores Minutius Fœlix à Hieronymo recensetur. Is insignis Causidicus cum esset, Dialogum edidit, quem Octàuium inscripsit colloquuntur in eo Ethnicus, & Christianus, Ille Cæcilius, Hic Octauius appellati. Cæcilium, qui in Octauij demum sententiam ire videtur, coniectura adducor, vt credam, fuisse illum ipsum Cypriani, de quo mox dicturi sumus Præceptorem. eo in Dialogo veteres à Tertulliano, ac alijs toties profligatæ calumniæ ingeruntur; de cænis Thyestæis, promiscuo concubitu, Asini cultu: ad quas noua accessit planè ridenda: Christianos, Antistitis genitalia colere; quam quidem ea de causa concinnatam putamus, quod, more adhuc vigente, Christiani antè Sacerdotem iunctis manibus in genua procumberẽt, Exomologesim, seu peccatorum confessionem facturi. aureum planè huiusmodi commentariolum vnà cum Arnobio non multos ante annos à se recognitum, atque illustratum Fuluius Vrsinus Vir eruditissimus Romæ edebat. Illud ex eodem dialogo prætereundum silentio non est. Cæcilium Christianis obij-

Minutij dialogus.

Hier. de scr pt. Eccl. & ep. 84

Calumnia Christianos

cere,

cere nulla Eos habere Templa, nulla nota Simulacra. hinc ansam arripiunt Nouatores exclamandi, Ecclesiæ mores antiquos corruptos in superstitiones abijsse. hinc expoliare Templa, ac demoliri sibi fas putant: Hos quamquam alibi satis superque redarguimus, hìc insuper admonitos volumus, Templa apud Minutium à Cæcilio vocari latino puriori vocabulo sumptuosiores ædes, siuè sacras, siuè etiam vsui publico vtcumque dicatas, quibus haud dubiè Christiani tùm carebant. consulant si placet Varronem, aut, qui eum refert, A. Gellium, & quid sit Templum, quidnè ædes sacra perdiscant; vel si minus suam ipsorum impietatem, inscitiam quidem certè erubescant. accedant porrò propius ad alterum, ab hoc, sæculum, Ecclesiæ pacem expectent: Christianos Principes præstolentur: agnoscent statim Templa, atque Basilicas; Aras non iã secretiores, & Gentilibus ignotas, rimabuntur, sed prostantes conspicient; Simulacra nõ quæ hactenus notiora inaniũ Numinũ; sed Christi Seruatoris, eiusque Crucis, Deiparæ quoque, ac Christi Martyrum in Templis, ac pro Templis intuebuntur.

to. 1. ad an. 57.

Templi notio.

Var. de ling. lat. l. 8. A. Gel. l. 14. c. 7

Sed iam ad Seuerum in Britannia adhuc degentem reuertamur. Is qui hactenus ob tàm insignes victorias fœliciſſimus est habitus, in Filijs omnium

Chri. Ann. 212.

Seuerus in Filijs infœlix.

um se miserrimum fassus est, quppè ab Antonino non semel palàm ferro, occultè veneno tentatus, Amicorum beneficio exemptus est. nec periculum ignorauit, aut cognitum dissimulauit, infœlix Pater, sed Filium parricidam, Fratri quoque Getæ iam tùm palam infensum, leuiter tantùm obiurgauit. animi interim mœrore conficiebatur ita, vt, corporis quoque morbo accedente, diutiùs viuere nequaquam posse putaretur. ad hæc cum pedibus præsettim ita laboraret ex podagra, vt loco consistere, reditus in Vrbem consilium abijcere, cogeretur; militum quidam, quasi iam illius ratio nulla habenda esset, Antoninum Imperatorem acclamarunt. eo nuncio Seuerus perculsus, ac veluti expergefactus, pristinos ferociæ spiritus resumpsit, tùm lectica ferri se in Tribunal iussit simulque nouum Imperatorem, Præfectosque euocari; quibus Seueri Maiestate perterrefactis, ac veniam poscentibus, *sentitisne* (inquit) *Caput imperare, non Pedes?* & tùm quidem ea ratione seditio illa extincta est. haud tamen ita multo post, Eboraci cum esset, diem clausit extremum, qui fuit tertius supra mensem octauum, annum vero Principatus XVII. ætatis LXVI. morti proximus velut locuples humanæ testis fœlicitatis, exclamasse fertur *omnia fui, sed*

Dio in Seuer.

Chri. Ann. 213.

Bed. Hist. Eccl. l. 1.

Seueri mors.

Aur. Vict.

sed nihil prodest. imperauit autem fama tam ancipiti, hinc virtute bellica eum commendante, illinc sæuitia bellicæ laudis famam denigrante; vt de eo illud vulgo iactaretur, *Seuerum aut numquam nasci oportuisse, aut numquam mori*.

Seueri fama ambigua.

Herod l. 3. in fin. Dio in Seu. & Caracal. Spart.

Eius morte Filij simul ambo Imperium capessunt. Antoninus, & Geta; Ille, quòd seriùs voti compos sibi factus videretur vnumquemque, non ex his modò, qui Patrem seruassent, sed vtcumque obseruassent, adortus, de medio sustulit. Medicos primùm, quod Senis necem non maturassent. Nutricios suos æquè, ac Fratris, quòd de ipsis reconciliandis egissent. ex His primum tenuisse locum constat Euodum, cuius Coniugem quæ illum lactauerat, Christianam fuisse, Tertullianus videtur affirmare, dum ait, Antoninum lacte Christiano fuisse educatum, cum lacte autem Christianos, hoc est mites, mores, illum hausisse testatur in primis Spartianus qui ait. *huius pueritia blanda, ingeniosa, Parentibus affabilis, Parentum Amicis iucunda, Populo accepta, grata Senatui, ipsi etiam ad amorem conciliandum salutaris fuit*. tùm alijs eius animi dotibus recensitis, subdit. *si quandò feris obiectos vidit, fleuit, aut oculos auertit; quod Populo plus quam amabile fuit. septennis cum colluse-*

Antoninus & Geta Imp.

Antonini nutrix Christiana.

Tert. ad scap.

Spart. in Carac.

rem

rem suum Puerum ob Iudaicam Religionem (hoc est Christianam) grauius verberatum audisset; neque Patrem suum, neque pueri, vel Authores verberum diù respexit. Nutricem, lector, Christianam agnosce: cum lacte mores agnosce Christianos. collusorem porrò Nutricis fuisse Filium, quæ hactenus diximus facile persuadent.

Seueri funus & consecratio.

Post hæc ambo Fratres paterno cum cinere Romam venerunt, ex itinere perpetuò dissidentes, ac mutuis sese insidijs appetentes. sed quæ postea acciderint, suo loco dicturi sumus. hic Author ex Herodiano refert, Seueri funus, & consecratio quo pacto ex veteri more peracta sint, quæ apud vtrumuis require. cum verò Herodianus dicat Senatum ab læua, Matronas ab dextera consedisse, quadam eruditè hìc addit de vtriusque partis prærogatiua, ac dignitate. lib. 4.

Geta à Fratre occidi-tur.

His peractis, Antoninus, qui à talaris vestis genere, quam Populo donauerat, Caracalla est appellatus, Getam Fratrem annum agentem XXII. è sinu Matris abstractum, interemit; mox cæteros, qui illi vtcumque studuissent, quorum numerum viginti millium fuisse Dio tradit. quatuor ex sex quæ tùm erant Vestales Virgines consueto supplicio viuas infodi iussit, cum ex His vnam anteà cõstuprasset. neque hic finis sæuiendi, cum enim in Chri. Ann. 214. Herod. l. 4. Dio & Spart.

Circo

Circo Populus in eius Aurigam nescio quid cauillatus esset, immisso in confertos Milite, loquaces occidi iussit. Miles, data sæuiendi licentia, cum præsertim fontes ab insontibus dignosci nequierint, multos mortales promiscuè trucidauit, aut, si qui vitam pecunia, vel alicuius precij veste, aut re alia quapiam redemissent, expoliauit.

Diuina in Romanos vltio.

Subit animum huius ipsius Populi in ipsis Theatris paulò antè in Christianos licentia, atque immanitas, aliorumque Ordinum efferata in eosdem sæuitia. & persuadere mihi cogor, Diuina eos vltione, tàm dira hoc tempore à Tyranno passos itaque quemadmodum paulò antè Christianis hominibus solum nomen fuit pro crimine, ita posteà factum est, vt innumeris Getæ nomen pro offensæ maiestatis crimine haberetur. Papinianus porrò omnium, qui tùm essent, Iudicum eminentissimus, quique cum alijs (vt Tertullianus conqueritur) nulla æqui habita ratione, homines innocentissimos damnasset, capitis, & ipse, iudicium subijt. diuino quippè consilio factum videtur, vt Vir alioqui prudentissimus dissimulare stomachum nequiuerit, & Principem ob Fratris necem carpere ausus fuerit, sicque illius indignationem lacessere, mortem temerè accersere voluerit. Vlpiani tum quidem vltio, Christia-

Papiniani mors.

no nomini æquè infensi, dilata, in aliud tempus fuit reseruata.

Tranquilla tùm pace Ecclesia fruebatur. itaque Zephyrinus Montani hæresim, quæ, adscito sanctimoniæ pallio, periculosiùs multò grassabatur, &, quam diximus, pacem obturbabat, quacumque demùm ratione expugnare aggressus est. ea de causa disputationem Romæ, ampliſſimo veluti in Theatro, instituit, commissis inter se, illinc Proclo, quem Tertullianus sæpè cõmendat, Cataphrygum disertissimo, hinc Caio spectatissimæ vitæ, ac Doctrinæ Viro Catholicę veritatis Assertore. Caius porrò eandem à se tunc habitam disputationem posteà edidit, deque ea meminerunt, præter cæteros, Eusebius, ac Hieronymus. profligatis eo in certamine Hostium copijs, Anathema Montani Sectatoribus dictum; cui quidem Zephyrini Sententiæ, coactis vbique Synodis, omnes ferè Christiani orbis Episcopi subscripsere.

Chri. Ann. 215.

Caij ac Procli disputatio.

Euseb. l. 5. c. 4 Hier. de scr pt. Eccl. in Caio.

Montanus dã natur. Tertullianus Montani hæresim tuetur

Perculsus eodem cum cæteris Anathemate Tertullianus, Commentarios scribere aggressus est, quibus toties iugulatos Cataphrygas propugnaret. itaque de Monogamia primùm, tùm de abrogatis Montani ieiunijs agere instituit. ergò Tractatũ alterum exorsus, de Catholicis, quos *Physicos*, hoc est animales, vocat; *miraret*, inquit,

Chri. Ann. 216.

Eius errores

si

si sola luxuria tenerentur, qua sæpius nubunt, si non etiam ingluuie ducerentur, qua ieiunia oderunt. post hæc, quod Catholica Ecclesia, contra eiusdem Montani sententiam, Lapsos, etiã Fornicarios, ac Mœchos recipiat ad pœnitentiam, tertium de Pudicitia Commentarium scripsit, in quo pariter in Catholicos, ipsumque adeò Summum Pontificem, Edicti, quo venia dabatur Lapsis, Authorem, tamquã in impudicos, atque impudicitiæ patronos acriter inuehitur: tàm densa caligine tanti Viri ingenium offundi potuit, vt qui probè nosset Christum Dominum Samaritanam Mulierem, Adulteram, publicam Peccatricem recepisse, noui afflatu Paracleti, morem hunc Christiani nominis labem existimaret, cumque Christus Publicanos,
Luc. 2. & Meretrices admittat in Regnum Dei, ipse ab Ecclesia excludendos tanta animi obstinatione censeret. *horum occasione hìc Author fusè disserit de Romani Pontificis Primatu, deque antiquo Ecclèsiæ more recipiendi pœnitentes;* Et Pastoris Euangelici *inuentam ouem humeris gestantis Imagine in sacris calicibus, ac indumentis effingi solita, denique de Tertulliani casu, erroribus, & noua secta.*

Chri. Ann. 217. Cæterùm Antoninus Germania, ac deinde Asia, & Syria peragratis, Alexandriam cum appulisset, eius Vr- *Alexã drinorum*

bis Ciues, à quibus petulantius fuerat delusus, maxima affecit clade; quâ quidem, vt licet affirmare, Christianum sanguinem ea in Vrbe paulò antè fusum, aliud agens, egregiè vltus est. *Dio & Spart. Herod l. 4.*

Agrippinus Carthag. Episc.

Per idem tempus Agrippinus, Carthaginiensi Ecclesiæ cum præesset, ingentium turbarum Author extitit, antiquum quippè Ecclesiæ morem Hæreticorum Baptismum ratum habendi, conuellere nisus est, prætextu pietatis, quòd omnia, quæ Hæreticorum essent Catholicam Ecclesiam respuere par esse diceret. euocasse autem ad hoc Africæ, atque Numidiæ Episcopos, testatur in primis Cyprianus, qui èandem posteà Ecclesiam rexit, quique eundem errorem mordicùs aliquandiù tutatus est, vt mox dicendum à nobis erit.

Antoninus fraude vincit Parthos.

Quod verò ad rem Romanam spectat, Antoninus sui semper similli- Chri. Ann. mus, Parthos armis vincere cum dif- 218. fideret, fraude superauit. Abagarum quoque, quem non modò Christianum, sed etiam Virum sanctum fuisse tradunt, amicum Regem, quique fœdus cum Seuero Patre, datis etiam obsidibus, firmauerat, in vincula coniecit, eiusque Regiam diripuit. totus

Abagarũ capit.

Magicis artibus studet.

post hæc in magicis artibus perscrutandis fuit: itaque, & Magos toto penè terrarum Orbe conquisiuit, & Apollonium Thianæum vita pridem fun-

functum maximo in honore habuit, cui & monumentum excitauit.

Chri. Ann. 219. *Dio & Spart.* Sequenti demum anno inter Edessam, & Carras, Macrini opera à Martiano Centurione confoditur, exacto Principatus anno sexto, ætatis vix dū trigesimo. eundem posteà Macrinus, metu Prætorianorum militum, apud quos insons haberi voluit, inter Deos retulit. tùm Macrinus ipse, qui Præfectus Prætorio, maxima apud milites authoritate pollebat, conciliatis sibi magnis pollicitationibus eorum animis, Imperium adipiscitur, quod statim Diadumeno Filio communicat.

Occiditur.

Macrinus Imp. cum Filio.

Epiph. de põd. Euseb. l. 6. c. 22. Hoc eodē anno inuentos apud Hiericuntem in dolio abditos diuinę Scripturæ libros græcè redditos, Epiphanius testatur de quo anteà Eusebius, qui hanc quintam vocat editionem.

Chri. Ann. 220. *Dio, Capit. Herod* At Macrini, ac Filij Imperium malè partum diuturnum esse non potuit. vix annum in Principatu egerant, cum ab ijsdem militibus, Patris sæuitiam, atque auaritiam non ferentibus, occisi sunt. Mezentij Illum supplicia innouasse, diriora quoque excogitasse tradunt. His itaque iam sublatis, Imperator ab exercitu dictus est Antoninus cognomento Heliogabalus, quem Caracalla genitum existimarunt, immaturæ tùm ætatis Adolescens, quo nihil corruptius, inter Assyriæ potiùs Reges, quam inter Ro-

Occiditur.

Heliogabal. Imp.

manos Cæsares recensendus. huius infandas libidines, atque dedecora, ipsis quoquè, qui ea prodiderunt, Scriptoribus probro fuerunt. illa ad rem nostram spectare videntur. Romam veniens nouus Augustus, Heliogabalum (Solé sic vocabant) Syriæ Deum, cuius antè Imperium, Sacris fuerat initiatus, à quò, & nomen sumpserat, secum aduexit, Temploque in Palatio extructo, collocauit: tùm id egit, vt solus Romæ, atque adeò toto Orbe coleretur. ergò vetera Romanorum Sacra antiquare, Templa expoliare, Simulacra infringere, aut conflare instituit. videre licuit (quod non sine Diuino consilio factum putandum est) ad Pueri nutum Romanæ superstitionis monumenta, totius, vt existimabant, Reipub. munimenta, nullo Pontificum reclamante, prostrata, Christianæ rei incremento, profanata. sed hæc ad sequentem potiùs annum spectant; constat enim antequàm Romam accederet, Nicomediæ hyemasse.

Mammæa. Mammæam Heliogabali Materteteram, Alexandri, qui post Illum imperauit, Matrem, Fœminam laudatissimam, dum adhuc Antiochiæ esset, Origenem ad se vocasse, ab eoque de Christi Fidè edoctam tradunt. Origenem porrò, cum hoc ipso tempore Romam venisse constet, cum eadem venisse par est credere.

An-

Chri. Ann. 221. *Euseb. & chro. & l. 6. c. 15.*

Antonino Heliogabalo secundum iam annum imperāte, moritur Zephyrinus, exacto Pontificatus anno XIIX. Hunc, si Martyrio affectum concedimus, quod quidam tradunt, haud dubiè id subijt, quòd Heliogabalo inorem gerere abnuerit iubenti (vt Lampridius tradit) Religionem quoque Christianam ad suum Deum referri.

Zephyrini mors.

Zephyrino Successor datur Callistus, Patria, & ipse Romanus.

Callistus Papa.

Pāuin. & add. ad Pla & de Ro. Pont.

Hoc tempore, cum Heliogabalus ad agitandas Elephantorum quadrigas, ad Vaticanum Sepulcra quædam dicatur diruisse, quidam existimarunt tùnc Apostolorum Corpora ad Catacumbas fuisse translata. verum, & si daremus, Petri sepulcrum fuisse tùm dirutum, quid causæ erat, vt Pauli quoque corpus via ostiensi moueretur? huius sanè translationis causam, ac tempus alibi tomo primo ex Gregorio tradidimus.

Greg. l. 3 ep. 36.

Vigesimo secundo huius sæculi anno (vt Eusebius tradit) Iulius Africanus Christianus Historicus, & omni doctrinæ genere excultus in Palestina cum esset, Legationem ad Cæsarē suscepit de restituenda Nicopoli Palestinæ Vrbe, quæ Emaus antea dicebatur; quod cum impetrasset, sequenti anno Vrbs ea instaurata est. Hunc familiariter fuisse vsum Origene, atque Heracla Origenis Auditore, eodemque Ale-

Chri. Ann. 222. *Euseb. & chro. & hist. l. 6. c. 24.*

xandrino Antistite idem Eusebius testatur.

Sequenti anno Alexander Mammęæ Filius à Consobrino Heliogabalo dictus est Cæsar, & Ipse vix pueritiam egressus, imò, vt Idem posteà Senatui testatum voluit vno eodemque die, nouo exemplo, supremas omnes dignitates adeptus est. Chri. Ann. 223. *Lãpr. Dio & Herod*

Heliogabali mòrs. Optimæ indolis Adolescente, sic ad summa euecto, Heliogabalus ipse occisus, raptatusque per vias, in Tyberim proiectus est, Imperij anno IV. ætatis non amplius XIIX. Chri. Ann. 224.

Alexãder Imp. Alexander omnium assensu Imperator acclamatus optimis Principibus æquatus est; tantùm vel rara eius indoles, vel materna institutio valuit.

Christum colit. fuisse autem Illum si non Christianum, Christiani certè nominis studiosum satis constat. Christi porrò Imaginem in suo Larario habuisse, ac coluisse, Lampridius tradit. Templum quoque illi extructurum fuisse memorant, nisi inhibitus ab ijs fuisset, qui, sacros libros consulentes, repererant, omnes Christianos futuros. Templa autem reliqua deserenda. tradit insuper idem

Pro Christianis, rescribit. Author, cum Christiani locum quemdam publicum occupassent (haud dubiè sacræ inibi Ædi excitandæ) illudque Popinarij vendicarent, Alexandrum pro Christianis rescripsisse, cum diceret, satius esse Deum quacumquæ

ratio-

ratione ibi coli, quàm Popinarijs dedi. fuisse autem locum illum qui Taberna Meritoria vocabatur, ibique excitatam fuisse Ædem, quæ adhuc extat S. Mariæ trans Tyberim multa persuadent. Prouinciarum Rectores si quos destinasset, nomina proponebar, hortans Populum, vt, si quid criminis illi haberent, ederet, probaretque. morem autem hunc à Christianis sumere se laudabiliter existimabat, qui, pari ratione, in eos, qui Episcopi eligendi erant, aut ad aliud quodcumque munus assumendi inquirebât. *de qua Christianorum consuetudine vide quæ hìc Author ex Origene, ac alijs tradit.*

Chri. Ann. 225. *Lact. l. 5. c. 11. & seqq.*

Christianos imitatur.

Iuris peritissimos Viros in consilia adhibuit; inter quos Vlpianus, Paulus, atque Pomponius erant. amotis perditissimis hominibus, quos Heliogabalus publicis, priuatisque Aulæ ministerijs præfecerat: quamquam ex his Vlpianus, alijque non nulli Christianis plùs nimiò erant infensi, in quos iure inuehitur Lactantius. itaquè Alexandrum moribus ex se innocuum, transuersum aliquandò egerunt: Mammęa quoque horum fortasse instinctu, cum Pietate Clementiam, aliasque, quibus abundè pollebat animi dotes amisit; sæuitiam, atque auaritiam induit. quibus Filium exosum, militibus præcipuè. reddidit, à quibus & occisus est, vt suo loco dicturi sumus.

Iuris Peritè insignes.

Martyres sub

Alex. Vlpiani sæuitiæ in primis tribuitur Callisti Martyrium, quem, vt Acta testantur, ad eius constantiam expugnandam, fame diutiùs maceratum, ac fustibus quotidie cæsum, è fenestra tandem præcipitem actum, ac puteo demersum constat. extat ea ipsa domus, qua custodiebatur, in Templum efformata; extat puteus, in quem coniectus. passi quoque Martyrium leguntur sub eodem Alexandro, seu verius Vlpiano, qui, Prætorio Præfectus cum esset, summa tùm authoritate pollebat, Calepodius Presbyter, Palmatius, quem Consularem vocant, cum Vxore, ac Filijs, alijsque de eius domo ad XL. Simplicius & ipse Senator cum Seruis, ac Clientibus LIIX. Fœlix item cum Vxore Blanda, quorum capita per diuersas Vrbis portas affixa dicuntur ad Christianorum terrorem. His adnumerandi Priuatus, & Asterius Presbyter.

Ieiunium quatuor. Cæterùm Callistum quatuor anni Temporũ ieiunium Apostolica traditione ad ea seruatum tempora decreto sanxisse tradunt. sexto deindè Pontificatus anno vita functum Succes-

Callistus moritur. sorem Vrbanum habuisse. *Quòd autem de Callisti Cœmeterio, alijsque sæpè incidat mentio, hìc de Cœmeterijs Au-*

Vrbanus succedit. *thor fusè, atque eruditè disserit.*

Cœmeteria. *Quo de postmodum argumento sub nomine Romæ subterraneæ, dum has ipsa*

ipsa à nobis ederentur, Antonij Bosij Opus posthumũ Italico idiomate, multiplici notatũ Schemate, in lucem prodijt, collato studio à Ioanne Seuerano.

Chri. Ann. 227. Quartum Principatus annum auspicatus Alexander, pluribus legibus promulgatis, optimum Reip. statum restituere conatus est, Heliogabali moribus, atque institutis deprauatum. itaque Lenonum, Meretricum, atque Exoletorum vectigal in sacrum Ærarium inferri vetuit, publicis quibusdam vsibus attributum. Exoletos autem voluit proscribere, *sed veritus est* (inquit Lampridius) *ne prohibens publicum dedecus, in priuatas cupiditates corrupti Ciuium mores exardescerent.* equidem Christianis Principibus laus hæc reseruabatur, vt his sordibus Vrbẽ, atque Orbem emundarent; quod primùm Philippus, Constantinus posteà, lege lata, præstiterunt. At cum multa Alexander laude digna statuerit, illud sanè reprehensione non caruit, quod Mathematicos Genethliacos publicè vanissimã profiteri artem, non permiserit modò, sed etiam iusserit.

Hier. in Isai. c. 2.

Orig. Homil. 7. & Hier.

Alexãdri nota.

Chri. Ann. 228. Proximo deindè anno, præter alios nonnullos, in Martyrologijs recensitos, Martyrij coronam Romæ est consequuta Martina Virgo quod eius, vt putarunt, excantationibus Apollinis Ædes corruissent.

S. Martina V. & Mart.

Huius ipsius Virginis, neque eius tantum, sed Concordij quoque, Epiphanij, Socijque, cuius nomen non proditur, sacra Reliquia, post hanc ipsam Epitomen à nobis scriptam, Romæ inuenta, atque exhumata, decentiùs recondita, atque impensiùs deinceps coli sunt cœpta. operæ precium erit, rem paucis, pro instituti nostri ratione, hic tradere.

Est Romæ Templum ad ipsas Capitolij radices, non longè à Seueri Arcu, ac Carcere Mamertino, Pictoribus, qui in Vrbe degerent, superioribus annis à Sixto V. Pont. Max. attributum, ex ipsis, vt fama est, Martis olim Fani ruderibus excitatum. antequàm illud conderetur, Hortum inibi fuisse tradunt Fano ipsi adiacentem, in quem sacræ huiusmodi Reliquiæ ex Via Ostiensi translatæ ab Antero Papa decennio ferè post Martinæ obitū dicuntur. cæterùm rei memoria, commētarijs rudiori stylo scriptis, nec impressis commendata pænè exciderat. Hoc ipso in Tēplo Petrus Berrettinus Cortonēsis, eximius huius æui Pictor, nec inferioris notę Architectus (quem tamen non Ars magis, quam singularis aduersus Deum, ac Cœlites Religio commendat) Sacellum extruebat, vbi & humari se, post obitum, optabat. ergò in ipsa telluris ad sepulcrum suffossione, ac egestione, sacra

hæc

hæc Pignora thesauro quolibet potiora inuenta sunt VIII. Kal. Nouembris anno à partu Virginis quarto, ac trigesimo supra millesimum, ac sexcentesimum. erant autem testacea in Arca duos inter parietes vnà cum plumbi lamina, ac marmorea tabula, quarum hæc Martyrum habebat nomina, illa, licet inscripta, literis tamèn temporis diuturnitate semideletis, perlegi nequijt, porrò Virginis Caput, quod dignosci haud ægrè potuit, breuiori erat in Patera ex cupro. & perbellè accidit, vt quæ, Vrbano Pontifice, certamen inuerat, Vrbano quoque Sacrorum Antistite, veluti rediuiua, Romæ iterum triumpharet. res summo cum totius Vrbis plausu peracta, religiosa multorum studia accendit. itaquè & Franciscus Cardinalis Barberinus ipsius Vrbani ex Fratre Nepos Templum ipsum vetustate labefactatum remoliri instituit insigni schemate atque operis in primis nouitate visendum eodem Petro architectante.

Iam verò ipsa sacrorum Pignorum reconditio, nobis spectantibus, peracta est postridie Iduum Ianuarij sequentis anni, cui Franciscus idem Cardinalis, Sacris ibidem antea operatus, interfuit, cumque Eo Martius Ginnettus, & ipse Cardinalis, ac Pontificius in Vrbe Vicarius, Episcopi præterea duo, Tigrimius Tigrimius

Assi-

Assisiensis, Thomas Saluiatus Collensis, alijque non pauci Sacerdotalis præsertim Ordinis Viri. ad hæc Symphoniacorum Pœana sacrum concinentium chorus. & Martinæ quidem Caput argentea in patera, ossa reliqua, ipsaque patera, cypressina in Arca, oloserico villoso conuestita collocata sunt. Arca ipsa, plumbo tecta, aliam in Arcam alabastrinam coniecta. trium aliorum Martyrum Capita argentea Arcula clausa sunt, arcula ipsa, ac ossa reliqua Arcà aliâ & ipsa cypressinâ, conuestita, ac plumbo tecta. hæc demum alia marmorea grandiori. locus ipse, anteà concameratus, magnæ molis lapide obstructus est, ostiolis nihilominus, seu fenestris, è superiori Conditorij parte, ad ipsa super- Chri. impositæ Aræ latera, relictis, ærea Ann. crate communitis. 229.

Ad annum porrò Alexandri sextum *Euseb.* Eusebius recenset inter Scriptores Ec- *chron.* clesiasticos Geminum Antiochenum, & Beryllum Bostrenum in Arabia, & Hip- *Hist. l.* polytum, qui Portuensis fuit Episco- *6. c. 2.* pus. quorum etiam opera recenset, 14. 16 & ex Eo Hieronymus. Hippolytum & 26. autem, aliosque non paucos ad Ostia *Hier.* Tyberina, ipsoque in Romano Portu *d scri-* Martyrium adeptos, ex Romano Mar- *pt. Ec-* tyrologio constat. *cl.*

Origenes creatur Quadragesimum amplius ætatis an- Chri. num Origenes magna cum eruditio- Ann. nis 230.

Fuseb. l. 6. c. 7

nis fama exegerat, cum, in Palæstinam profectus, à Theoctisto Cæsareæ, ac Alexandro Hierosolymæ Episcopo Presbyter consecratur. hoc cum rescisset Demetrius Episcopus Alexandrinus, siuè æmulatione ac liuore, vt Eusebius putat, siuè Dei zelo, vt alij existimant; literis ad eosdem Episcopos, aliosque complures datis, occultum hactenus Origenis facinus, spontaneam euirationem, non diuina tantùm lege, atque Ecclesiasticis sanctionibus, sed humano etiam iure vetitam, euulgauit. ea de re maximæ sunt turbæ excitatæ; pro Demetrio alijs, alijs pro Origene, & Palestinæ Episcopis voce, ac scriptis propugnantibus. Eusebius testatur Apologiam se pro Origene (quæ tamen non extat) sex libris distinctam edidisse.

Presbyter.

Euseb. l. 6. c. 12.

Cæterùm Origenes, sextam sacrorum librorum versionem, incerto Authore, nactus, laboriosissimum Opus aggressus est. sex quippè huiusmodi versiones. sex veluti columnis distinxit; ad has autem, & duas alias, Hebræum contextum habentes, addidit. & à sex quidem versionibus Hexapla, ab octo autem columnis Octopla, Opus illud nuncupatum est. *De his omnibus editionibus, in primis verò de ea, quæ Ptolemæi Philadelphi iussu facta est, fusè hìc differentem Authorem consule. qui ad sequentem quoque*

Origenis insigne opus.

Sacrorũ librorũ.

editiones. *annum multa addit de Origene eiusque cum Demetrio contẽtionibus, tùm de quibusdam eius Operibus, ac erroribus in eis detectis.*

Caciliæ martyrium. Hùc spectat Cæciliæ Virginis nobilissimæ, glorioſum Romæ certamen, multorum Encomijs celebratum. Hanc, post Valeriani Sponsi; ac aliorum cædem, Almachius Vrbis Præfectus balnei vapore domi necandam curauit; in eo illæsam diutiùs permansisse postquàm cognouit, immisso Spiculatore, gladio tolli iussit. Is tribus ictibus consternatam, mortuam ratus, Capite non dùm abscisso reliquit. hoc pacto vulneratam triduo superuixisse tradunt, dum, quæ reliqua Ei erant, pauperibus largiretur. supereſt adhuc eius in ædibus excitatum posteà templum; quod cum non multis ab hinc annis (*post quàm hæc ipsa Baronius scripsisset*) Paulus Cardinalis Sfondratus Gregorij XIV. ex Fratre Nepos *nobis spectantibus* instauraret, tellure altius egesta, magno cum totius Vrbis plausu, sacræ Virginis Corpus, marmoreo in tumulo inuentum est, ita vt conditum à Paschali fuerat ante annos tunc DCCLXXVIII. ab hoc Martyrij tempore DLXXXIX. non resupinum illud quidem, vt moris est, sed vt in lectulo iacens in dexterum latus propendens, contractis non nihil ad

Chri. Ann. 232.

Corporis inuẽtio.

Infra lib. IX ad an. Chri. 821.

mo-

modestiam genibus, vt Virginalem agnoscerès verecundiam. Antequàm iterum humo, Regio ornatu, atque impensa conderetur, innumeræ Virginis, veluti in latus dormientis, Imagines marmore, ære, ac penicillo expressæ toto pœnè Christiano orbe distributæ, vænales hodieque habentur.

Chri. Ann. 233. At Vrbanus Pontifex, qui Cæciliæ sanctioris vitæ, Valeriano autem, ac Tiburtio Fratri, alijsque permultis, Christianæ Religionis suscipiendæ, ac Martyrij subeundi Author fuerat, non diù superstes fuit, Martyrio, & ipse, coronatus, anno Pontificatus septimo. de eo, præter cætera, in libro de Romanis Pontificibus hæc habentur. *hic fecit ministeria Sacra omnia argentea.* quo loco summoperè animaduertendum est, eo ipso tempore sacras Christianorũ Ædes augescere huiusmodi splendore cæpisse, quo Idolorum Templa decrescere. quippè Alexander aurum, argentumuè inferre Templis aliorum Principum more neglexit, illud Persij vsurpans *in Sanctis quid facit aurum?*

Geg. Tur. d. glor. mart. c. 38. Lãpr. in Alex. Herod l. 7.

Maximinus autem; qui post eum imperauit, ita non intulit, vt sacrilegè ea potius spoliauerit.

Euseb. l. 6. c. 23. Vrbano interim sublato, Pontificatum init Pontianus. At Origenes docendi munere intermisso, Tyrum secessit Sacras inibi Literas commenta-

Pontianus Papa.

rijs

Origenis Discipuli Greg. Thaumaturgus. Alex. Carbonarius

rijs illustraturus. *hic ab Authore insigniores eius Discipuli, eorumque res gestæ recensentur.* in His fuit Gregorius cognomẽto Thaumaturgus, cuius laudes Gregorius Nyssenus copiosius affert: tùm Athenodorus, Gregorij Frater; Alexander qui, vt idem tradit Nyssenus, ex Philosopho Carbonarius factus, ea sub persona diù latuit, donec à Thaumaturgo agnitus, Cumanę apud Pontum Episcopus legitur. *Greg. Niss. in Vita. Chri. Ann. 234. Euseb. l. 6. c. 20. & seqq.*

Demetrio, quem diximus, Alexandrino Episcopo vita functo, illius vicem subit Heraclas; Dionysio interim, ex Origenis Auditoribus, sacras literas Alexandriæ profitente, Ammonio quoque Christiano Philosopho ibidem docente, à quo Plotinus, insignis & ipse Philosophus, Porphirij Præceptor, edoctus est. Longinus etiam humanam Philosophiam per eadem tempora illustrabat, cuius in Ammonium, atque Origenem, apud Eusebium, extat encomium. Ammonium porrò Christianam deseruisse Religionem, impudentissimè Porphirius mentitus est, quem Eusebius, ac Hieronymus refellunt. *hac sumpta occasione Author Philosophiæ studium Sanctorum Patrum authoritate commendat, illudque Christianæ Fidei profectuum magnopere fuisse contendit*, quamtumuis multi eo abutantur, inque absurda deliria, atque adeò in ma-

Porph. in Vita Plotini

Ammonius Plotinus & Lõginus Philosophi.

gicas

gicas artes prolabantur, quod Plotino in primis, atque Porphyrio vsu venit. constat autem, ne quis errore ducatur, præter Ammonium, quem modò laudauimus ex Platonis disciplina Philosophum, alium quoque Athenis Peripateticum floruisse. *Plotinus & Porphyrius magi.*

Chri. Ann. 235. 236. *Herod l. 6. lãpr. in Alex.*

Trigesimo quinto huius sæculi anno vacuo præterito; ad sequentem spectat Alexandri Romani Cæsaris de Artaxerse Persarum Rege parta Victoria, quam, ipse Cæsar ad Senatum gloriosè commendat, aitque habuisse Hostium castra Elephantos turritos septingentos, ex his ducentos interfectos, trecentos, captos (ex quibus decem, & octo Romã perducti sunt) falcatos currus mille. equitum centum viginti millia. actus itaque triumphus speciosissimus, supplicationesque de more indictæ. *Romanorum de Persis Victoria.*

Ferunt hoc anno Thomæ Apostoli Corpus ex India Edessam translatum. vtcumque se res habeat, illud certè Indi adhuc se possidere contendunt, vt partem tantùm ademptam, satius sit affirmare. *Thomæ Apostoli corpus trãslatũ.*

Chri. Ann. 237. *Euseb. & Cass. iod in chron.*

Verùm Alexander Imperij annum auspicatus XIV. ætatis XXX. cum in Germanica expeditione esset, Maximini dolo, cum Mammęa Matre occiditur. Pontiani Pontificis exilium vltus est Deus, quem ille paulò antè in Sardiniam deportari iusserat. tùm *Alexãder occiditur.*

Maxi-

Maximinus Imp.

Maximinus ab exercitu Imperator acclamatur, homo apud Thraciam natus, quem ob corporis vires, atque enormem staturam, militibus spectatum, Alexander Tyronibus instituendis præfecerat. Is nihil prius sibi faciendum existimauit, quàm vt omnes Alexandri familiares, atque vtcumque studiosos tolleret: in quibus multos fuisse Christianos Eusebius, & alij tradunt. tùm quòd terræmotus frequentes eo ipso tempore, maximarum Vrbium, ac Regionum clade, existerent; veteres in Christianos calumniæ renouantur; noui Cæsaris iussu vehemens persequutio instauratur. ea plærique omnes Ecclesiarum Antistites, atque Ministri, aut dilabi, aut dira supplicia subire coguntur. Hac eadem procella ingruente Pontianus apud Sardiniam, quasi non satis exilio mulctatus, Tyranni iussu fustibus ad mortem cæsus est. Pontiano subrectus Anterus, Græcus genere, diutiùs Pontificatum nequaquàm gessit, ex iurato in Sacerdotes bello, sequenti statim anno, & ipse, interemptus. Post Pontianum quidam numerant Cyriacum quemdam, sed nulla Antiquorum authoritate, ex commenticijs tantùm Vrsulæ, ac Sociarum Actis, in Martyrologij notis à nobis refutatis.

Iul. Capit.

l. 6. c. 21. Orig. in Io.

Pontiani martyriũ.

Anterus PP.

Maximinus, parta de Germanis victoria, apud Sirmium Pannoniæ Vrbem

bem hyemauit : Maximinum Filium Cæsarem dixit. inscitia autem Scriptorum, aut librariorum factum, vt multa Martyrum certamina non satis constet, sub hoc nè, an sub Galerio acciderint, quem Maximianum appellatum, Maximinum aliqui dixerunt, an etiam sub Alio, qui, à Galerio Cæsar dictus, Iouius cognomento est appellatus.

Chri. Ann. 238. 239. Anterum ea præcipuè de causa Martyrium subijsse tradunt, quòd diligentiori cura Martyrum Acta per Notarios iam tùm à Clemente institutos describi curasset. *qua occasione, nonnulla de Notarijs eleganter ab Authore tradita hìc habes.* *Notarij.*

Euseb. l. 6. c. 22. Post Anterum, Pontificatum adeptus est Fabianus, Columbæ indicio quæ in eius Caput conuolauit. *Fabianus Papa.*

Iam verò omnibus, non Romæ tantùm, sed per Romanum vbique Imperium Tyranni sæuitiam auersantibus; in Africa primum Gordiani Pater, ac Filius Imperatores acclamati; sed statim à Maximini factione sublati, tùm Romæ à Senatu Maximus Pupienus, & Clodius Balbinus, qui Gordianum Puerum Cæsarem dixerunt, Augusti appellati. aduersus nouos Principes Maximinus cum exercitu properans Aquileiæ cum Filio interemptus est. neque ita multò post ipsis quoque Maximo, ac Clodio ex *Maximinus cum filio occi*

militum tumultu extinctis, rerum summa ad Gordianum delata est.

Gordianus Imp. Babilas Episcopus Anthioc.

Cebino Antiocheno Episcopo vita functo sufficitur Babilas, inter orientales Antistites celeberrimus. de quo satis dictum in nostris ad Romanum Martyrologium notis. Chri. Ann. 240. 241.

Gordiani Imperio pace Christianis parta multa alia Origenem scripsisse Commentaria memorant. In Africa XC. Episcoporum Concilium aduersus Priuatum Hæreticum coactum: aliud que in Arabia aduersus Beryllum Bostrorum eadem in Prouincia Episcopum. Chri. Ann. 242. *Euseb. l. 6. c. 25. Cyprian. ep. 55.*

Gordianus ĩ Persas.

Bello Persico iterum exorto, Sapore Rege Artaxersi illatam ab Alexandro cladem vlcisci cupiente, & iam Syriam populante, Gordianus, conscripto exercitu, eò proficiscitur, Chri. Ann. 243.

Misitheus Gordiani socer.

ducta prius vxore Filia Misithei Viri spectatissimi, quem Prætorio præfectum rerum in posterum gerendarum fœlicem Auspicem, atque Authorem habuit. *Iul. capit. in Gordiano.*

Ducto itaque per Mœsiam exercitu, vbi primùm in Thraciam peruenit; hostes, qui illùc vsque penetrauerant, fudit, fugauitque: postquam autem peruenit Antiochiam, quæ iam Persarum sub potestate erat, eos iterum magna clade affecit. Chri. Ann. 244.

Misithei mors.

At Misitheus, Philippi, qui Tyranidem postea occupauit, dolo, Medico- Chri. Ann. 245.

dicorum opera extinguitur: Philippus ipse Prætorio præficitur, qui regnandi libidine semel percitus, eo gradu consistere nequaquam potuit. itaque Gordiani adolescentiæ prætextu, atque annonæ in Castris caritate, Milites impulit, vt se Imperij Collegam exposcerent; quo per eos impetrato; quod vnum superesse videbatur, Collegam deijcere iam molitur. hoc cognito Gordianus, splendore fretus natalium, sperans Philippo Imperium abrogari adhuc posse, Tribunal ascendit, multaque apud milites questus, Hominem, vt beneficiorum immemorem, incusauit: verùm nihil proficere sentiens, minoremque se Philippi factione agnoscens, æquale Imperium æquo se animo pati dixit; abnuentium specie obstrepentes, miserabili ambitu rogauit, vt Cæsarem gerere liceret, tùm vt Præfectum Prætorio, deindè vt Ducem, aut Militem, denique vt viuere. precibus cum lachrymis incassum fusis, Philippo sistitur, regioque exutus indumento, interimitur Principatus anno VI. eius corpus ab ingratis licet militibus Sepulcro honoratum Capitolinus tradit huiusmodi cum inscriptione. *D. Gordiano Victori Persarum, Victori Gothorum, Victori Sarmatum, Depulsori Romanarum seditionum, Victori Germanorum, sed non Victori Philippo-*

Capit. in Gord.

Chri. Ann. 246.

Misera Gordiani cõditio

Gordiani mors.

Gordiani epitaphiũ

Ipporum: Senatus sanè mœrens perlato mortis nuncio, illum inter Deos retulit. errant qui putant, Philippum tùm cum Imperium adeptus est, fuisse Christianum. perspicuum sanè hoc fit ex Origenis aduersus Celsum Cōmentario, quem sub hæc ipsa tempora editum constat: sanè post quadriennium Christiana cum Filio Sacra suscepisse, multa persuadent. illud tamen Lectores admonendi, multa huic Philippo, errore nominis, tribui, quæ Philippo de quo iam diximus, Augustali Ægypti Præfecto essent tribuenda.

Is igitur altero adepti Principatus anno Romam venit, Filio cognomine consorte Imperij, vt cusa docent numismata, appellato: quo tempore (vt Porphyrius tradit) Plotinus quoque publicè, eadem in Vrbe docere cœpit.

Plotinus Rome docet.

Heracla Alexandrino Antistite vita functo, regimen Dionysio creditur. Is Origeni, cuius Auditor fuerat, negocium facessere non dubitauit, ob innumeros errores, qui eius, doctissima alioquin, Scripta deformabant. igitur Origenes tùm ad Fabianum Romanum Pontificem, tùm ad alios Episcopos rectę Fidei confessionem scripsit, quæ cum Eusebij pro eo Apologia, excidit. dein Romam venit, non aliam, vt videtur, ob causam, quàm

Origenis fidei professio.

Chri. Ann. 247. *Proph. in vit. Aug. ep. 56.*

Chri. Ann. 248. *Euseb. l. 6. c. 20.*

quod

quod Fabiano ea confessione satis non feciſſet. Romæ cum esset, Plotini schola aliquandò ingressus est (quod tradit Porphyrius, qui tùm aderat) Plotinus autem rubore suffusus exorari ab Origene haud potuit, vt institutum sermonem prosequeretur, Eius, vt professus est, iudicium reformidans; tantæ Origenes erat apud omnes existimationis, cæterùm quid cum Fabiano egerit, non satis exploratum est. illud constat, haud diutiùs Romæ moratum, Orientem repetisse. *Origenis existimatio.*

Chri. Ann. 294. *Euseb. l. 6. c. 27.* Quarto Principatus anno, Philippus milleſimum natalis Vrbis annum, magnificentissima munerum editione, celebrauit; eo anno Christiana illum Sacra suscepisse, ac præteritorum scelerum Exomologesim fecisse tradunt. *Philippus Imp. Christianus*

Euseb. l. 6. c. 30. Epiph. hær. 19. 53. Aug. de hær c. 32. Per idem tempus, vt Eusebius scribit, nouæ hæreses apud Arabiam extiterunt, veteres quoque sæpius iugulatæ reuixerunt. nam & ex Gnosticorum schola, voce tenùs Fidem abnegare fas esse, &, quod hactenus nemo somniauerat, animas vna cum corpore interire, Iudicij porrò vniuersalis tempore, reuiuiscere, non nulli docuerunt. imò rerum nouandarum studium eò peruenit, vt ab esu carnium, ex Pythagoræ præcepto, abstinendum, &, quod absurdum est magis, vnumquemque Eu- *Nouæ hæreses.*

nuchum fieri oportere, non pauci contenderent.

S. Cypria. nus Carthag. Episc.

Quinquagesimo huius sæculi anno Cyprianus Vir Sanctissimus Carthaginensi Ecclesiæ post Donati mortem præficitur, illustri apud suos loco natus, Senatorio clarus munere, Rhetorque, ac Philosophus præstantissimus, ad Christi verò Fidem haud ita pridem matura iam ætate, maximo rei Christianæ bono, traductus. sequenti anno Augustorum cædem quidam tribuunt, quam non nisi post biennium contigisse constat. Chri. Ann. 250. Chri. Ann. 251. 252.

Verùm Alexandriæ, Magi cuiusdam suasu, maxima à seditiosis Ciuibus in Christianos excitata est procella, quæ veluti præludium fuit ad Decianam, quæ mox sequuta est, persequutionem. ea seditione, præter alios complures, qui conuicia in Christum iactare abnuentes Martyrio affecti sunt; Apollonia prouecta iam ætate Virgo eadem ex causa abrepta, dentibus ad vnum excussis, rogo admota, carnificis præuertit officium.

S. Apollonia V. & M.

Philipporum cædes. Decius Imp.

At Philippus, Veronæ cum esset, Decij scelere, Imperium pari scelere partum amisit, eiusdemque Decij factione Philippus Filius Romæ interimitur. de Filio tradunt senilibus illum moribus præditum, numquam risisse. Patrem verò mutatis cum Religione moribus, Senatui Populoque Roma- Chri. Ann. 253.

no

no gratum demùm extitisse; argumento esse potest eius post mortem sequuta consecratio, quamuis Successorem habuerit inimicum. eodem ferè tempore Fabianus Pontifex Martyrij palmam adipiscitur, exacto Pontificatus anno XV.

Fabiani Papa martyriũ.

Decius porrò vix dùm Imperium inuaserat, cum, feralibus edictis, bellum Ecclesiæ intulit omnium, quæ tùm fuerant, asperrimum; quo factum putamus, vt Romana Sedes post Fabiani exitum tamdiù vacauerit. huiusmodi terrore incusso, multi, datis libellis, se ipsos deferentes, ne vitæ, aut rei familiaris iacturam facerent, Christi Fidem supplicijs nondùm admotis abnegarunt. multi fuga dilapsi, inter quos Cyprianus primum illum belli impetum declinauit, vt postea gloriosius triumpharet. *hoc loco Author multas ex Cypriani epistolis recenset, ex quibus, & ipsius in Christi Martires charitas, & totius tùm rei Christianæ status deprehenditur.*

Decij persequutio

Cypr. ep. 15. & alibi.

At verò eorum, qui Martirij palmam adepti sunt, tantus fuit numerus, vt vel nomina recensere, nihil aliud futurum sit, quàm Martyrologium retexere, aut exscribere.

Martyres innumeris.

Dionysius quoque Alexandrinus de se, deque commisso sibi grege miserandam texit historiam, quam ex Eusebio petes. eos inter, qui huiusmodi

Euseb. l. 6. c. 33.

Paulus primus Eremita.

se procellæ subduxerant, Paulus fuit, qui solitudinem, cessante quoque formidine, ita coluit, vt ad vitæ finem, quæ sextum Constantij Consulatum attigit, in ea permanserit. Hic est Ille Paulus Anachoretarum facilè Princeps, cuius res gestas Hieronymus elegantissimè est prosequutus. Neque tùm Origenes, adhùc superstes, ab huiusmodi vexatione immunis fuit, diù, & ipse, catenis oneratus, carceri mancipatus, Martyrij palmam nequaquam adeptus. cæterùm falsò impietatis à quibusdam arguitur, quasi non nisi thure demum oblato mortem effugerit. *à qua illum calumnia firmis argumentis Author hìc eximit.*

Hier. in vi Origenis ve xatio.

Babilas, & Alexãdri Martyrium.

Percelebres item Viri Babilas Anthiochenus, & Alexander Hierosolymitanus, Antistites diris quæstionibus, diuturno vexati carcere, effœtæ ætatis cum iam essent, occubuerunt.

Gregorius Thaumaturgus.

At Gregorius Thaumaturgus, vt de eo tradit Nyssenus, cum suorum imbecillitatem exploratam haberet, veritus, vt ex his multi vsque ad mortem pro pietate essent certaturi, Author illis fuit, vt fuga periculum declinarent, seque His fugæ non comitem modò, sed ducem præbuit.

Valerianus Censor

Hoc eodem anno, Valeriano, ex S.C. generalis Censura, & in Iudices reliquos potestas demandata est, Decio id ratum habente; cum iam exercitu

citu comparato in Persas proficiscereretur, quod ideò dictum voluimus, quia multa in Martyrum actis hoc tempore Decio simul, ac Valeriano, quasi Collegis, tribuuntur.

Chri. Ann. 254. Decio secundum in Imperio annum agente, innumeri omnis generis Christiani, *quos Author ex eorum actis recenset*, Martyrium subiere.

At Cypriano adhuc delitescente, Fœliciſſimus, qui illius etiam electioni fuerat aduersatus, dirum Africana in Ecclesia Schisma conflauit, cuius Asseclæ Montenses dicti sunt.

Post annuam Romanæ viduitatem Ecclesiæ, Summus creatur Pontifex Cornelius, de cuius electione, ac *Cypr. ep. 52.* præclaris meritis extat Cypriani Epistola ad Antoninum. *Cornelius Papa.*

Decium interim aduersus Gothos, qui Thraciam inuaserant, pugnantem, ac fusum, fu[illegible]amque, obuia Palus hausit. *Decij mors.*

Gallus, qui limitaneis præerat legionibus Imperator ab exercitu acclamatus Volusianum Filium Collegam assumpsit. *Gallus & Volusianus Impp.*

Decij interitu reddita Ecclesiæ pace, frequens Lapsorum turba glomeratim quodammodo ad eam redibat. tùm Cyprianus, non esse ex Ecclesiasticæ disciplinæ maiestate ratus omnibus promiscuè ostium patere, eruditissimum de Lapsis commentarium

scripsit, simul suæ se Ecclesiæ, è labris emergens, reddidit. Illud nequaquàm est prætermittendum, in omnibus antiquioribus Martyrologijs ad diem XIIX. Octobris inter Sanctos adscriptam haberi Tryphoniam Vxorem Decij Cæsaris, sepultamque in Cœmeterio apud S. Hippolytũ; hanc autem non Senioris Decij, quæ Herennia Salustia fuit, sed Iunioris Coniugem fuisse, dictum à nobis est in Romani Martyrologij Notis.

S. Tryphonia Decij Iunioris, Cõiux.

Nouatus, & Nouatianus

Nouatus, qui in Africa Episcopus fuerat, ab eaque recedens, Romam venerat, turbas ibi non vulgares excitauit. nactus quippè Nouatianum Romanum Presbyterum, Cornelio, ob æmulationem, infensum, Romanam Ecclesiã, vixdùm à persequutione quiescentem, miris artibus, cum ipso Pastore exagitauit. admonendus tamen est Lector ob similitudinem tùm morum, tùm nominum, multa promiscuè duobus hisce huius Schismatis Authoribus tribui, eorumque vt nomina, ita & res gestas confundi. porrò in Cornelium ab his iactatas calumnias, eadem ipsa ad Antonianum epistola Cyprianus refellit. his autem cum nihilominus apud Romanũ Clerum aliquid profeciissent, factũ est, vt, Cornelij electione abrogata, à suæ factionis hominibus Nouatianus Romanus Pontifex crearetur. Is, vt parum

Primũ Schisma in

Euseb. l. 6. c. 35.

sta-

stabili fundamento nixam fulciret ele- *Eccl.*
ctionem, ipsos quoque Laicos, dùm *Rom.*
eis Christianam Hostiam proprijs manibus cõmunicaret, iure iurando seorsim singulos adegit, vt, Cornelio abdicato, se Pontificem agnoscerent.

His peractis, tàm Cornelius, quàm Nouatianus literas ad prȩcipuos Christiani Orbis Antistites dederunt. Hic insuper Legatos ad Cyprianum, qui Prouincialium Episcoporum Concilium coẽgerat, destinauit. Hi ne admissi quidem sunt. Dionysius verò Alexandrinus tam acre Nouatiano dedit responsum, vt à D. Hieronymo relatum, *prætereri à nobis æquo animo non possit, licet breuitatem tantoperè quæramus. est autèm tale.*

De scr. Eccl. in Dionysio.

Dionysius Alexandrinus Episcopus Nouatiano Fratri salutem. *Nolens nè ad Sacerdotiũ fueris inductus, ità demum ostendes, si volens cesseris. nam oportuit quiduis hac gratia perpeti, ne discinderetur Ecclesia Dei. neque minus præclarum ex hoc contigisset testimonium, quòd noluisses dissidium inducere, quàm proficisci solet ex eo, si quis recuset simulacris immolare, atque adeò præclarius etiam mea quidem sententia; si quidem illìc vni propriæque consulitur animæ, hìc totius Ecclesiæ negocium agitur, tametsi nunc quoque si persuaseris, si compuleris Fratres in concordiam redire, plus*

egeris officio, quàm peccaueris errato; atque hoc quidem haud imputabitur, illud verò laudibus feretur. cæterùm si, non obtemperantibus, minus assequeris quod vis, tamen fac modis omnibus tuam ipsius serues animam. hæc Dionysius.

Decreta de lapsis.

Concilio, quod diximus, à Cypriano coacto illud peractum, vt excommunicationis cēsura in Fœliciſſimum, eiusque Assecias à Cypriano promulgata, rata haberetur: Lapsis porrò, certis, pro criminum generibus, pœnis constitutis, Ecclesiæ ostium apertum. si qui ex his Sacerdotes, aut Clerici fuissent, ad Laicorum communionem, non ad ministerium admissi. eadem omninò Romæ, Synodo per Cornelium coacta, decreta sunt.

Nouatus interim cum alijs nonnullis Schismaticorum, specie legationis, in Africam Roma delatus est. eius discessu, plærique omnes ex his, qui Nouatiano adhæserant, quique Cornelium calumniati fuerant, resipiscentes palinodiam cecinerunt. Porrò Nouatum, ac Nouatianum non Schismaticos modò, sed etiam Hæreticos fuisse ex Cypriano, & alijs testatum habemus; nec tantùm falso dogmate, de Lapsis ab Ecclesia non recipiendis, imbutos, sed alijs quoque Tertulliani, & Cataphrygum erroribus, ex quadam Stoica seueritate, irretitos. pecu-

Cypr. ep. 46. & seqq Euseb. l. 6. c. 35.

Nouatianorū hæreses.

Theodoret. hær. fab. l. 3

lia-

liarem quoque illorum morem fuisse constat, vt baptizatos apud Catholicos, rebaptizarent. Sub idem tempus Barbarorum in Numidiam incursione multi promiscui sexus Christiani captiui abducti sunt. ad eos redimendos

Collecta pro redimēdis captiuis.

Cypr. ep. 60. indicta à Cypriano collecta, tria ferè aureorum millia, vt ipse testatur, coacta, & ad Numidiæ Episcopos eum in vsum transmissa sunt.

Chri. Ann. 255. Sequenti anno, qui Galli, ac Volusiani secundus fuit, frequentior aduersus Nouatianum Synodus Romæ coacta est Episcoporum LX. Aliud

Euseb. l. 6. c. 35. quoque Concilium celebratum tùm fuisse, ac Italicum nuncupatum, tradit

Hier. de scr. eccl. in Corn. Hieronymus, quemadmodum etiam & in Africa, quod testatur Cyprianus, in quo fuerunt Episcopi XLII. ab hoc Conuentu cum Priuatus antiquus Hę-

Schisma Carthaginiense.

Cypr. ep. 55. reticus iam anteà damnatus, fuisset exclusus; coacto sui similium Cœtu, aduersus Cyprianum, Fortunatū Pseudoepiscopum creandum curauit, & ad Cornelium ea super re Legationem mitti, quæ ab illo reiecta est. de hoc autem Schismate plura in Cypriani Epistolis habentur.

Antiochiæ insuper Synodus Orientalium Episcoporum frequentia celebris coacta est, ea ipsa de causa, quod ipsa Antiochena Ecclesia Nouati Schismate laboraret.

Dion. Hoc eodem anno tùm vulgaris lues

Pestis

decennalis. extitit; quæ vniuersum fere terrarum Orbem toto deinceps decennio depasta est, tùm nouum bellum aduersus Christianos a Volusiano, & Gallo indictum, Valerianus æquo fermè annorum cursu est prosequutus. huius procellæ initio Cornelius ad Centumcellas exul mittitur; quò, cum multi confluerent, aut ad eum literas darent, cumque Cerealis, à quo Cornelius custodiebatur, multis cum eiusdem custodię militibus Christi Fidem amplexus fuisset, Volusiani iussu tùm Cornelius ipse, tùm Cerealis, viginti ferè cum militibus Romam perducti, ac in Templum Martis inducti, ei immolare cum renuissent, omnes capite plexi sunt.

in Gallo, & Volus. Pomp. Lat. in eisd. Euseb. chron. Greg. Nyss. in Taumat.

Nouа persequutio

Cornelij Papæ, ac aliorũ Mart.

Lucius Papa. Cornelio, qui biennio ferè Pontificatum gessit, sublegitur Lucius, ad quem binas Cyprianus literas dedit, quarum alteræ tantùm extant. Lue, quam diximus, iam vbique grassante, Christianorum charitas maximè enituit; in primis autem sacrorum Antistitum, Cypriani in Africa, Dionysij Alexandriæ, Thaumaturgi in Ponto: qua etiam occasione multi Christi Fidem amplexi sunt, qui viderent Christianam charitatem non Christianos modò, sed ipsos æquè Gentiles amplexantem, & propriæ vitæ dispendio opem omnibus ferentem. contrà verò alij complures, ex veteri instituto,

Chri. Ann. 256. *Cypr. ep. 58.*

Christianorũ charitas peſtis tẽpore.

to, cladem publicam Idolorum contemptui, Christianorum impietati tribuere, iactatis in eos conuicijs, Populique, ac Præsidum sæuitia excitata. his coactus Cyprianus, declamatoria pro Christianis Apologia, ad Demetrianum Proconsulem, liberrimè in Eum, ac reliquos obtrectatores inuectus est; ea in Oratione Lactãtius aliquid desideraſſe se scribit. nempè alia ex Profanis argumenta non tantùm ex Sacris Literis, quibus Gentiles homines fidem haud præstarent.

Cypr. ad Demetr.

Lact. l. 5. c. 4

Cypriani libertas.

Sub idem tempus Cyprianus aliud Schisma passus est, summa in eum audacia scriptis quoque editis, insurgente quodam Florentio Pupiano, quem tamen egregiè refellit.

Cypr. ep. 69.

Hoc eodem anno, vt testatur Eusebius, Origenes propè septuagenarius decessit. *de cuius erroribus, ac vicissim laudibus multa hìc habes ab Authore ex Patribus hinc indè relata.*

Eusebius l. 7. c. 1

Origenis obitus.

Illud hìc nequaquàm est prætermittendum, errore eos omnes duci, qui Gallo, ac Volusiano biennium tantùm Imperij tribuunt. attigisse etenim quadriennium constat. erroris porrò causa ea fuit, quod ipsis Augustis superstitibus, Valerianus ab Alpinis legionibus Imperator sit acclamatus, insuper, & Tribunitia ei potestas adiudicata. neque illi tantùm, sed Gallieno quoque Filio, vt

ex antiquis patet inscriptionibus.

Lucij Papæ Martyrium Steph.

Lucius, annuo ferè Pontificatu gesto, ob Christi Fidem securi percussus, Successorem habuit Stephanum. Nec diuina aduersus Cæsares vltio admodum cunctata est. quippè arma in Æmilianum, qui Augusti nomen, & Ipse, inuaserat, sumentes, ambo à militibus, à quibus Imperium acceperant, exitium habuerunt, apud Interamnam trucidati. nec Æmiliano Principatus fuit diuturnus, quartum intra mensem interempto. eius morte rerum summa ad Valerianum delata est. errant; qui putant ab adepto, statim Imperio Illum in Christianos sæuijsse; falsum enim hoc esse, tradit Dionysius Alexandrinus tùm superstes, addit que Magi cuiusdam Ægyptij suasu persecutionem Eum postea instaurasse. Dum itaque Ecclesia ab ea quieuit, Cyprianum de more Synodum ex suæ Prouinciæ Episcopis coëgisse constat, in qua inter cætera reprobatus est eorum error, qui pro vino aquam in sacrosancto Sacrificio offerebant. id moris apud quosdam persequutionis tempore inoleuerat metuentes, ne ex vini odore à matutino Sacrificio, & Sacræ Synaxis perceptione proderētur. memorabilis etiam querela ad eam Synodum perlata de Christiano Homine, qui moriens Presbyterum Filijs Tutorem reliquisset,

Chri. Ann. 257.

Gallus Volusianus & Æmilianus occisi. Valer. Imp.

Apud Euseb. l. 7. c. 9

Cypr. ep. 63. & 66.

Aqua in Missa offerri vetita

cum

cum iam extaret decretum, si quis id ausus fuisset, pro eo Sacrificium ne offerretur. non enim mereri apud Altare Dei in Sacerdotis prece eum nominari, qui ab Altari Sacerdotem auocauerit. *Clericis tutela vetita.*

Chri. Ann. 258. Cæterùm quam pridem Cathaphryges, recentius autem Nouatiani Catholicam Ecclesiam perturbarunt, cum Lapsos, quamtumuis pœnitentes, seuerius reijciunt, alij iam in contrariam omninò partem recedentes, non minus infestam habent. Horum Dux, quem diximus, Fœliciſſimus apud Africam Episcopis nonnullis libelli labe maculatis, eaque de causa gradu motis, in sceleris societatem assumptis, ità viciſſim recipiendos esse Lapsos asserebat, vt, nulla Exomologesi facta, nullo gradus, atque honoris dispendio, ad pristinas dignitates restituerentur. His nonnulli, etiam Hispaniæ Episcopi, pari infames dedecore, accesserunt; in quos omnes Cyprianus, datis ad Romanum Pontificem, aliasque Ecclesias literis acriter inuectus est. *Ep. 68.*

At verò cum Iconij Asiæ Vrbe, coactis ibi multarum Ciuitatum Episcopis, decretum fuisset, rebaptizandos eos esse, qui ex Hæreticis ad Ecclesiam se recepissent, quod & anteà placuerat Tertulliano, atque Agrippino Carthaginiensi Episcopo, Decretum *Dogma de iterãdo baptismo.*

tum huiusmodi Africæ Episcopi, Cyprianus in primis, ratum habuerunt, tantaque animi obstinatione propugnarunt, vt de tanti Viri, ac totius Prouinciæ Schismate trepidatum sit. Sanè Stephanus pro summa in Ecclesiam authoritate, qui apud Iconium conuenerant, Episcopos excommunicatione perculit: Cypriano, ac reliquis Africæ Episcopis, diù monitis, nè ab Apostolicis traditionibus vellent recedere, tandem persuasit. Orientales quoque Antistites, Dyonisio Alexandrino (qui eiusdem fuerat sententiæ) præcipuè adnitente, Stephano tandem assentientes, eidem, ac Catholicæ cum eo Ecclesiæ, Christianæ concordiæ fœdere iuncti sunt. Chri. Ann. 259. *Euseb. l. 7. c. 3. 4.*

Valeriani persequutio

Per idem tempus Valerianus octauam, vt numerant, Persecutionem in Christi Gregem excitauit sæuam adeò, vt Sanctissimus Vir Dyonisius Alexandrinus Antichristi tempora aduentasse putauerit. *Hier. de sec. eccl. in Cypr. Aug. de Ciu. Dei l. 18. c. 52. Oros. l. 7. c. 22*

Stephani Papæ Martyrium.

quæ verò hoc anno Romæ sunt gesta, ex Actis Hippolyti, & Sociorum Martyrum Author hìc affert. quemadmodum etiam quæ sequenti, quo Stephanus, alijque permulti Tyranni iussu mactati sunt.

Sixtus Papa II.

rexerat Is Romanam Ecclesiam annis paulò amplius tribus, cum ei Sixtus subrogatur. ad Hunc eiusdem Dionysij apud Eusebium extat Epistola, qua eum consulit, rebaptizandus ne esset, Chri. Ann. 260. *Euseb. l. 7. c. 8*

qui

qui alieno ab Ecclesiæ ritu baptizatum se apud Hæreticos affirmabat. quo singularis Dyonisij, modestiæ iuncta, elucet prudentia, qui in casu satis explorato, Ecclesiæ scandalum adhuc timuit, ne in antiquum errorem relabi videretur. cæterùm quamquàm Sixti responsum non habemus, par est credere huiusmodi fuisse, vt diceret eorum demum Hæreticorum ratum habendum esse Baptismum, qui præscriptam ab Ecclesia formam adhibuissent. quod & in Nicœno quoque, ac Laodicensi Concilio edictum reperitur.

Nicæ. Conc. c. 19. Laod. c. 8.

Dionysij, & Cypriani exilium.

Quæ hoc anno Dionysius ab Augustali Ægypti Præfecto Æmiliano sit passus, quæque alibi alij, ex Eusebio præsertim petenda sunt, Cypriani verò primum certamen, atque exilium, ex eius literis, & peculiaribus Actis, quæ adhùc extant.

Eusеb. l. 7. c. 5

Sabellius hæresiarcha.

Prodijt hoc eodem tempore Sabellius, non tàm nouæ Hæresis Inuentor, quàm veteris, iam abolitæ, Instaurator. Is Sacrosanctam Trinitatem non vnum tantùm Deum sed & vnam tantùm esse Personam affirmabat, nomine tenùs, non nisi ex effectibus distinctam, proindèque non Filium solùm, sed Partem quoque, ac Spiritum natum, ac passum; hoc ille non à Noëto tantùm Præceptore potuit addiscere, sed ab alijs qui multis ante

Noë-

Noëtum annis idem somniauerant, de His enim, qui Patripassiani sunt dicti meminit Cyprianus, & ante eum Tertullianus, omnium verò primus Ignatius. aliud quoque ex Hermogene est mutuatus, Materiam nempè ingenitam, siue improductam esse. *Habes hìc apud Authorẽ alias quoque Hæreses eorum, qui Angelos pro Dijs colerent: qui coniugia damnarent: qui rerum possessionem illicitam affirmarent.* sed hi sibi ipsis ferè delirarunt. *Cypr. ep. 73. Tert. de præscript. c. vlt. Ignat. ep. ad Phil. Epiph. hær. 57.*

Cum in dies Tyrannus ob Christianorum constantiam efferatior redderetur, non eorum modò Conuentus vetuit, sed quoquo modo ingressum in Cœmeteria. in huiusmodi ergò legem peccantem Sixtum, ipso in Callisti Cœmeterio obtruncat. moritur Sixtus Pontificatus anno nondum expleto, cui Successor post mensem datur Dionysius, qui vitam duxerat solitariam. triduo à Sixti cæde Laurentius Diaconus, omnium ore, ac scriptis celebratum Martyrij egit triumphum. Hunc eodem in stadio sequitur, atque adeò post sexquimensem assequitur Cyprianus, qui exilio, vt diximus, mulctatus fuerat, noui Proconsulis iussu reuocatus, capitis iudicium snbijt. *Huius memorandum certamen ex eius Actis, & ex Pontio eius Diacono, qui interfuit, fusè Author recenset; quem require. quemadmodum*

Chri. Ann. 261. *Cypr. ep. 82. Martyrol. 6. Aug.*

Sixti Papæ Martyrium.

Pionysij successio.

Laurẽtij Martyriũ

S. Cypriani Maetyrium.

Chri. Ann. 262. *dum, & alia innumera Martyrum certamina ad sequentem annum spectantia ex Romano Martyrologio, aliisque probatis Actis referentem.*

Chri. Ann. 263. *Trebel. in Gallie. Eusеb. l. 7. c. 17. Oros. l. 7. c. 22.*

Sexagesimus tertius huius sæculi annus maximis toto Orbe cladibus insignis fuit. vulgaris quippè lues Romæ tantùm quinque hominum millia vno die extulit: Alexandriam aliasque insigniores Vrbes dimidia plus parte absumpsit. Terræmotus integras hauserunt Ciuitates, Mare, ac Flumina exundantia commissa terræ semina aut merserunt limo, aut impetu deterserunt. Epheſi Dianæ Templum cum Asianis diuitijs conflagrauit, insigniora quæque ædificia vbique corruerunt. Tyranni Romanum Imperium conciderunt. Valerianus ipse Augustus effusi Christiani sanguinis abundè pœnas dedit, à Sapore Persarum Rege victus, captusque, totoque vitæ tempore ignominiosissimè habitus. quippè Rex Barbarus prospera elatus fortuna, equum ascensurus Augusti tergum premere consueuit. adeò nulla maiestas ab extremo etiam Fortunæ ludibrio tuta est. At Gallienus paternam iniuriam ita non vltum iuit, vt, ne tentato quidem bello, miserabili illum in seruitute conseneſcere æquo animo tulerit, non prius Patris memor, quàm mortuum illum audisset; tùm demum inter

Clades publicæ.

Dianæ Templũ incensũ.

Valer. infortunium.

ter Deos retulit, quem infrà homines esse sustinuerat. huiusmodi porrò clades, in rem nostram versæ, Christi Fidem maximè auxerunt. Barbarorum præcipuè incursiones, à quibus cum Christiani complures captiui abducerentur, diuinam apud eos sementem propagarunt. *Sozom. l. 2. c. 5.*

Sabellius à Dionysio impugnatur.

Hæc inter Dionysio Alexandrino Antistiti ad pestilentiæ, famisque cladem, ad belli Ciuilis pariter, ac externi incommoda, quæ, Æmiliano Tyrannidem occupante, Prouinciam vexarunt; aliud cum Sabellianis bellum accessit, quos dum malè, vt diximus, de Trinitate sentientes studet refellere, in contrariam sententiam declinare à recta Fidei semita est visus. quarè à quibusdam Coëpiscopis ad Dionysium Romanum Pontificem delatus, Conuentu Romæ habito se ipsum purgare coactus est; quod & præstitit. eiusque tùm Apologia, ac prolata ea superre sententia maximo deinde fuit contra Arrianos momto. *Athã. de sẽt. Dion.*

Error ne millenario.

Post hæc nouum ei certamen fuit cum Ægyptio Episcopo Nepote, qui assertum olim à Papia alijsque compluribus dogma de *Millenario* pugnacissimè tutabatur. in quem duos vulgauit libros, quos *de Promissis* inscripsit. Quo tempore Romam se venisse Porphyrius scribit, qui de Plotino, Romæ adhuc degente, addit, gratia illum Chri. Ann. 264. *Euseb. l. 7. c. 19.* *Porph. in vita Plot.*

Porphyrius Romæ.

illum apud Gallienum pollentem enixè ab eo postulasse, vt liceret sibi, alijsque ex Platonis disciplina Amicis, atque Auditoribus dirutam in Campania Vrbem instaurare, &, Platonopolim nuncupandam, Platonis legibus gubernare. cum autem voti iam compos factus videretur, demùm, familiaribus dehortantibus, Gallienus abnuit.

Chri. Ann. 265. Torpente ex desidia Augusto, Palmirenorum Rex Odenatus, totius Orientis Imperator appellatus est, defensa Syria, Mesopotamia adepta, Parthis deuictis, quorum Satrapas à se captos Gallieno misit reuerentiæ in Romanum Imperium, ignauiæque eius exprobrandæ causa. illum autem de alienis captiuis non puduit triumphare. *Odenatus Palmirenorum Rex.*

Iterum Dionysio Alexandrino, ac cognomini Romano Pontifici negocium exhibitum à Paulo Samosateno Antiocheno Episcopo nouæ Hæresis assertore, qui diuinitatem Christo adimebat, eiusque Sanguinem in Eucharistia corruptibilem asserebat. *Samosateni hæresis*

Chri. Ann. 266. In eum, sequenti anno, quo & Alexandrinus Dionysius moritur, Concilium Antiochiæ coactum est. quod tamen, simulata ad tempus pœnitentia, Veterator elusit. *Dionysij Alexandrini obitus.*

Chri. Ann. 266. Decimotertio Principatus anno Gallienus Valerianum Filium Augustum *Valerianus Iunior*

stum dixit. Quo tempore Posthumijs apud Galliam occisis, ibidem Lollianus, & post eum Ælianus, ac subinde Victorinus Augusti nomen inuaserunt. His insuper sublatis, adnitente Victorini Coniuge, Tetricus Senator eiusdem Prouinciæ Præses eodem nomine insignitur; sedente interim Gallieno, suaque, ac Romani Imperij probra ociosè spectante. *Trebel. in Gallie.*

Imperiũ assumẽt.

Qua eius segnitie stomacatus Claudius, Vir domi, militiæque insignis, qui Legionibus apud Daciam præerat, de abrogando Illi Imperio cogitauit. Hunc, vt placatum haberet, Gallienus multis donis, quæ Trebellius enumerat, cumulauit. sed haud quaquam profecit; Mediolani etenim cum esset, vnà cum Fratre, ac Filijs interimitur. Romanum Imperium magna Militum, ac Senatus consensione Claudio defertur. Is insigni de Barbaris parta Victoria, Romam venit. infenso autem cum esset in Christianos animo; ex his centum amplius eo tantùm nomine supplicio addixit. Cyrillam quoque, cuius Mater Tryphonia Iunioris Decij Vxor, quam diximus, iam decesserat ingulari mandauit. Chri. Ann. 268. *Treb. in Claud.* Chri. Ann. 269.

Gallieni mors.

Horum sanguine efferatior factus, edixit, vt quicumque Christi Fidem profiterentur, siue in carcere hi essent, siue alibi vbiuis reperti, promiscuè, indicta causa, occiderentur. eo Chri. Ann. 270.

Edi-

Edicto, & qui ad arenam fodiendàm damnati fuerant trecenti ferè numero, tumultuariè inde educti, ac Theatro clausi, militum missilibus confecti sunt. *alij præterea huic anno adscripti Martyres singillatim hìc ab Aothore proferuntur, quos si libet apud eũ require.*

Chri. Ann. 271. Tertio Principatus anno Claudius Vulgari lue tactus interijt. tùm Quintillus Ipsius germanus Augustus à militibus salutatus, ab ijsdem, quod seueriùs cum his ageret, intrà mensem occiditur, siuè, vt alij tradunt, se ipsum, eorum ob defectionem, interficit. tanti Ei breuis Imperij vsura stetit. *Claudij mors. Item Quintilli Fratris.*

Summa tùm rerum Aureliano delata, quem omnes à Iustitia, & Fortitudine commendabant. eius tamen seueritatem milites, Christiani sæuitiam experti sunt.

Chri. Ann. 272. Samosatenum abdicatam semel hæresim restituere molientem, secundo ibidem coacto Concilio Patres damnant, ac Episcopatu deijciunt. Synodicam Epistolam ad Romanum, atque Alexandrinum Pontifices datam, ex qua eiusdem Conuentus acta habentur, Eusebius recitat. *Aurelianus Imp.*

Extremo hoc anno Dionysius Romanus Pontifex moritur, Pontificatus anno XII. cuius locum subit Fœlix.

Aurelianus tùm Christianos, quasi seditionum Authores coërcendos ratus, Edicto promulgato, Iudicum sæuitiæ

uitiæ expoſuit, vt multorum Acta Martyrum probè teſtantur; quamuis Sulpitius Seuerus, alijque nonnulli de excitata hoc tempore perſequutione ne meminerint quidem. Is ſanè à confecto Gothico bello haud diù in Vrbe moratus, in Zenobiam virilis animi Fœminam, quæ Odenato Viro demortuo, Orientis Imperium proprijs auſpicijs abminiſtrabat, cum copijs profectus eſt, deque ea demum victa, & captiua Romam adducta, triumphauit; libera poſthæc ab Aureliano dimiſſa, ac Tyburtino agro donata, inter Romanas Matronas ſumma cum continentię laude conſenuit. cum Religione eſſet Hebræa, Chriſtiana eam deinde Sacra ſuſcepiſſe tradunt. *Vopiſc. Euſeb. l. 7. c. 24.* Chri. Ann. 274. *Vopiſc. in Aurel.*

Zenobia Regina.

Fœlicis Papa Martyriũ. Interim Fœlix Pontifex Martyrio coronatur poſtquam tribus paulò amplius annis Eccleſiam adminiſtraſſet. cuius obitu Euthichianus Pontificatum adipiſcitur. alij præterea complures, *quos Author recenſet*, Martirij tùm palmam adepti ſunt. neque hoc tantùm, ſed duobus inſuper, qui ſequuti ſunt, annis; quorum poſtremo (vt verior fert ſententia) Manes prodijt, à quo impium Hæreticorum genus Manichæi; *de quorum iuncta im pietati ſtultitia, multa hìc Author recenſet.* Chri. Ann. 275. Chri. Ann. 276. 277. *Aug. contr. Fauſt.*

Euthichian. PP.

Aureliani mors. At Aurelianus per Thraciam iter faciens Chri. Ann. 278.

faciens, ab exercitus Ducibus interficitur. Milites deligendi Successoris potestatem Senatui detulerunt; Senatus vicissim Militibus; quo factum, vt sex ferè mensibus ea in deliberatione insumptis, tanta ambitione, ac periculo quæri solitum Imperium tùm vacauerit. Tacitus demum summa Virtute præditus Iustitia, ac moderatione, Augustus à Senatu appellatus, intra annum moritur. Florianus Frater quasi hæreditarium suscepit Imperium, sed fraterno breuius, Probi metu, quem exercitus humili apud Dalmatiam, siuè Pannoniam loco natum, moribus tamen probatissimis, Augustum appellauerat.

Vopisc. in Aurel. Oros. l. 7. c. 23

Tacitus Imp.

Florianus.

Probus

Chri. Ann. 279.

Chri. Ann. 280.

Is delatum à Militibus Imperium, Senatu quoque assentiente, inuitus dicitur accepisse; accepto, Gallias de Germanis recepit, Illyricum de Sarmatis, Thraciam de Gothis. Persarum Regem ad pacis conditiones petendas compulit. Francorum nihilominus audacia, pacatus iam Romanus Orbis, infestus iterum habetur terrestribus eorum, ac maritimis incursionibus.

Chri. Ann. 281.

Chri. Ann. 282.

Probi mors.

Quinto demum Imperij anno Probus, & Triumphum agit de Barbaris, & à Militibus disciplinam detrectantibus interficitur. Probi morte Imperium Carus adipiscitur, Filiosque Carinum, ac Numerianum Cæsares dicit.

Chri. Ann. 283.

cit. Horum Carinus Romæ ad Reip. gubernaculum relictus, dum Pater, ac Frater bellum in Persas prosequuntur, ab ijs dissimillimus, probrosum vitæ genus instituit. Carus porrò, Persis deuictis, castris ad Tygrim positis, ictu fulminis deflagrauit: rerum summa ad Filios delata, ex quibus Numerianus optimæ indolis Adolescens, haud ita multò post Apri Sòceri dolo interficitur; Carinus ad sequentem annum Principatum prorogauit, quo demum à Tribuno, cuius Vxorem, vt ferunt, violauerat, iuterfectus, non eius tantùm flagitij, sed aliorum quoque scelerum pœnas dedit.

Cari. ac Filiorum mors.

Euthichiani Papæ Martyrium. Caius succedit.

Iam ad Ecclesiasticam historiam reuertatur. Euthichianus Romanus Pontifex, qui CCCXLII. Martyres sua manu sepulturæ dicitur tradidisse; eos demum sequutus, & ipse Martyrium consequutus est, anno Pontificatus nono. Huic Caius successit. quo tẽpore Antiochiæ quoque Timæo Episcopo Cyrillus subrogatur, vbi tùm Dorotheus eiusdem Ecclesiæ Presbyter sacræ pariter, ac profanæ Doctrinæ laude florebat, quem audisse se docentem, Eusebius testatur, Illumque, & alios nonnullos insignes Viros, Anatolium in primis à Philosophicis, totiusque politioris literaturæ studijs commendat, quæ quidem omni æuo Christianæ rei decori fuerunt, atque adiumento.

Martyrolog. 3. Iul. Euseb. in Chr. et Hist. l. 7. c. vlt.

Mi-

Chri. Ann. 284. L. 8. C. de sac. Eccl.

Mirum sanè videri potest, Martyres non paucos hoc tempore supplicium passos reperiri, cum constet Carum etiam tributa Ecclesijs remisisse. itaq. Præsidum, ac Iudicum sæuitiæ potius, quàm Principum hæc qualiscumque Christianorum vexatio est tribuenda.

Eutr. l. 9. Vopisc. & Victor. in Carin. &c.

Carino nondum interempto, Diocletianus Dioclea Dalmatiæ Oppido humili natus loco, qui & Anulini quondam Senatoris Libertus fuerat, Imperator à Militibus acclamatur; de cuius in Christianos odio, ac sæuissima persequutione deinceps dicturi sumus. Sanè non alia in nos procella grauior incubuit; vt constaret, vltimos inferni Tyranni esse conatus. *Diocletianus Imp.*

Chri. Ann. 285.

Porrò licet Carino adhùc superstite liberas Imperij habenas nequaquam habuerit, Lysia tamen in Cilicia Præside primum belli Classicum in Christianos intonuit; multi tùm Martyres egregiè certarunt, ex His celebriores recensentur Cosmas, ac Damianus. *Cosm. & Damian. mart.*

Chri. Ann. 286.

At Carino sublato Diocletianus Maximianum, cognomento Herculeum, sui simillimum Collegã adsciuit: Consulatu quoque, ac Tribunicia potestate auctum. tùm, iunctis animis, ac viribus, illud ad Christi Fidem, si fas, delendam excogitarunt, ne cui liceret quidquam emere, seu vendere, nisi thure, aut libamenti genere aliquo Statuis quibusdam vbique expositis, *Maximian. Imp. Christianis vitæ cõmercio interdictũ.*

cio interdictum.

oblato. insuper ne frumentum molere, neuè aquam haurire, aut aliud quidquis humano vsui necessarium percipere. quæ Fidelium lachrymæ, qui tùm questus, quæ animorum fuerit consternatio, vix mente concipere, ne dum stylo persequi licet. enituit sanè ditiorum quorumdam Christianorum Charitas, qui multos domi tunc temporis aluerunt, ex His, qui quotidianum sibi victum comparare necesse habebant. *de quibus, deque Sebastiani Militis, ac aliorum Martyrio, quæ hìc Autor referat fusius, require. quemadmodum etiam edictum, quod recitat Collegarum Principum aduersus Manichæos ad Africæ Proconsulem Iulianum.* Chri. Ann. 287.

egisse autem radices, quàm alibi, altiùs in Africa Manichæorum hæresim, insumpti postmodum ab Augustino ad eam euellendam labores, satis superque demonstrant. Chri.

Hieracitarũ hæresis

Manichæorum, ac Gnosticorum veluti propago extitit hoc tempore apud Ægyptum, Hieracitarum Hæresis. Hi coniugia damnabant: Pueros, sine rationis vsu vita excedentes, à salute excludebant: vini, ac ciborum complurium abstinentiã ad Salutẽ necessariam affirmabant. multa de Christo; multa de Deo perperã tradebant. ex His vnum à Machario Ægyptio Anachoreta argumentis simul, ac miraculo victum Euagrius testatur. Ann. 288. *Epiph. hær.* 67. *Hilar. de Trinit. l.* 6 *Phila. c.* 85. *Euagr in vit. Patrũ.*

Ad

Chri. Ann. 290. Ad annum Sæculi huius XC. spectant iteratæ Martyrum quæstiones, ac supplicia apud Tarsum Ciliciæ Vrbem, *quæ ex actis Proconsularibus ab Authore hìc recensentur.*

Chri. Ann. 291. 292. Sequenti verò anno ieiuno, ob Scriptorum inopiã præterito; qui tùm subit, nouos habet Cæsares Constantiũ Clorum Constantini Magni Patrẽ, & Maximianum Galeriũ, qui & Maximinus ab aliquibus perperàm dictus est. Hos, Tyrannorum vndique emergentiũ metu, Diocletianus extulit, sibique, atque Herculeo affinitate iunxit; Valeria Filia Galerio, Theodora Illius priuigna, Constantio in matrimonium collocatis; cum prius quas habebant, Vxores repudiare compulisset.

Constãtius & Galerius Cæsares.

Euseb. in chr. & hist. l. 8. c. 29.

Chri. Ann. 293. 294. Sed haud diù Valeria superuixit, in cuius memoriam Pater Pannoniæ partem hoc nomine appellauit, de qua Ammianus, & Zosimus, & ex nostris Ambrosius meminerunt. Eius morte affinitatem dissolutam Augustus alijs propinquæ Virginis nuptijs iungere iterum exoptauit. Ea fuit Susanna, Gabinij consanguinei Filia, qui Caij Pontificis Germanus erat. at illa, quòd pudicitiam coleret, & profanas nuptias auersaretur, vt Diocletiano morem gereret adduci nequaquàm potuit; Is, id quod erat suspicatus, in eius vitam, ac mores inquiri iubet, & Christianam repertam, paternis in

Amm. l. 19. Zosim. l. 2.

Susannæ Virginis Martyrium.

ædibus capite plecti imperat.

Hoc tamen antequam perficeret, ad Serenam Coniugem adduci Virginem curauit, quò Eam à castitatis, & Christianæ Religionis studio, si fieri posset, dimoueret. Serena, quòd & Ipsa Christiana esset, in speciem quidem Viro morem gessit, at re ipsa Virginis studium, atque constantiam commẽdauit: defunctæ postmodum corpus proprijs curatum manibus sepulturæ tradidit. Chri. Ann. 295.

S. Susanna Romæ Templum. Extat Romę templũ non longè à Diocletiani Thermis sacrę huic Virgini, ac Martyri eius in ędibus olim excitatum, cui sanctimonialium Virginum Cœnobium adiacet. *Vtrumque, postquam hæc ipsa Baronius edidit, Hieronymus Cardinalis Rusticucius nobis spectantibus instaurabat, ac regio pœne sumptu exornabat.*

Caij & fratris martyrium. Hac eadem ex causa prodita Caij, ac Gabinij Religione; Martyrum & Ipsi numero adscripti sunt. tribuitur Caio decretum de septem Ordinibus, per quos veluti gradus ad Episcopatum ascenditur. quod ita est intelligendum, vt lege cauerit, antequam ad Episcopatum quis ascenderet, in vnoquoque Ordine consueto prius tempore ministrare debere. administrasse autem Ecclesiam constat annos amplius duodecim, eique successorem datum Marcellinum, quem Eusebius, alijque ex Græcis, similitudine nomi- Chri. Ann. 296.

Marcellin. Papa.

nis

nis decepti vnum, eundemque cum Marcello putant.

Chri. Ann. 297. Marcellino Pontificatum ineunte Thebæorum Legio in Galliam amandatur. eius Milites, quòd Christiani essent omnes, dira à Maximiano Herculeo passi, ad vnum nouo crudelitatis exemplo trucidati, glorioſum spectaculum Orbi vniuerso exhibuerunt. Historiam præclarissimam texuit Eucherius Lugdunensis Episcopus. eandem nostra ætate longè copiosius scripsit Gulielmus Baldesanus. Eadem & in Oriente Milites complures, Christianæ Fidei compertos passos fuisse, Eusebius tradit. *Euseb. l. 8. c. 34.* *Thebæorũ legio.*

Chri. Ann. 298. Post hæc Principum iussu Legiones vbique lustratæ, &, inuenti apud eas Christiani, exarmati Romam perducti, ac veluti serui adscriptitij Thermarum operibus, quas, vt ait Marcellinus, *ad instar Prouinciarum* constructebant, mancipati sunt. supereſt adhuc magna ex parte immensum opus, aliis huius generis, aut ætatis ferè collapsis, & Templi, ac Cœnobij vsui addictum conspicitur Christianorum tot annorum labor. *Diocletiani Thermæ.*

Chri. Ann. 299. Hoc ité anno notata habentur Acta Martyrum, qui apud Edessam Syrię Vrbem martyrium subiere.

Chri. Ann. 300. Ad sequentem verò sæculi postremum Galerii in Persas expeditio pertinet, & Anastasiæ nobilis Matronæ, à Pu- *S. Anastasia.*

à Publio Viro, domesticus, ac diuturnus carcer; in qno cum detineretur, epistolas aliquot ad Chrysogonum dedit, ac ab eo vicissim accepit, quas Nicephorus, ac Suidas recitant, & *ex his Author, quos require.* *Nicep. l. 14. Suid. Hist. c. 10.*

Augustorum Triũphus.

Primo ineuntis sæculi anno Diocletianus, ac Maximianus Augusti de Persis præclarum agunt Triumphum, Narsetis Regis Filijs, ac Sororibus inter Captiuos ductis atque, vt alij tradunt, Narsete ipso. Enituit eo in bello Andreæ Christiani Ducis virtus, qui Legioni præerat, ex qua multos ab se ad Christum conuersos Milites Fidei socios habebat. Hic carceri primùm addictus, tùm, vitandi tumultus causa, vinclis solutus, cõfecto iam bello, Tarsum, ad recipiendũ ab eius Vrbis Episcopo Baptismum, cum Legionarijs Millitibus se contulit, cum autem insidias in se, suosque strui animaduertisset, ad Tauri montis angustias cum eisdem receßit, vbi cum se, Illosque à persequentibus Galerij copijs haud ægrè tutari posset, suos nihilominus ad Martyrij palmam hortatus, fœliciter eam cum Socijs adeptus est. Galerius tùm Nicomediã, quò & Diocletianus venerat, se recepit, vbi inito iterum de Christianis delendis consilio, omnium dirissimum in Eos bellum instaurant, eadem Herculeo Romæ interim meditante. vbi cũ Populus aliquandò esset in. *Meta-phr. 19 Aug.*

Persequutio instauratur.

in Circo frequentissimus, duodecies, vt ferunt, acclamatum est; *Christiani tollantur*; tùm (contrà quã aliàs idem Maximianus, & Collega statuissent de non audiendis Populi vocibus in Theatris) ad Venustianum Thusciæ Augustalẽ, alioſque Præsides rescripsit; vbicumque inuenti essent Christianam Religionẽ colentes, ad Sacrificia, aut ad mortem cogerentur, bonis insuper fisco attributis. quo edicto quid peractum sit, Martyrum vbique acta testantur. At Nicomediæ qui erant Principes, post multos seorsim mactatos; ipso Christi Natali die multa Christianorum millia, quæ ad Festi illius celebritatem conuenerant, septo Militibus Templo, ac demùm incenso concremarunt; optione priùs data, vt, qui egredi vellent in Ara prò Templo excitata thus offerrent.

L. Decurionum. C. de pœnis.

Martyrolog. Rom. Nicephl. 7. c. 6.

Christiani cum Tẽpla crema ti.

Chri. Ann. 302. *Euseb. l. 8. c. 2 Arno. l. 4.*

Ad hæc aliud Edictum est promulgatum, quo sacræ Christianorũ Ædes dirui sunt iussæ, & sacri vbique Libri concremati. tùm aliud, quo sacri omnes Antistites, ac Ministri comprehendi, & profana Sacrificia offerre renuentes diris quæstionibus, ac supplicijs subijci imperatũ est. *ad huiusmodi Principum mandata, quæ deinceps sequuta sint, fusè Author ex Eusebio, alijsque eorum temporum Scriptoribus, ac Martyrum Actis describit,* quæ horret animus memoria repete-

Diræ edictæ.

Porphyrius, ac Hierocles Christi hostes Arnobius, ac Lactãtius propugnatores.

re, ne dum verbis, aut scriptis recenserе. porrò hoc eodem tempore quemadmodum Porphyrius, ac Hierocles, Philosophus Ille, Hic Iuris peritus, in Christianos blasphemijs refertos Libros ediderunt, ita vicissim Arnobius, ac Lactantius Viri desertissimi, easdem refellentes blasphemias, Christianam Fidem acerrime propugnarunt.

Marcellini Papæ lapsus.

Ad hunc annum Marcellini Papæ lapsus refertur, *de cuius tamen historiæ fide quemadmodum Augustinus, ita hic Author ambigit, afflictumque à Donatistis crimen addubitat.* quicquid sit, *ex Personis Fidem* (inquit Tertullianus) *probamus, an ex Fide Personas?* & qui Marcellinum thus in Ædе Vestæ adoleuisse, Sacros quoque Libros tradidisse contendunt, egregiè postmodum crimen diluisse non negant; alius porrò fuit Marcellinus Presbyter, qui cum Petro Exorcista, hoc ipso tempore, martyrij palmã adeptus est, quorum memoriæ excitatum à Constantino via Lauicana Templum adhuc extat. Horum certamen rescisse se adhuc Puerum ab ipso Carnifice, qui caput eis amputauerat, Damasus Romanus Pontifex testatur: factusque Episcopus eorum sepulchrum eleganti carmine exornauit.

contr. Petil. c. 16. de præscript.

Martyres, qui legen-

Vigebat iam tùm laudabilis in Ecclesia consuetudo, ne, absque delectu, quicumque passi essent inter Martyres

cen-

censerentur. itaque cum quidam hoc tempore apud Africam, temeritate quadam, nullo inquirente, sacros se habere Libros, nec tamen daturos audacter animis professi essent; eis Martyrij decore à Mensurio Carthaginiēsi Episcopo interdictum est. *gitimi probãtur.*

Chri. Ann. 303. Sequenti anno multa insuper Sanctorum Martyrum certamina adscribuntur, *quæ ex eorum Actis. ex Eusebio, & alijs fusè ab Authore hìc narrantur.* Conuentus etiam habiti ad discutiendam *Traditorum* causam, quo nomine, qui sacros Codices tradidissent, appellarunt. Coactum quoque dicitur apud Campaniam, si fas credere, trecentorum Episcoporum Concilium, ac triginta insuper Presbyterorum, tùm Diaconorum trium, ad Marcellini causam discutiendam. *Acta hìc Author recitat, nõ tàm rudi, quàm barbaro stylo descripta;* ex his, qualiacumque ea sint, Romanæ Sedis summus honor tribuitur, quam à nemine iudicari fas putant: quanta autem illis adhibenda sit fides lector excutiat, illudque perpendat, quàm sit verosimile, tàm sæua vbique persequutione grassante, trecentos Episcopos vnum in locum conueniisse, cum non multò plures maxima Ecclesiæ pace, Constantino summoperè adnitente, posteà conuenerint. Sinuessanæ porrò Cryptæ, in qua Concilium dicitur habitum, *Aug. in Cre. l. 3. Optat. Mileu. l. 1.* *Iudicium Marcellini*

bitum, nullum, nè nominis quidem extat vestigium: de expeditione autem in Persas facienda quid absurdius, cum ea antè biennium fuerit peracta, & hoc anno de abdicando Imperio Diocletianus consilium iniuerit, cum adhuc Nicomediæ esset.

S. Genesius Mimus.

Illustre hoc tempore spectaculum Romæ præbuit Genesius Mimus, qui, dum pleno theatro, Christianorũ Mysterijs illudit, repentè, Dei virtute mutatus, Christianum se esse professus, seriò agere cæpit, que ioculariter anteà factitabat, adeò vt Martyrij quoque palmam adeptus fuerit.

Cum Idololatria statuarij deficiũt.

Illud nequaquàm est prætereundum, quod notandum quidam monent. quo tempore Idolorum cultus deficiebat, Statuàriam quoque Artem exoleuisse. argumento esse possunt, quæ huius ætatis Statuę adhuc Romæ visuntur, nequaquàm cum antiquioribus comparandæ. sanè in Constantini, qui extat, Triumphali Arcu, nisi si quæ ex Traiani, ac aliorum Principum veteribus monumentis in opus illud collata sunt, quæ tùnc fuerunt elaborata rudia, ac informia esse noscuntur.

Diocl. & Maxim. deponunt Imp.

Vigesimum egerat in Imperio annum Diocletianus, cum, vitæ tædio, seu Christianæ rei successu consternatus illud deposuit, authorque Maximiano Collegæ fuit, Ipse quoque idem, vt faceret. Augusti tùm nomen, Chri. Ann. 304.

atque

atque insignia Cæsaribus Maximiano Galerio, ac Constantio Cloro delata, Quo tempore Marcellinus, Socijque cum eo tres iudicium capitis subiere.

Marcellino sublato, Marcellus substituitur. Hoc eodem extremo persequutionis tempore Martyrio insignes Romæ habentur clarissimæ Virgines Soteris, & Agnes. de vtraque extat Ambrosij encomium. duorum quoque Adolescentium Appiani, ac Vlpiani certamen ab Eusebio commendatur quorum ille Cæsareæ, Hic Tyri coronatur. *Alios, qui hoc item anno, Galerio iubente, Martyrij coronam retulere, apud Authorem require.*

Marcellus Papa. Soteris & Agnes Virg. & M.

Sur. 12. Maij. Ambr. d. Virg. l. 1. & 3. & de offic. l. 1. c 41.

Chri. Ann. 305. Galerius, ac Constantius bipartitò tùm quidem Rom. Imperium, Ille quidem Orientem, Hic verò Occidentem administrabant. cum tamen Constantius in Britanniam profectus esset; Italia, quamquàm Constantij ditionis erat, Galerio nihilominus hoc tempore parebat, cuius sæuitia factum est, vt persequutio ibidem non dum resederit; eiusque arbitrio Prouinciarum, atque Vrbium Præsides omnia peragerent. ex his Timotheus, qui Campaniam regebat; cum Beneuẽtano Episcopo Ianuario alios complures comprehendi iussit, tùm bestijs, ac flammis tradi, illisque superstites, gladio feriri. porrò Ianuarij Corpus Neapolim longo post tempore

translatum mira illic celebritate colitur. eius sanguis vitreo seruatus vasculo, Martyris Capiti admotus, concretus anteà, liquescit, ebullitque, quasi ad fontem, vnde manauit, redire gestiens. quod cum amplissima in Vrbe identidem conspiciatur à Populo inibi frequentissimo, non est cur testes requirat aliunde.

SS. reliquiæ venales.

At Simplicius, Cyliciæ Proconsul auaritiam sæuitiæ iungens Martyrum Corpora, sacrosue Cineres precio distrahebat, sordida hac nundinatione pietatem præferens, ac benè se de Christianis mereri affirmans, quòd sacras Reliquias non in ventum spargi, aut in fluenta proijci iuberet. mirum profectò videri potest, quod pro comperto sanè habetur, accessisse illuc veluti ad publicum Emporium, ex Italia, atque Africa insuetæ pietatis Mercatores.

Canones de lapsis.

Quod autem hoc ipso tempore multi ex Lapsis recipi se ad Ecclesiam redeuntes enixè peterent; Petrus Alexandrinus Episcopus vigilantissimus Canones edidit, *quos Author hìc recitat* antiquam pietatem redolentes, quibus pro lapsus grauitate, ac discrimine, recipiendis diuersa animaduersionis genera veluti per gradus, adscribit. huiusmodi Canones Eliberino quoque Concilio in Hispania sanciti reperiuntur. *Bibl. Sanct. c. 7.*

Nec

Chri. Ann. 306. Euſ. l. 8. c. 17

Nec dum finis certaminum. refert complura adhuc Euſebius; in primis autem Theodoſiæ Virginis, Syluani Epiſcopi, ac Pamphili amiciſſimi ſibi Viri, atque doctiſſimi apud Cæſaream.

Zoſim. l. 2. Aur. Vict. Euſeb. in vit. Conſt. Socr. l. 1.

Eodem hoc anno Maximianus Galerius duos Cæſares appellat, Maximinum ex Sorore Nepotem, quem Orienti, & Seuerum, quem Italiæ præfecit. tùm (ne His ipſis negocium faceſſeret) Conſtantij Filium Conſtantinum, quem Pater Succeſſorem deſtinatum Romæ reliquerat, honeſta veluti ſub cuſtodia habuit. Hic haud ita multo poſt fugam arripiens magnis itineribus ad Patrem in Britanniam peruenit, equis publicis, ad fruſtrandos inſequentes, ex itinere interfectis. In Britanniam vix peruenerat, cum Pater exceſſit. Eo vita functo, ex eiuſdem voto, ac totius exercitus propenſiori ſtudio, Conſtantinus, quem diximus, Helena procreatus (nam alios complures ex Theodora habebat) diuino haud dubiè Numine ſuffragante, Patris hæres, atque Imperator acclamatur. Hic eſt Ille Conſtantinus, qui exulem diu Pacem veluti poſtliminio reuocauit, ipſamque Dei Eccleſiam, alteram veluti Saram aliquandò captiuam, regijs donatam muneribus, liberam reddidit Viro ſuo.

Maximinus, ac Seuerus Cæſares.

Conſtantinus Imp.

Gen. 29.

Libri II. finis.

AN-

ANNALES ECCLESIASTICI CAESARIS BARONII S. R. E. CARD.

A LVDOVICO AVRELIO Perusino.

In totidem libellos breuissimè redacti in quot magna volumina opus ab Authore digestum est.

LIBER III.

Respondens tertio Authoris Tomo.

SECVNDO Annalium volumine absoluto, accedimus ad tertium; atque ad instar Filiorum Israel, e Socoth secunda statione, hoc est è Tabernaculorum angustijs, ad Etham, vbi primùm præsentis Numinis visibile Signum Columna Ignis, ac Nubis apparuit, Deo fauente, peruenimus; ex humili, inquam, Ecclesiæ statu ad amplissimam eius

Exod. 12. & 13. *Hier. Epist.* 127.

eius gloriam, Crucis è Cælo coruscantis ductu comparatam. Eadem nos laboriosum Historiæ iter reliquum prosequentes, veluti Cynosura, Crux dirigat; & Columna melior, in qua fœlicius multò humano generi conspicuus Deus apparuit, Dei Genitrix Virgo Beatissima præcedens deducat, nec sinat ab arcta veritatis semita excedere, aut leuiter aberrare.

Christi Ann. 306. *Euseb. in vit. Gall. Paneg. 4.*

Constantio igitur, vt diximus, Eboraci apud Angliam vita functo, Constantinus, qui posteà Magni nomen adeptus est, Filiorum natu maximus, imperium capessit, Parentem regia pompa effert. Augusti sanè appellationem à militibus delatam non priùs vsurpauit, quàm Faustæ Maximiani Herculei Filiæ coniugio potitus est. constat Eum Helena Constantis legitima priori Coniuge apud Angliam natum, trigesimo fermè antè Imperium anno, qiuidquid Nicephorus, *quem Author egregiè refellit*, fabuletur. repudiatam porrò à Constantio priorem Coniugem, quæ haud dubiè Helena fuit, Maximiani iussu, ex Eutropio, & Victorino cōstat, cum eiusdem Maximiani Filiam, seu Priuignam ducere coactus est. ex Hac Fratres fuere Constantino Constantius, qui Pater fuit Galli, & Iuliani; Dalmatius Anibalius, cuius Filius Dalmatius Iunior.; addunt alij Constantium alterum.

Nicep. l. 7. c. 18.

Eutr. l. 9.

Vict. in Diocl.

Constantini Mater.

Eiusdē Fratres, ac Sorores.

rum Sorores Constantia, quæ Licinio nupsit, Eutropia, quæ Nepotiano, quibus alij addunt Anastasiam.

Constantij obitu, Filijque Imperatoris acclamati nuncio Romam perlato, eiusque, ac de causa, imaginibus passim, ex more, exhibitis, Maxentius qui Herculei Filius dicebatur, ægrè id ferens, Prætorianos Milites aliosque, quos liceret, omni ope, ac studio, magnisque pollicitationibus ad Constantinum euertendum, conciliandos sibi esse duxit. *Zosim. l. 2.*

Hunc suppositium Maximiani Filium fuisse argumẽto esse potest Constantij adoptio, quem Is, si Filium habuisset Filio nequaquam prætulisset. quòd si quis adhuc ea de re anceps esset, illud sciat Generum Hunc Maximiano fuisse, quòd veteribus aut incognitum, aut non proditum, inuento Romæ nuper numismate compertum habemus, *quod formis excusum, hìc Author reddendum curauit.*

Maxẽtius Maximiani Gener.

Cæterùm Constantinus, hoc de Maxentij ambitu certior factus, cum Eo per Legatos de rebus componendis egit; habereque Eum se Collegam æquo animo passurum spopondit: Quo tamen abnuente, animum ad belli cõsilia reuocauit. *Naza. Pane.*

At Maxentius Christianos sibi inprimis demerendos ratus, quorum iam numerus in immensum excreuerat;

Eius simulatio.

rat; nos modò ab eis, ex veterum Principum instituto, persequendis destitit, idque ne Præsides, aut Iudices auderent inhibuit; sed propensiorem se in eos, atque in ipsam adeò Religionem simulauit.

Interim, ex his, quæ diximus, à diutina vexatione Ecclesia quiescente, coactis Carthagine eius Prouinciæ Episcopis, defuncto Mensurio, Successor datus est Cæcilianus; quod cum alij ambitione flagrantes ægrè ferrent, immane illud Schisma cõflarunt, quod Donatistarum appellatum est. *de quo fusius hìc Author, quem require, de Meletiano quoque Schismate hoc eodem tempore apud Aegyptum excitatum, differentem.* *Aug. i Breu. & in Cresc.* *Donatiste, & Meletiani*

Chri. Ann. 307. *Zosim. l. 2.* Maxentij Romæ Tyrannide Galerius quoque Maximianus permotus, qui ad Orientem imperabat, Seuerum Cæsarem cum exercitu in Eum misit, qui tamen à Maxentio fusus, fugatusque Rauennæ se recipit. tùm Herculeus, haud quaquàm propositi tenax, de Genero sollicitus, Rauennam, quasi Mediator, Pacisque Arbiter è secessu, quem dudùm Diocletiano suadente, apud Lucaniam elegerat, ad Seuerum accessit, Eique Romam vt veniret, fide sua iureiurando interposita, persuasit: morem itaquè ei gerens Seuerus, ex itinere à Militibus, quos Maxentius, rei conscius, in in-

sidijs

terficitur. fidijs collocauerat, interficitur. tùm Herculeus Diocletianum adit, & ad depositum Imperium repetendum in cassum hortatur. hac igitur spe frustratus, Constantinum in Alpibus cum copijs sedentem conciliandum sibi vtcumque ratus, Faustam Filiam matrimonio illi iungit, hortaturque, vt Galerium Pprincipatu deturbet: magnam quippè iam tùm bello laudem fuerat adeptus, duobus Galliæ Regibus victis, captisque; simulatè tamen omnia cum ageret, vt Constantinum, si fas, tolleret, & tantum æmulum Maxentio, cui studebat, adimeret, inimicitias insuper ipso cum Maxentio simulat. fraudem non suspicatus modò est Constantinus, verùm etiam ex Fausta Coniuge, in Virum, quàm in Partem propensiore, cognouit. ergò Socerum Imperium iterum assumere, vt Maxentio stabiliret, molientem; armis petitum Massiliam compulit. ibi Ille, impar viribus, veniam autem ex conscientia desperans, iniecto faucibus laqueo, vitam finijt.

Maximiani dolus.

Naza paneg. 3. Eutr. l. 10.

Maximianus laqueo vitam finit.

Monendum hìc Lectorem putamus Constantino aliam, antè Faustam fuisse Coniugẽ Mineruinam, ex qua Crispum genuit. Hanc verò legitimam fuisse vxorem, non autem Pellicem, quod quidam putant, Author Panegyrici apertè satis ostendit, dum Constantini adolescentiam ex eo maximè com-

Crispus Constãtini filius.

commendat, quod vagis, eiusque ætatis proprijs voluptatibus abdicatis, Patris continentiam æmulatus, Vxori adhæresit.

Euseb. l. 8. c. 18.

Galerij sæuitia in Christianos.

Hac rempestate, Galerio Orientales Regiones administrante, persequutio ibidem adhuc vigebat. Is inter alia sæuitiæ exempla illud hoc tempore edidit; abductis ex Thebaide in Palæstinam integris familijs ampliùs centum dextro oculo vnicuique effosso, siniſtro autem pede, præcisis neruis, contracto; omnes, Viros pariter, ac Mulieres, atque adeò tenellos quóque Pueros, ad metallorum ea in Prouincia venas effodiendas damnauit. idemque de alijs posteà statuit, qui Gazam magno numero conuenerant.

Euseb. l. 8. c. 27. Ruff. l. 8. c. 17

Item Maximini. Catherina Virgo.

Galerij sæuitiam Maximinus quoquè Cæsar æmulatus eandem exercuit in Christi gregem carnificinam, auaritia qooque, ac libidine execrandus. Hoc Tempore Catherinam Virginem celeberrimam illustri Martyrio de Tyranni huius sæuitia, auaritia, atque libidine triumphasse putamus, opulentissima sanè cum esset, specie quoque, ac sapientiæ laude insignis. multa, quæ in hanc quadrant, absque Mulieris nomine, Eusebius tunc temporis superstes tradit. multa quoque Ruffinus de Dorothea, quæ fortasse hoc sibi indidit nomen postquàm

Chri-

Christiana est facta, pristino tamen *Catherinæ*, seu *Ecatherinæ* nomine omnibus notior.

Mennas & Herm. Mart. Mennas quoque, ac eius Successor Hermogenes, ex Ægypti Præfectis Augustalibus, Christi Martyres, eiusdem Tyranni iussu, effecti sunt.

Licinius Cæsar. Interim Herculeo Maximiano, ac Seuero, vt diximus, sublatis; Galerius Licinium Dacia oriundum, Quo Persico bello vsus fuerat, factioni augendæ, Cæsarem appellat. *Eutro. l. 10. Zosim. l. 2.*

Necdùm indictæ ante sexennium persequutionis finis. eorum, qui Cæsareæ apud Palestinam Firmiliano Præside hoc anno Martyrij palmam adepti sunt apud Eusebium, qui eidem postea Vrbi Episcopus præfuit, præclara extant encomia, *ex quo multa ab Authore hìc referuntur*. Chri. Ann. 308. *Euseb. l. 8. c. 20.*

Maxentij Sæuitia. Romæ interim Maxentius simulationis impatiens, Marcellum Pontificem ad Catabulum, hoc est publicorum iumẽtorum viliorem curam damnauit. Ciues quoque reliquos tùm substantijs per auaritiam exuit, tùm, per libidinem, dedecore affecit.

Conflato semel, vt iam dictum est, aduersus Cæcilianum Schismate apud Africam, Maiorini Pseudoëpiscopi factio adeò excreuit, vt hoc ipso anno Carthagine (quod vix credibile videatur) Episcoporum CCLXX. Concilium ex eo Schismate sit coactum,

de

ep. 48. de quo meminit ex Tyconio Augustinus. eius tamen Acta haud diù viguerunt.

Chri. Ann. 309. Subinde Maxentius, vt Tyrannidem stabiliret, Romulum Filium, quem M. Aurelium Valerium Maxentium in posterùm dici voluit, Cæsarem dixit.

Maxentij Filius Cæsar.

At dùm in nobilium Matronarum pudorem Tyrannus impunè debacchatur, Sophroniæ Christianæ Fœminæ castimoniam incassum tentauit. Hæc ab impio illius satellitio domi deprehensa, abducenda cum esset, mora, ad se, vt par esse aiebat, ornandam, impetrata, intentatum dedecus voluntaria morte redemit, qua etiam ratione Pelagia Virgo Anthiochena cum Matre, ac Sororibus Tyranni facinus præuertere, nec tantùm quæsitæ mortis crimen Patrum sententia euaserunt, sed summis insuper laudibus celebratæ sunt.

Ruff. l. 8. c. 17 Ambr. de Vir. l. 3. Aug. de Ciuit. l. 1 c. 21. Zosim. l. 2.

Sophronia facinus.

Item Pelagia.

Fortunæ, Romæ, Templum conflagrauerat; tùm quod Miles quidam, (ait Zosimus) contumelioſa in ipsum Numen verba protulisset, à Populo Religionis causa occisus est. qua re, militari seditione excitata, parum abfuit, quin ad Vrbis internecionem progrederentur. Militem, qui contumeliam in Fortunam iactauit, Christianum fuisse nemo, vt opinor, inficiabitur.

Galerius interim; ac Maximinus vexandi

xandi Christianos finem nullum faciebant, eorum exempla sæuitiæ ab Eusebio, ac alijs multa afferuntur, Sacrarum præcipuè Virginum, quæ à Tyrannis prostitutæ, miris Pudicitiam modis Diuina ope tutatæ sunt. Harum al; quot generosi Iuuenes mutatis vestibus, ab iniuria vindicarunt; vitæ interim discrimen adire Ipsi nequaquam veriti. illud æquo animo præterire non possumus, quod tradit Nicephorus de Nicomediensi Virgine Euphrasia. Hæc ad Lupanar perducta, procacis Iuuenis vim cum alia ratione vitare non posset, magicæ se Artis peritam simulauit, habere proindè, cum cęteris, medicamen, quo, si quis inungeretur, nulla vi ferri penetrabilem futurum: rei experimentum in se faceret, Iuuenem hortatur. eo percupidè annuente collum cera digitis subacta oleo mixta circumlinit, ac feriendum præbet, Ille medicaminis efficacitatem exploraturus, vi maxima percussum Virginis Caput amputat; tùm demum stupens miram seruandæ Pudicitiæ artem intellexit.

Virgines prostituta. Iuuenum Christianorũ Zelus. Euphrasia facinus.

Nonus persecutionis annus.

Nonus persecutionis annus ab Eusebio, ac alijs numeratur, quo Petrus Alexandrinus Episcopus Vir celeberrimus, post egregia alia facinora, Martyrio triumphauit; cui Achillas suffectus est. Eodem tempore, Maximini iussu, alij quoque ea in Prouincia Epi-

Chri. Ann. 310. *Euseb. l. 7. & vur.* 25. *Nouemb.*

scopi,

Martyrolog. 26. Nouemb.

scopi, Petrum sequuti, capite plexi sunt neque Episcopi tantùm, sed omnis generis omnisque ætatis Viri pariter, ac Mulieres, ita vt sexcenti, ac saxaginta vna die Ecclesiasticis tabulis adscripti habeantur.

Martyres Ægyptij.

Athanas. in vit. Pall. lud. in Lausiac. c. 1.

Hoc tempore (quod tradit Athanasius) factum est, vt, magnum Monasticæ vitæ Exemplar, Antonius, solitudine, quam dudùm coluerat, relicta, Alexandriam, vnà cum alijs eius Instituti Sectatoribus, accesserit, eo consilio, vt, aut Martyres ipsi essent, aut Martyribus, qui carceri, seù metallis addicti erant, ministrarent, & ad Constantiam hortarentur. quæ porrò tùm egerint, idem Athanasius non sine Lectorum admiratione persequitur.

Chri. Ann. 311.

Vndecimus huius Sæculi annus, idemque excitatæ à Diocletiano persequutionis decimus, ac postremus Tyrannos paulò æquiores in nos habuit; seu quòd nihil profici supplicijs animaduerterent, seu quòd, inter sese dissidentes, alia meditari consilia cogerentur. multi haud seciùs Martyrium subiere, & ipso primùm ineunte anno Lucianus Antiochenus Presbyter Vir sacrarum Literarum peritissimus, Galerio iubente, cui pro Christianis Apologiam nuncupauerat.

Hier. d. script. Eccl. Metaph. 7. Ian.

Lucianus Martyr.

Ijsdem Luciani actis traditur duos Puerulos adhuc balbutientes, cum

Pueruli Martyres.

nec

nec blanditijs, nec verberibus adigi ad Idolorum obsequium potuissent, diro mortis genere interemptos. & Hi quidem cum alijs nonnullis Nicomediæ, qua in Vrbe Galerius tùm agebat, certamen subiere. Chalcedone quoque eiusdem Prouinciæ Vrbe alij permulti, in quibus Milites simul vndequinquaginta, qui ad bestias damnati, ab ijsque nequaquàm læsi, gladio perierunt. tùm Byzantij, quæ Vrbs è regione est Chalcedonis, Adrianopoli in Thracia, Cyzici apud Hellespontum, Sebaste, ac alibi in Armenia quos *ab Authore hìc recensitos prætermimus.*

Diuina in Galerium vltio.

Galerius interim Deo eius sæuitiam vlciscente, cum ex nimia ingluuie, obesior factus esset, toto tabescens corpore, ac vermibus scatens, diris cruciatibus absumptus est. pudenda primum vim morbi sensisse tradunt, serpente dein' malo, ac viscera depascente, fœtorem haud tolerabilem erupisse, quem Famuli, ac Medici cum ferre diutiùs nequirent, eius iussu crudeliter interfecti sunt. Igitur spe reliqua in Christianorum ope locata; Eorum pijs se precibus enixè commendauit; tùm Edicto suo, ac Constantini nomine publicato, vexari eos in posterùm vetuit. *Edicti verba, aliapũ edi que, quæ tùm sequuta esse dicũsur Auctũ pro thor ex Eusebio recitat.* Constat autem Maximinũ, qui Iouius dici voluit, hanc

Eusseb. l. 8. c. 28. & 29.

Princi Christianis.

Gale-

Galerij veluti palinodiam ægrè admodum tulisse, nec tamen contrà tùm aliquid moliri ausum, Christianis pacem, & Ipsum, reddidisse.

Eusebij PP. obitus.

Hoc eodem anno Eusebius Romanus Pontifex, qui Marcello successerat, diem obijt extremum tertio Pontificatus anno nondùm exacto, quem Melchiades subsequitur.

Euſ. l. 9. c. 2. & seq.

Melchiades succedit.

Cæterùm Maximinus, qui cum Licinio ad Orientem imperabat, Collegam nactus æquè in Christianos infensum, sexto vix mense à Galerij obitu, elapso, non tàm Præsides, quàm ipsos Ciues Idolorum cultores, Antiochenos in primis, dat is ad eos literis in Christianæ Fidei Cultores extimulauit. Pilati insuper Acta, & Christi Seruatoris rerum cum eo gestarum, mendacijs, ac blasphemijs refertos Commentarios edidit, legique Pueris per Ludimagistros præcepit, multa quoque per Mulierculas, ac nefarios Homines in nostrum dedecus probra euulgari, quibus Christi Fides traduceretur, præcepit. Tyranni tamen consilia, quæ sequutæ sunt clades discecerunt; extrema quippè annonæ caritas, dira lues, Maximini ab Armenis clades, Constantini de Maxentio victoria decennali Christianorum vexationi Finem aliquandò imposuerunt.

Persecutio instauratur.

Euſeb. l. 8. c. 8. & 9.

Chri. Ann. 312. *Euſeb. l. 9. c. 7*

Fames lues.

Maxentij sanè scelera non exosum

modò Romanis eum Ciuibus effecerant, sed iam planè intolerandum. igitur Constantinum, inscio Tyranno, per Legatos obsecrant, cum exercitu Vrbem petat, totius statim Populi defectionem sequuturam. Constantinus, qui Maxentium pacis conditiones respuere, dolis agere iam antè cognouerat, aperto eum bello petere satiùs duxit, quàm occultas Hostis insidias circumspicere. ergò ex Alpibus descendit, quartam non amplius copiarum partem secum ducens, reliquis, ad Galliæ, ac Rheni stationes, relictis, contrà omnium, qui apud Eum erant, sententiam. certam porrò sibi diuinitùs promissam Victoriam, Eusebio, qui hoc testatur, iureiurando affirmauit; quod ne Ethnici quidem Scriptores reticuerunt. visum sanè ab eo Crucis Signum ex splendidiore formatum luce, Sole à Meridie in Occasum vergente, fuisseque ipsis quoque conspicuum Militibus, Eusebius in primis ex Ipsius Augusti ore testatur, qui & retulit hæc se in eo verba perspicuè legisse *In hoc Vince.* eadem testatus est etiam Arthemius Constantini Dux coram Apostata Iuliano, à quo Augustali Ægypti Præfectura exutus fuit, ac Martyrio affectus. Porrò nocte, quæ ostentum illud est consequuta, Christus Ei Seruator visus est, à quo de Victoria certior est factus.

Euseb in vit. Nazar. et Galli. can. in Pane.

Crucis imago visa.

Panegyr. 2. post Victor.

Infra ad an. 362.

Metaphr. 20. Octob.

factus. Sequenti autem die Crucis à se visæ Imaginem, quæ & Christi Nomen Græcis literis referret, effingi iussit, atque hastili impositam, Militaris loco Signi, exercitum anteire. *numismata complura huiusmodi imaginem præferentia, formis expressa Author hìc reddit.* Idem quoque Signum non à Principe modò, sed etiam à Ducibus, ac Militibus, gladijs, scutis, ac galeis impressum, insertumque est. *multa hìc de eo Signo, quod Labarum vocarunt, Author eruditè admodùm tradit.* Huiusmodi igitur sponsione, Victoriæ lætus, atque alacer Constantinus Vrbes quotquot in Italia Tyranni Milite muniebantur, aut deditione recipit, aut vi expugnat. tùm Hostem ipsum ad Tyberim, Vrbe egressum, memorabili prælio debellauit. Illum fuga elapsum, Pons ipse asseribus ad captandum Hostem insidiosè constructus, præmaturè subsidens in Tyberim præcipitem egit. expiscato tùm cadaueri Caput abscisum, pilo que inditum, Vrbi illatum, spectaculum Ciuibus edidit iucundissimum. Constantinus quoque Vrbem ouans inijt, *Quietis Fundator, Vrbis Liberator* acclamatus. Supereſt adhuc Romæ huius Victoriæ egregium monumentum, triumphalis Arcus ad Palatij radices medius ferè inter Titi monumenta, Triumphalem Arcum, atque

Labarum.

Constãtini de Maxẽtio Victoria.

Arcus Triũphalis.

Amphiteatrum. Quanta hinc Christianæ Fidei accessio, ac propagatio facta sit, licet vnicuique conijcere ex innumeris Constantini ad Rem Christianam spectantibus Rescriptis. duorum mentio habetur apud Eusebium de bonis Ecclesiarum restituendis, & Clericorum Immunitate ad Annulinum Africæ Proconsulem, qui acerrimus anteà Christianorum fuerat Insectator.

Ante quàm autem Vrbe excederet Constantinus (nam, Barbaris ad Albim rebellantibus, in Germaniam est reuocatus) inter cætera summum Christianæ Religionis Antistitem Melchiadem Regijs, quæ Faustæ Vxoris erant, ad Lateranum Ædibus donauit. Pontificis autem Maximi nomen, aut munus Romanorum Principum more, sine crimine Constantinum vsurpasse constat. *id allatis ab Authore exemplis, atque argumentis comprobatur. Idem post alia de eius laudibus adducta; sumpta occasione, Indictionum, quæ hoc tempore exordium habuerunt, origo vnde emanauerit, accuratè inuestigat.*

Lateranenses Ædes Melchiadi Papæ donat. *Opt. in Parm. l. 1.*

Indictionũ origo.

Exindè Constantinus tertium cum Licinio Consulatum inijt, Cui, ex Illyrico Mediolanũ accersito, Constantiam Sororem promissam anteà, matrimonio iungit. has ad nuptias vocatum Diocletianum, qui apud Dalmatiam

Chri. Ann. 313. *Zosim l. 2. Vict. in Dioc.*

Licinij coniugium.

tiam erat, Hortorumque inibi culturæ operam dabat, Victor tradit; cum recusasset, minacibus Constantini literis territus, quibus Maxentio fauisse, Maximino studere arguebatur, veneno hausto, mortalium sese iræ subduxit, Immortalium subiturus. quamquàm id non statìm, sed post triennium accidisse Author est Zosimus.

Euseb. l. 10. c. 5. Ante quàm Mediolano discederent, Edicta pro Christianis, quæ ab Eusebio recitantur promulgarunt, quibus, licèt inuitus, Maximinus quoque, Collegarum metu, subscripsit. *Edicta pro Christianis*

Gall. Paneg 2. Opt. in Parm. l. 1. Constantinus Mediolano profectus, in Germaniam cum peruenisset, principiò hostes Rheni transitu prohibuit, tùm simulatè recedens, transgressos ex insidijs adortus cæcidit. parte interim copiarum vacuas eorum trans Rhenum domos, atque oppida populante, sic ciuile pariter, ac externum bellum vno ferè anno confecit, Romanumque Imperium à Maxentij Tyrannide, ac Barbarico furore pacatum reddidit. Gentilitias superstitiones paulatim abolere cum vellet, Sæculares tùm Ludos neglexit, quod, numero, atque animis deficientibus iam Ethnicis, perindè fuit, ac si vetasset. Cũ adhuc in Gallijs degeret, Donatistarũ ex Africa ad Eum Legati accesserunt rogantes, vti Iudices eam in Prouinciam mitteret, ipsorum cum *Constãtini de Germanis victoria.*

Cæciliano dissensiones cognituros: ad quos Religiosissimus Imperaror; *petitus* (inquit) *à me in sæculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium expectem?* tres tamen haud seciùs Episcopos ablegauit Maternum Coloniæ Agrippinæ, Reticium Augustoduni, Marinum Arelatensem. quamquam, re melius deinde perspecta, iudicium ad Melchiadem Summum Pontificem detulit, ad quem Cæcilianus ipse vnà cum decem eius partium Episcopis, totidemque ex Donatistis Romam accedere deberet. *Constantini Epistola ad Melchiadem, altera quoque ad omnes simul Episcopos, qui ea de causa conuenerant, ipsiusque iudicij acta ex Eusebio, atque Optato hìc referuntur.*

Melchiadis Papæ obitus. Sub anni exitũ Melchiades obijt exacto Pontificatus anno secundo. *Hìc, quod Melchiadi decretum quoddam de Fermento ex benedictione Episcopi per Paroecias diuidendo, tribuatur, de huiusmodi consuetudine paucis cognita, vtpotè dudùm abolita, eruditè Authorem differentem consule, vbi & de publicis, ac priuatis Eulogijs multa affert scitu periucunda.*

Syluester PP. Melchiadi Syluester subrogatur, de cuius rebus præclarè gestis, suis quæque temporibus referemus. Chri. Ann. 314.

Maximinus in Li- Per idem tempus Maximinus Imperij Consortes dedignatus, seorsim eos adoriri cupiens, nulla ex iusta *Euſ. l. 9. c. 8.*

causa,

causa, Licinio bellum infert, fusus tamen ab eo, fugatusque, mutata veste inermis euasit. ad sua cum se ægrè recepissel; Idolorum Mystas, ac Ariolos, quòd certam victoriam spopondissent, trucidari iussit; tùm de Christi Fide melius sentiens, pro eius libertate, atque incremento indulgentissimas prę scripsit leges, ac Rescripta promulgauit. non diù tamen superstes fuit; diro etenim correptus morbo, voraci intùs flamma ambustus est, adeò, vt vix ossibus relictis, hominis quoque formam amitteret. exilientibus demùm oculis, non cæcus modò est effectus, sed naturæ monstrum euasit: denique reluctantem diù spiritum expulit.

Zosim l. 2. *Eutr. l. 10.*

ciniũ.

Maximinus victus.

Eius pro Christianis rescripta.

Morbus atque exitus.

Tùm maxima celeritate, atque impensa sacræ ædes vbique excitatæ, Christiana festa solemni ritu, ac pompa celebrata, frequentes Episcoporum Conuentus habiti, Peregrinationes pietatis causa liberrimè obitæ: accurata sacrarum rerum, ac Mysteriorum administratio instituta est. post hæc apud Orientem gesta; *suborta iterùm Donatistarum in Africa contentiones, hìc ab Authore in medium afferuntur.* quarum occasione Arelatense Concilium est celebratum, cui Constantinus interfuit, multæque ea occasione ab eo ad diuersos Episcopos datæ sunt literæ, *quæ hìc referuntur*, eius

Eusebius l. 10. c. 3. *Euseb. in vit. l. 1. c. 37. & 38.*

Christianæ rei incremẽtum.

Nouatianorũ Donatistarũ contentiones.

Concilia plura.

Pietatem, ac Religionem planè testantes. extant huius Concilij Acta, *quæ hic pariter cum salutaribus nonnullis Constantini legibus, habentur.* Eodem ferè tempore apud Ancyram Galatiæ Vrbem Orientalium Episcoporum Concilium coactum est: mox & Neocæsarienſe, cui ijdem ferè Episcopi interfuerunt, *quorum item Acta, & Canones, quòd ex Authore hoc loco, atque aliundè peti possint præterimus.*

Crispus, ec Constantinus Cæsaret.

Decimum Principatus annum auspicatus Constantinus, Crispum, & Constantinum Filios Cæsares dixit, & Decennalia, nequaquàm tamen profano ritu celebrauit. Porrò cum Parentibus ex inopia Filios hactenus venundare, & verò etiam occidere licuisset: Chri. Ann. 315. *Eus. in vit. l. 1 c. 41.*

Constãtini leges salutares. Eiusdẽ liberalitas.

Christiano Principi consentanea ea de re Edicta promulgauit; & per Italiam quidem publicè alendos, ex Fisci redditibus imperauit, Patribus autem, qui extrà Italiam essent, perpetuam distractos Filios redimendi tribuit facultatem; haud dubiè adempta occidendi. nec Patribus tantùm ea redemptio permissa est, sed ipsis quoque Filijs seruitutem seruientibus, & cuicumque alij, cui pietatem huiusmodi exercere placuisset. imò quæ Italiæ tantùm hoc anno concessit, alijs quoque extrà Italiam Prouincijs postea indulsit. Pauperibus item non ijs tantùm qui se adibant, sed qui per *Leg. 1. de Alimẽtis C. Th. leg. 2. C. de Patribus.*

Infra ad an. 322.

vias

Euſ. in Vita l. 1. c. 36

vias etiam ſtipem quæritabant, non modò victum, ſed decentes quoque veſtes tribuit, eos in primis miſertus, qui, poſt viræ commoda in paupertatem ex infortunio incidiſſent. Iudæos ab his, qui ex ſua Gente Chriſti Fidem amplecterentur, vexandis, ignis pœna propoſita deterruit. adeò autem proſperæ Chriſtianorum res Iudæorum animos perculerunt, vt, Chriſtiano Principi ægrè parentes, apertè rebellauerint; in quos, Chryſoſtomo teſte, ita animaduertit, vt auriculis amputatis, alioquè corpori impreſſo ſigno, veluti fugitiua Mancipia à rerum nouandarum ſtudio in poſterùm abduxerit. deindè verò pacatè eos viuere cum comperiſſet, non ſecùs, ac de alijs ſubditis, optimè de ipſis meritus eſt, vt docent Edicta eorum cauſa deinceps promulgata. huiuſmodi Iudæorum defectio an hoc omninò anno contigerit, non ſatis exploratum eſt. illud ſanè conſtat habitam à Syluestro cum Iudæis percelebrem diſputationem, cui Auguſtus Ipſe cum Matre Helena interfuiſſe dicitur, qua eorum detecti errores, petulantia depreſſa, religio exhilarata eſt; quò fortaſsè factum, vt rerum nouarum, quæ diximus conſilia inierint.

L. 1. de Iudæis C. The

Homil 2. in Iud.

Syluestri cũ Iudæis diſputatio.

Hoc eodem anno Arrius, atque Collutus Presbyteri, vterque, Alexandrini, nouorum Fidei dogmatum Au-

Arrius, & Collutus.

thores extiterunt, de His tamen alibi opportunè magis dicturi sumus.

Cæterùm Constantinus, quòd neminem suæ clementiæ expertem vellet, pœnam illam, qua noxiorum vultus inscribebantur, dato ad Eusebium Rescripto aboleuit, præfatus, nefas esse hominis faciem, quæ ad similitudinem Cælestis Pulchritudinis est figurata, maculari. *L. 2. de Pœn. C. The.*

Diocletiani mors.

Ad hunc vsque Constantini Principatus annum vndecimum voluntarium exitum distuliſſe Diocletianus fertur. causam suprà attulimus, nisi si quis malit ex diris corporis, animique cruciatibus ab eo mortem accersitam. constat quippè doloribus illum vehementibus afflictatum, vermibus, qui ex ore etiam scatebant, absumptum; oculos quoquè, ac linguam eieciſſe. enimuerò diuino factum consilio existimandum est, vt tamdiù superfuerit, dum inopinatam Christianorum fœlicitatem aspiceret, Templaque à se disiecta restitui, vetitos à se Cœtus frequentissimè celebrari, Christi gloriam summis tolli præconijs: Christianos Principes suo ipsius suffragio imperare. quo enim animi angore hæc Illum aspexisse putandum est? Regio sanè cum Psalte canere vnusquisque potuit *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium peccatorum peribit,* Chri. Ann. 316. *Zosim l. 2. Euseb. l. 8. c. vlt.* *Psal. 112.*

Ve-

Verùm Licinius, iam tùm Constantino, ac Christianæ simul Religioni factus infensior, Diocletianum, Ethnico ritu, ac more consecrauit; sed qui impium, stulto conatu, inter Diuos retulit, haud ita multo post inter homines esse ipse desijt. pactorum quippè immemor, & latarum à se Legum transgressor, in Episcopos primùm, sacrosque Ministros sæuire, tùm in alios promiscuè Fideles instituit: lata etenim Lege, ne Cœtus haberentur, neuè Episcopi præter suam Ecclesiam aliam inuiserent, seu adirent, neuè Ethnicos homines edocerēt, aut cum ijs colloquia miscerent, eorum multos leui ex causa interemit. Mulieres quoque non nisi à Mulieribus instituí, ac doceri voluit. qua ex causa Ammonium Diaconum, qui Sanctimonialium Virginum Cœtui præerat, cum ipsis Virginibus quadraginta, igni, ac ferro addixit. quorum memoria Kalendis Septembris ab Ecclesia recolitur. haud dispari ex causa Neocæsareæ Euphratesiæ Episcopum Paulum præcisis neruis, & ignominiæ causa excisis genitalibus, atque combustis, miserrimè confecit. Nicomediam cum veniisset, effusissimæ intemperantiæ in Virgines pariter, ac Matronas honestissimas, inque ipsius Augustæ Gynecæum exempla edidit diutiùs non ferenda. itaquè Constantia

Licinius Diocletianū consecrat.

Euseb. in vita c. 41.

Persequutionem instaurat.

Martyrol. Rom. Theodoret. l. 1. c. 7

Licinij libido.

de sua, deque Christianorum conditione Fratrem per literas edoctum impulit, vt de cauendis Tyranni artibus, deque vlciscenda sua, ac communi Christiani nominis iniuria cogitaret.

Tùm Licinius, & Ipse, bellum diù meditatus, Chistianos, si quos in exercitu habuisset, parùm sibi fidos ratus, exauctorauit; neque hoc tantùm, sed morte quoque non paucos mulctauit; in quibus percelebres habentur Quadraginta illi Cappadoces, qui Sebaste apud Armeniam algenti aqua mersi, de Tyranni sæuitia triumpharunt: quos eleganti ad Populum Oratione Basilius laudauit. illud tùm accidit memorandum: ex eo numero vnus frigoris impatiens, Socios, ac Fidem deseruit: calida tùm aqua mersus, quæ præstò erat, obsistentis vi frigoris, caloriſque veluti repercussu interijt, cum æterna, temporali quoque vita, quam præproperè seruatam voluit, amissa: mæstos proinde Socios solatus est Deus. aderat custodiæ causa cum reliquo satellitio Miles quidam: is, transfuga recedente, recedentem quoque Angelum suspexit, ex His, qui pari cum Militibus numero totidem cum corollis imminebant: miraculo stupens, fugientem veluti corollam abrepturus, Christi Fidem & Ipse professus, transfugæ locum

XL. *Milites martyres.*

Basil. orat. in 40. mart.

sub-

subijt, quadragenarium numerum impleuit. Hos in Agone præcessisse hoc eodem anno videtur eius Ciuitatis Episcopus Blasius, cuius Elogium Romano Martyrologio adscriptum habetur III. Nonas Februarij. *S. Blasij Martyrium.*

Chri. Ann. 317. Licinius interim rebus omnibus ad bellum necessarijs comparatis, Aruspices consulere Oracula scitari, victimas mactare nihil denique, quod ad Militum animos superstitione imbutos, confirmandos faceret, omittere, cæptum dein iter valido cum exercitu prosequens, ad Cibalas Pannoniæ Oppidum Hosti occurrit. initum est prælium magno vtrinquè impetu, ac viribus, productumque ad vesperam, qua victus demum Licinius fugam arripuit, à qua non anteà destitit, quàm in Thraciam peruenit. hìc vbi delectu iterùm habito, nouisque conscriptis militibus, parem se obsistendo existimauit, insequentem excipit hostem, commissaque iterùm pugna, iterùm fusus, fugatusque est. tùm demùm pacis leges se accepturum pollicitus; Illirico postquàm ei cessit, aliaque nonnulla pactus fuit, à Clementissimo Victore haud ægrè impetrauit. *Bellũ inter Constãtinum & Liciniũ.* *Licin. victus ac fugatus.* *Iterũ victus.*

Chri. Ann. 318. Pace composita, quintùm Consulatum cum Crispo Cæsare Licinius inijt, vt planè constet nullum à Constantino officij genus prætermissum, *Pacem impetrat.*

quo

quo Hominem demereret, ac inspace, quam firmauerat, contineret; sed nihil profecit, quippè Fœdifragus terrestribus, maritimisque iterùm copijs instructus, Constantinum lacessere haudquaquàm destitit. Deo autem perfidiam, atque anteactæ vitæ crimina vlciscente, iterùm terra, marique victus; Byzantij primùm, tùm, fuga inde elapsus, Nicomediæ obsidetur; hìc demùm impar viribus, deditione facta, Victoris iterùm clementiam implorauit: à quo Thessalonicam ablegatus, cum priuatæ impatiens vitæ, occulta consilia agitaret, Constantini iussu interemptus est.

Pomp. lat. in Aur. Vict. Euseb. l. 10. Zonar to. 3. Sozom l. 1. c. 7

Tertiè vincitur,

Licinio sublato, Romano latè Imperio Christiano Principi obtemperante Christi Fideles tranquillissimo rerum statu potiti sunt. sacræ vbique, Ædes restitutæ, atque augustiores redditæ, Exules reuocati, Proscriptorum bona consanguineis, aut Ecclesijs, si consanguinei non extarent, adiudicata; non ea modò, quæ à priuatis hominibus possidebantur, verùm etiam quæ cesserant Fisco, aut Ærario publico fuerant illata.

Euseb. l. 2. c. 19.

Moritur.

Fulgentissimum nihilominùs, qui Orbi illuxerat, pacis radium, Donatistarum in Africa turbæ, Arrij in Ægypto impietas obscurarunt. aduersus Hunc nuper Alexandriæ coacta Synodo Episcoporum C. ab His impium

Epiph. har. 69.

Concilium aduer-

illius

illius dogma damnatum fuerat; hoc vero tempore ab Alexandro Alexandrino Episcopo Vrbe eiectus in Palestinam receperat sese, vbi per Eusebij Cæsarienſis, aliorumque Episcoporum incuriam, multos mortales impio dogmate imbuit, eadēque pice inquinauit. neque in Palæstina tantùm, sed alijs quoque in Prouincijs, quas aut peragrauit, aut, literis ad Episcopos datis, sui nominis qualicumque fama peruasit.

Theo. l. 1. c. 3 Soz. l. 1. c. 54

Arrius Arrium.

Arrij progressus.

Alexander quàm nihil exilio Arrij profeciſſet animaduertens, ad Syluestrum Romanum Pontificem ea de re scripsit, cuius Epistolæ meminit Liberius. Sylueſter porrò ad controuersias huiusmodi componendas legauit Osium clarissimum fama Virum Episcopum Cordubensem, qui ex itinere Constantinum in Bythinia agentem adijt, ab Eoque literas in Ægyptum deferendas accepit, quæ ab Eusebio recitantur, Augusti pietatem, ac Fidei zelum mirificè redolentes.

Osius Syluestri legatus.

Euseb. in vit. l. 2. c. 63. Socr. l. 1. c. 4.

Parta, quam diximus, pace, non Vrbes modò Christianis legibus, ac moribus excultæ, sed deserta quoque loca Sanctorum Virorum veluti Colonijs illustrata sunt, Ducibus Antonio, Pacomio, Paphnutio, Ammone, ac alijs omni æuo memorandis.

Anachoretarum Principes.

Chri. Ann. 319. Quintum Augustus Consulatum iniit Iuniore Licinio, quem alij Licianus

nianum vocant, ex Sorore Constantia genito Collega adlecto. tùm bellum aduersus Scythas, atque Sauromatas trans Istrum Populos bellicosissimos transtulit. eæ Gentes antea Romanum Imperium ita infestũ habuerant, vt tributa eis pendere, ad frequentes populationes redimendas, oportuerit. tantum dedecus Constantinus nequaquam ferendum ratus, eorum ferociam coërcere instituit, & verò etiam fœlicissimè perfecit. *Zosim l. 2. Euseb. l. 4. c. 5. & seq. Sozom l. 1. c. 8*

Constãtini bellũ in Scythas.

Constãtini ad Arriũ litera.

Quod ad res spectat Ecclesiasticas, Augustus accepto ab Arrio ad primas responso, alteras ad eum literas dare non est dedignatus, quibus tamèn acriùs illum vrget, ac salsiùs mordet, vt licet cognoscere; *nam illas ab Epiphanio, ac Socrate indicatas, Author ex Vaticana Bibliotheca acceptas hìc recitat omninò legendas.* *Epiph. har. 69. Socr. l. 1. c. 6.*

Concilium Alexãdriæ.

Peruenerat in Egyptum Osius eius igitur iussu generale Concilium indicitur, sic illud Athanasius appellat, quòd summi Pontificis authoritate coactum fuerit. huius sanè Concilij Acta non extant, constat tamèn in eo non Arrij tantùm hæresim in disquisitionem vocatam, sed etiam Sabellij, Colluti, atque Meletij.

Hoc eodem anno vitæ exitum sortitur Philogonius Vir Sanctus, Antiochenus Episcopus, in cuius annua celebritate de more Chrysosto-

mus

Chrys. mus Panegyrim ad Populum Anthio-
to. 3. chenum habuit.
ad fin. Cæterùm Constantinus, qui in Orientem proficiscí decreuerat, Barbarorum nouas turbas concitantium motu, in Occidentem reuocatur. Sub idem tempus Aruspices, qui antiquam superstitionem sensim reuocabant, ab accessu in alienas domos, ignis pœna intentata, inhibuit. pœna etiam, licet mitiore, his, qui eos admisissent proposita. pro Clericorum quoque à publicis muneribus immunitate ad Octauianum rescripsit. quo tempore etiam aduersus eos, qui famosos libellos conscripsissent, quique Magistratus ambitu quærerent, Leges tulit, quæ Hierapoli, atque Carthagine fuerunt publicatæ. admonendum hìc Lectorem duximus Notam illam duplicis PP. in fine huiusmodi Legum appositam locum vbi publicatæ sunt, non vndè datæ, indicare. cuius rei ignoratione multi in errorem non ferendum prolapsi sunt.

Constãtini lex.

L. 1. & 2. de malef.

L. 2. de Episc. & Cleric.

L. 1. de fam. libell. & L. 1 de Muner. C. Th.

Chri. Ann. 320. Constantino VI. cum Constantino Iuniore Cos. Quinquennalia Cæsarum celebrantur Patre in Gallijs, Crispo in Germania bellum administrantibus. Alemanos eo bello à Crispo victos, Nazarius Orator indicat, & antiquia non pauca ab Adolpho allata docent numismata. ex eo bello Crispum reducem maxima letitia ex-

Paneg 3. Adol. in numism.

cæ-

ceptum constat: at non eo, quo cæteri, obtutu Fausta Eum Nouerca excepit: quippè victoris Iuuenis indole, ac forma miserè capta, turpem indè hausit flammam, noua Ipsa Phædra, nouum Hippolytum reuocauit. Augustum porrò in Gallijs tunc egisse ex Rescripto de Immunitate Veteranis concessa admonemur.

Fausta amor in Crispum.

L. 2. de Veteran. C. The. & Iustin. l. 11.

At Constantinus æquè pacis, ac belli artibus studens Leges subinde, saluberrimas, Christiano Principe dignas tulit. eam in primis suo hoc Consulatu sexto, qua lex Papia aduersus Cœlibes abrogata est, quam Augustus anteà tulerat. quod si quis ex Tertulliano eam à Seuero dudùm abrogatam fuisse contendat; Hunc scire oportet, eam legem multos veluti ramos habuisse, à diuersis Principibus subinde excisos; nouissimè autem Iustinianum securim quodammodò ad truncum admouisse, dùm postremam *de caducis tollendis* edidit Sanctionem, in qua hoc ipsum testatum reliquit; *quemadmodùm enim* (inquit) *in multis capitulis Lex Papia ab antecessoribus Principibus emendata fuit, & per desuetudinem abolita, ita & à nobis circa caducorum obseruationem inuidiosum suum amittat vigorem.* primum sanè caput antè Seuerum, amputasse constat Tiberium, & post illum Claudius putatoriam quasi falcem

Lex Papia in cœlibes abrogata.

L. 1. & 2. ad instrmand. pœn. cœlib. C. The & Ius. Dio. l. 58.

L. 1. c. de Caduc toll.

Suet. in Ti-

bis

ber. & Clau. Cuiac. in parat.

bis admouit; quartus itaque Constantinus eam partem succidit, quæ magis Christianæ pietati aduersabatur. rursum antè Iustinianum Honorius decimam de donationibus inter Virum, & Vxorem persoluendā sustulit. hinc Zosimi, Constantinum auaritiæ insimulantis, calumnia detegitur; constat quippè non ex his solùm, quæ anteà diximus, quæque de illius Munificentia dicturi sumus, sed ex hac ipsa Legis Papiæ abrogatione Constantinum, vt pietati inseruiret, nullam Fisci rationem habuisse. Iam verò eos, qui Christiano Cœlibatu exhauriri hominum prole Romanum Imperium clamitabant, luculenter D. Ambrosius coarguit. Ad hæc eodem Consulatu Legem humanissimam tulit, qua poenas in eos, qui debita non persoluerent, constitutas sustulit: illud quoque sanxit Hæredum institutionem, quacumque demùm verborum formula concepta esset, ratam habendam.

De Virg. l. 3. L. 3. de Exact.

Cæterùm cum post latam superiori anno de Clericorum Immunitate Legem, multi non Religionis studio, sed ad onera vitanda, vel ad quæstum ex pietate faciendum, sese ad Clerum transferrent, Legem sanxit, (haud dubiè consultis Episcopis) ne in posterum Decuriones, aut Decurione geniti, alijuè huiusmodi Curijs, atque oneribus obstricti, declinandi oneris

causa

causa ad Clericatum confugerent. supereſt in Raptores Virginum hoc eodem anno lata Lex referenda, quam, ſeueriſſima cum eſſet, Conſtantius Filius poſteà temperauit. *L. 1. & 2. de Rapt. Vir. C. Theo.*

Criſpo, & Conſtantino Fratre iterùm Coſs. Auguſtus Donatiſtarum precibus fatigatus, ex His quot quot antè quadriennium exilio mulctauerat, reſtituit. ſic ſoluti, Catholici nomen quò liberiùs vſurparent, Romanam vtcumque Cathedram inſidere conſtituunt. ex ſuo ergò numero Epiſcopum creatum quempiam, ac Victorem appellatum, Romam mittunt, poſt quem vita functum, alios deinceps quatuor ducta ſerie, ſubſtituunt, vſque ad Optati tempora, qui hoc ipſum teſtatur. tanti apud eos tùm fuit vel ementitus Romanæ Eccleſiæ principatus. *Chri. Ann. 321. Aug. poſt. Collat. l. 1 c. 33.* *Donatiſtarũ auſus.* *Optat. l. 2. Aug. de hær. c. 69.*

Eiſdem Conſulibus pius Auguſtus diem Dominicum, Lege lata, ab Ethnicis æquè, ac Chriſtianis feriari mandauit. in Maleficos quoque, atque Incantatores ad Baſſum Præfectum Prætorio reſcripſit: & ad Romanum Populum de facultate ad pias cauſas teſtandi, & bona Eccleſijs relinquendi. qua Conſtantini Lege Eccleſiæ diteſcere cæperunt adeò, vt, ex His qui ſequuti ſunt Principes, nonnulli, veriti Reipublicæ detrimentum, conati ſint Conſtantini Legem abro- *L. 3. C. de feriis.* *Cõſtantini pia leges.* *Eccleſia diteſcũt.*

gare

Amb. adu. Symmachum. L. 1. de Pagan C. The

gare; de quo D. Ambrosij extat querela ad Valentinianum Augustum, & nos suo loco dicturi sumus. Cæterum Religiosissimus hactenùs Imperator (quo impellente incertum) his ipsis Consulibus post saluberrimas Leges, vt diximus promulgatas, Aruspices ex veteri disciplina consulendos iussit, si fortè Regia Domus, aut aliud publicum ædificium de Cælo tactum fuisset. enimuerò, si coniectura agendum sit, hoc ideò ab eo factum putauerim, quod lata in Aruspices anteà Lege, quam memorauimus, eorum animos, atque adeò Gentilium omnium exacerbasse se animaduerteret, voluisse eos proindè posteriori Lege vtcumque lenire, certioresque reddere huiusmodi disciplinam cum ipsa Vrbe natam nolle se abrogare. quicquid sit; & peccasse Eum, & peccati pœnas dedisse exploratum est, cum & Filium belli pacisque artibus clarissimum, & Coniugem aliòquin amatissimam, & Licinium ex Sorore Nepotem, suorum Carnifex, morte afficere coactus sit, vt postea dicturi sumus. Dudum Italis Parentibus consuluerat, præstitis, vt diximus, è Fisco Regio, alimentis, nè Filios, venundare, aut Filias (quod in more positum erat) prostituere cogerentur; nunc Prouinciales Africæ eodem affecit beneficio, nouo ad Menandrum

Constãtini lapsus.

Pro Aruspicibus rescribit

Chri. Ann. 322. Supra ad an. Chri. 315.

Const. pietas, ac liberalitas

Zosimi calumnia.

drum Rescripto. & tamen, quod alibi quoque monuimus, impius, ac mendacissimus Author affirmare audet Constantinum in exactione tributorum, adeò fuisse inhumanum, vt coëgerit inopes Patresfamilias ad Filios distrahendos, ac Filias prostituendas, hinc satis mirari non possumus Christianos homines reperiri, qui ei patrocinentur, proque eo defendendo vires omnes quodammodò insumant. *Zos. l. 2.*

Natali die Crispi, atque Helenæ reuertente, omnibus Reis preterquàm Veneficis, Homicidis, atque Adulteris, indulgentiam Augustus impartitus est. *L. 1. de indi.*

Seuero, atque Ruffino Cos. iterùm Augustum pro Christianis rescribere oportuit, ne ad profana ab Ethnicis Sacrificia compellerentur. huiusmodi in Christianos vim non aliundè ortum habuisse par est credere, quàm ex Lege, quàm diximus, antè biennium, pro Aruspicibus lata, qua, cum Constantinus visus sit ad auitam superstitionem animum adijcere, Ethnicorum animi elati, ad vim vsque, quam coërceri noua Sanctione oportuit, deuenerunt: vt mirari quis desinat Sylueſtri fugam, ac latebras apud Soractem, Augusto præsertim Syrmij apud Pannoniam agente. Chri. Ann. 323. *L. 5. de Episc. C. The.*

Sylueſtri fuga vnde.

Licinij cædes.

In hunc annum incidisse Licinij cædem multi existimant: Lege autem con-

contra Illum fuisse actum, quòd Barbaros occultè aduersus Constantinũ, & Remp. irritaret.

Chri. Ann. 324. *Zosim l. 2. Oros. l. 7. c. 28 s. Hie. de Scri pt. Eccl. in Lactã tio.*

Sequitur annus sæculi huius XXIV. Constantini Principatus XIX. non illi tantùm, sed toti Aulæ infaustus, duorum quippè Cæsarum cæde cruentus: Licinium Paterni sceleris tanquàm conscium, Augusti in se iram concitasse affirmari iurè posse existimamus: Crispum autem à Fausta Nouerca adamatum, ab eadem repulsæ pudore, amore, vt fit, in odium verso, calumnia circumuentum omnes memorant, quemadmodùm, & ab Helena illum Auia, Christianis moribus fuisse imbutum. Constantinus porrò Augustæ libidine, ac fraude detecta, iustas de ea pœnas sumpsit, quam balnei vapore feruentiùs calefacti extinxit. *hìc de Constantini expiatione, & Baptismo, deque Syluestri Actis fusiùs Authorem differentem, & difficultatum nodos complures accuratè soluentem require: non enim integrum nobis fuit ea in compendij modum redigere; quemadmodùm neque ea, quæ de Baptismi loco Romæ adhùc Superstite, euiusque antiquo ornatu, atque donarijs, deque effusissima Constantini in Sacrorum vsum sacrasque Basilicas Munificentia adtexit. hìc pariter de vulgata Constantini Donatione mentionem ingerit.*

Crispi & Licinij Iunioris quoque.

Faustæ Augustæ pœna.

Constãtini Baptisma & largitiones.

Hoc

Concilium Romæ. Hoc eodem anno post Augusti Baptismum Romę à Sylvestro coacta Synodus est in nuper erecto Titulo ad Traiani Thermas. conueniisse autem tùnc Episcopos CCLXXIV. eiusdem Synodi habent Acta: Cresconiana tamen collectio ducentos admodum, & triginta memorat. His Constantinus ex publico vehicula, & annonam decreuit, vt in Synodi exordio declaratur. *Conc. Rom. c. 1.*

Quod spectat ad res huiusmodi in Conuentu gestas, eæ ex illius Actis peti possunt; neque id mirum cuipiam videri debet, nullam in his de Arrio mentionem haberi; de eo namque per Orientales Ecclesias debacchante, Oecumenicum Nicææ Concilium erat cogendum.

Constãtini Religio. Ex hoc iam tempore Constantinus, qui hactenùs fluctuasse visus est, omnibus numeris absolutum Christianum Principem gessit: totusque in Christiana Religione propaganda fuit. itaquè cum in Capitolio festum percelebre recolendum foret, superstitionem auersatus, verbis quoquè insectatus dicitur: ex quo Illum Senatus Populique Romani odium contraxisse Zosimus tradit, eandemque ob causam Romam deserere, Regiam alibi constituere decreuisse: sed huius Authoris fides, vt sæpè diximus, integra nequaquàm est. sanè hoc anno *Euseb. in vita l. 3. c. 3 Zosim l. 2.*

ante-

antequam hyeme nauigatio interclu- *Constãtinus Romã deserit Ilium deïde Byzantium delegit*
Sozo. l. 2. c. 2 Zon. an. to. 3. Nicephl. 3. c. 4. deretur, Ilium Eum accessisse constat: ibique, Vrbis ædibus dilatatis, sedem figere decreuisse, diuino autem monitu, atque prodigijs, mutata sententia, Byzantium delegisse.

Diræ interim seditionum procellæ multis in Ecclesijs tranquillum Christianæ Reipub. statum perturbarunt. Antiochiæ Paulino Episcopo vita functo, ad eius Ecclesiæ regimen Eustathius à Catholicis, Eusebius Cæsarienſis ab Arrianis accersuntur: res ad Vrbis excidium spectare videbatur, cum Augusti authoritas intercessit, legatione missa, datisque ad Populum, & ad ipsum Eusebium literis, qui Catholicorum factione superatus, sponte nihilominùs loco cessisse videri voluit.

Asiam porrò, Mesopotamiam, ac
Atha. pe Synod. Syriam antiqua, de celebratione Paschæ dissensio mirè distraxit.

Ægyptij quoque eò furoris proces- *Const. statuæ lapidatæ.*
Sozo. l. 1. c. 15. sere, vt Principis Statuas lapidibus appetierint: hoc cum Ei nunciatum esset per summam lenitatem, admota fronti manu dixisse fertur; atquì caput integrum habere me sentio.

Chri. Ann. 325. Sæculi huius anno XXV. qui Constantini Principatus fuit XX. vniuersale apud Niceã Bithyniæ Vrbem Concilium celebratum est Paulino, & Iuliano Cos. cogendi illius causæ duæ *Concilium Nycænum.*
Euseb. in vit. Cõst. l. 3. c. 6.

Cogendi Cõcilij causa.

præcipuæ fuerunt; Ariannorum hæresis, quorum nomine Meletiani quoque ac Collutiani censebantur, & de die Paschæ rediuiua iã totiès controuersia. interfuere Episcopi CCCXVIII. *horum præcipuos Author recensèt, ac suo quemque Elogio commendat* Præter Christianæ Religionis Antistites, multi quoquè, ex Ethnicis, Philosophi, ac Dialectici adfuere, quorum antè confessum concertationes aliquot narrantur. Augustum porrò cum cæteris Episcopis consediſſe constat, Eosque omni obsequij genere amplexum, atque reueritum. Sylueſtri vicem cum Osio, quem diximus, Vitus, atque Vincentius Romani Presbyteri tenuere, *quos & potiorem inter alios locum habuisse Author contendit.* omnium primus Eustathius Anthiochenus, post hymnum decantatum, in Augustum conuersus verba fecit: tùm Augustus Ipse, & Latino quidem sermone (quamquam & Græcum callebat) pro Romani Imperij Maiestate, quo Præsides quoquè in Prouincijs vti, eadem ex causa, consueuere. Augustissimi Conuentus Acta magna ex parte periere, quæ si ad nos integra peruenissent, haud dubiè Christiani maiestatem Senatus nobis, veluti in speculo exhibuissent. nunc quandò messis spes nulla est, spicas, quod superest, colligamus. Constat in primis,

Sylueſtri legati.

Atha. ep. ad Iouia. Imp.

Euseb. in vit. l. 3. c. 20.

Atha-

Atha. orat. 1 contra Arr. Athanasij testimonio, cum Arrij blasphemiæ, ad eos excutiendas, legerentur, Patrum nonnullos exhorruisse, aures que obstruxisse. Eusebij quoque Nicomediensis literæ ipso in consessu discerptæ, quòd ex his eadem cum Arrio sentire sit deprehensus. quo animaduerso, qui aderant Arriani, præiudicata veluti causa, veriti exilium, aut aliud animaduersionis genus, hæresis abiuratione simulata, Arrij damnationi subscripsere. hac arte impij Homines, non secus, ac Parthi fugam simulantes, acriùs deinde pugnam instaurarunt. Arrianis, vt videbatur, ad Catholicum dogma traductis, Fidei formula, Osio dictante, concepta est, quam D. Athanasius ad Iouianum refert; Catholica verò Ecclesia, in Sacrosancto Sacrificio totidem ferè verbis recitat.

Theod l. 1. c. 8

Atha. ep. ad Sol. & ad Iouian.

Arrium porrò Anathemate tùm quidem, atque exilio damnatum, cum palinodiam, & ipse, canere non renuisset, ab eadem posteà Synodo fuisse receptum multi affirmant; cum illius sanè dogmate damnatum quoque libellum constat, quem de rebus quidem sacris scripsit, sed lasciuienti stylo, verbisque, ac sententijs mollitie, ac turpitudine refertis, cui & Thaliæ profanum nomen indidit. ea lucubratione impurus homo, Presbyter ipse cum esset, Sacerdotalis Ordi-

Arrij liber.

nis dignitatem traduxit, adeòque malè audijt, vt vulgo Ægyptius Sotades (Cretensis Poeta is fuit Cynedico infamis carmine) vocaretur.

Aduersus Arrium, eiusque libros Constantini quoquè extat Edictum, apud Socratem, cuius meminit Theodosius Iunior. Ea in Sanctione Constantinus Arrianos, quòd Porphyrij mores, ac dogmata sectarentur, Porphyrianos iure appellandos existimat. Superstitem adhuc Porphyrium tùm fuisse quidam putant, annos natum ampliùs nonaginta, sed exilio mulctatum inglorium latuisse, quòd non in Christum modò, sed in ipsum quoquè Augustum iniurius fuisset. in ipsius quippe odium, ac contumeliam Britanniam fertilem Tyrannorum appellasse. cæterùm quem Hieronymus ab exilio hoc tempore reuocatum tradit, insigni volumine Augusto nuncupato, Poëtam fuisse, aliũ à Philosopho, quo de est sermo, ex edito nuper commentario constar. *quia de re in Appendice ad XII. tomum addita Authorem consule.*

Socr. l. 1. c. 6. L. vlt. de heret. C. The.

Gild. de excidio Britan Hier. chron.

Delibe ratio de Pascha.

His ita, vt diximus, in Concilio firmatis reliquum erat, vt de Paschæ celebratione ageretur. Vetus hæc erat controuersia, cum multi ad Orientem, Syriæ præsertìm Populi, sub Æquinoctij Verni Panselenium, siuẽ Plenilunium, hoc est decimaquarta,

Lunæ

Lunæ augescentis die, quicumque is demum dies esset, mote Iudæorum Pascha celebrandum contenderent. cùm contrà Occidentalis Ecclesia, & Christiani Orbis pars maior, potiorque, ex Apostolorum traditione, non nisi die Dominico, qui Panselenium huiusmodi sequeretur, id præstandum existimarent. re discussa, non sine magno labore, ac iactatione, Syri, quique cum eis sentiebant, in Catholicæ Ecclesiæ sensum traducti, ex animo quieuere: qua etiam de re Augusti literæ, quas Socrates recitat, ad Ecclesias omnes nuncupatæ, Christianæ pietatis plenæ prodiere. Cæterùm quòd ad Lunaris cycli rationem spectat, & Puschalis diei supputationem firmandam, res ad Alexandrinum Episcopum delata est, quòd ea in Prouincia peritiores omni æuo Astronomos storuisse constaret, constitutus est numerus ille, qui Aureus nuncupari consueuit decem, ac nouem annorum periodum comprehendens. quod quidem totius Synodi inuentum, perperàm multi, Bedam sequuti, Cæsarienſi Eusebio tribuerunt, forasse ideò deceepti, quod Is librum de Pascha conscripserit, in quo tamèn constat eum de antiqua diei Paschatis institutione, ac ritu, non autem de computo pertractasse. ad hæc de celebratione Paschæ, qua diximus ra-

Athan. de Synod. Arim. Socr. l. 1. c. 6.

Bed. de rat. temp. c. 42. Amb. ep. ad Episc. Amil.

Aureus numerus constitutus.

tione decreta, illud quoque, veluti appendicula, adiectum; vt in posterùm diebus Dominicis, ac Pentecostes, non perindè, ac alijs diebus genuflexi, sed stantes Fideles orarent. Meletio de quo alibi meminimus sacris Ministerijs interdictum, datæque ea super re ad Alexandrinam Ecclesiam Synodales literæ. insuper vetitum, ne quis per vniuersam Ægyptum, Lybiam, atque Pentapolim Episcopus consecraretur Metropolitano Alexandrino inconsulto; quod & tertiæ Sedi Antiochenæ indultum est.

Alex. & Antioch. Ecclesia iura.

Theod l. 1. c. 9 Socr. l. 1. c. 6

Romana Ecclesia primatus.

Sextus deinceps Canon de Romanæ Ecclesiæ Primatu loquitur. sed quia decurtatus legitur, Interpretum haud mediocriter torsit ingenia; *Ipse quoque Author, vt germanum sensum eliciat, ex eoquè Primatum adstruat, multa aliundè affert, quæ ab eo peti possunt.* Hierosolymæ porrò Ecclesia, de qua septimus habetur Canon, non ita priuilegijs augetur, vt à Cæsarienſi, quæ Palæstinæ est Metropolis, subducatur.

Hierosolymæ Ecclesia.

Nouatianis ad Catholicam Ecclesiam ianua est patefacta, sed Acesio Nouatiano Episcopo præfractè obsistente, irriti tot Patrum, ac Principis conatus cecidere.

Cum Cathaphrygibus præterea, ac Paulianistis, hoc est Pauli Samosateni Sectatoribus, quo pacto agendum,

dum, quidue ab His Catholicam Ecclesiam repetentibus exigendum esset, peculiari cautum est lege.

Basil. ep. 78. Conc. Nic. c. 9. & seqq.

Post hæc sanciti sunt Canones de Lapsis, siue ad Ecclesiam, siue ad Ecclesiasticos Ordines recipiendis. Hi erant, qui Liciniana persequutione Fidem quoquomodo abnegassent. *De lapsis.*

Athan. de fug. sua in fin. Conc. c. 3.

Illud quoque decretum, ne cui liceret sponte se ipsum euirare. cuius Canonis condendi causam dedisse videtur Leontius Antiochenus, qui posteà ab Arrianis eius Vrbis Episcopus creatus est; Is facinus huiusmodi aggressus est, vt Mulierculæ cuiusdam contubernio vti posset, quo ab Eusebio Ei fuerat interdictum. sed neque hac ratione suspicionem euasit: qua etiam ex causa statutum videtur nè Episcopi, neue Presbyteri, aut Diaconi Mulieres apud se haberent, præter Matrem, Sororem, siue Armiram, aut ex alijs, quæ suspicionem omnem effugerent. *De abscissis.* *Ne cũ fœminis Clerici habitent.*

Sozom. l. 1. c. 22. Socr. l. 1. c. 8.

Tradunt nonnulli actum in Synodo de ferenda Lege, nè, qui Vxores antè susceptos Sacros Ordines habuissent, eis posteà vti possent, Paphnutio autem, licet coniugij experte, intercedente, ab huiusmodi condenda lege Patres temperasse; vtcumque se res habeat, viguisse posteà ea de re si non legem, certè consuetudinem qua Sacrorum Ministri, qui coniugati anteà *Clerici coniugati.*

fuissent, ab Vxoribus seorsim degerent, & ab earum commercio abstinerent exploratum est; quod eius sæculi Patres disertissimè tradunt, & nos alibi susiùs docuimus. quod autem Nicæni Patres, venerandæ Consuetudini fortasse deferentes, Lege insuper sancire noluerunt, Arelatensis Concilij Patres sanxere. *Basil. ep 17. Hier. ep. 50. Conc. Arel. 2. c 2. & 3. Greg. Turon l. 1. c. 44.*

Alij canones. Eadem Sacrosancta Synodus pœnam aduersus Clericos fœnus exercentes, constituit. Vetuit quoque Diaconos ex praua consuetudine Sacram Eucharistiam Presbyteris porrigere, eosdemque coram illis sedere. *Conc. Nic. c. 15.*

De trãslatione sedium. Quoniam verò per factiones Populorum Episcopi, alijque inferioris ordinis sacri Ministri à proprijs in alienas Ecclesias transferebantur (quod nuper Antiochiæ, vt diximus, non sine maxima seditione vsu venerat) id in posterùm non nisi ex magna causa fieri permissum.

Neophyti non ordinãdi Neophytos, hoc est recens baptizatos ad Sacros Ordines, ac etiam ad Episcopatum, quod contigisse constabat, promouere indignum visum. cæterùm ob Viros insignes, quemadmodum in Cypriano, vt diximus, anteà acciderat, posteà quoquè huic Canoni in Ambrosio, Hilario, atque Nectario derogatum constat.

Episcoporum Episcoporum Consecrationi, vt tres saltem Episcopi adhiberentur,

quod

quod hactenus ex traditione fieri consueuerat, Lege est cautum; quemadmodùm etiam, vt Consecrationis approbatio à Metropolitano expectaretur. *ordinatio.*

Præter Canones, qui extant, alios, pleroſque, qui naufragium sint passi, tùm fuisse sancitos, nemo inficiabitur, qui Hieronymum, quique Ambrosium, alioſque antiquos Patres mendacij arguendos non putet, apud quos de alijs permultis à Nicęnis Patribus promulgatis Legibus mentio habetur. *Nicani Concilij acta deperdita.*

Hier. ep. 3. Ambr ep. ad Vercel Ecc.

Omnibus in sacroſancta Synodo absolutis, sequutæ sunt Patrum subscriptiones. res tum accidit sane mira; si Gregorio Presbytero, atque Nicephoro adhibenda fides sit, Athanasio, Hilario, alijsque eius sæculi Patribus id reticentibus. antè completam Synodum Chrysanthus, & Musonius Episcopi Nicææ decesserant, reliqui Patres, ad decretorum firmitatem, eorum subscriptiones diuino miraculo accedere cupientes, spe pleni, edita iam, & à se subscripta decreta defunctorum loculis admouerunt, nocte tota orationi instantes: appetente iam die, spe nequaquàm frustrati, Collegarum caracterem in hæc verba descriptum reperere. *Chrysanthus, & Musonius, qui cum Patribus omnibus in S. prima Oecumenica Synodo consensimus, quamuis corpore translati* *Miraculum in subscribendo.*

Conc. Cartag. 6. c. 3. apud Lipom to. 6.

manu tamen propria nos quoque libello subscripsimus. *Euseb. in. vit. l. 4. c. 40.*

Vicennalia. His Nicææ peractis, Vicennalia sui Principatus Constantinus indixit; quę augustiora Constantij noui Cæsaris creatione sunt reddita.

Perlatis autem Romam Nicænis Decretis, Sylvester, coacto Episcoporum Italicorum Concilio, ea, authoritate Apostolica, confirmauit. *To. 1. Cõcil.*

At Constantinus Ecclesiasticis rebus compositis, ad Politicum statum rectè disponendum animum, adiecit. itaque ad Prouinciales scribẽs, vnumquemque hortatus est ad Aulicorum, ac Magistratuum crimina deferenda, pollicitus seueriùs in eos se animaduersurum, qui gratia apud se plurimùm valerent. *L. 4. de Accus. C. Th.*

Gladiatorũ spectacula vetita Cruentis quoquè Gladiatorum spectaculis hoc eodem anno interdixit. Verùm neque huiusmodi Sanctione, neque altera à Constantio posteà promulgata abrogari omninò potuerunt. quando autem, quaque occasione sublata omninò sint, suo loco dicturi sumus. *Soz. l. 1. c. 8.*

Item Crucis supplicium. Crucis supplicium irrogari in posterùm vetuit, sacrumque hoc Signum suis Imaginibus perpetuò adscribi iussit; quod etiam cusa, quæ adhuc extant, numismata apertè testantur. *Aug. in Matt. Serm. 18.* Ad hunc annum referendas putamus honorificas ad Constanntinum ex vltimis Orbis Regionibus Legationes, de quibus Eu- *Euseb. l. 4. c. 7*

se-

Soz. l. 2. c. 7. sebius memmit, qua occasione Christi Fidem latè propagatam tradunt.

Chri. Ann. 326. Sexto, & Vigesimo huius Sæculi anno Constantinus cum Constantio Filio nouo Cæsare Consulatum inijt: quo, Alexandro vita functo, Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus, eiusdem Ecclesiæ regimen susscepit. id quamuis Alexandrini Populi acclamationibus, Episcoporum omnium, qui ex vniuersa Prouincia conuenerant, suffragijs peractum sit, fieri tamèn absque Arrianorum, quique His sese adiunxerant, offensione, ac tumultu nequaquàm potuit. huic dissidio libenti animo, Arbitrum sese Augustus præbuit, qui, cognita demùm Hæreticorum pertinacia, non causam tantùm Athanasio adiudicauit, sed eos priuilegiis omnibus Ecclesiæ concessis exuendos censuit, graui ea super re edita Sanctione, Hæreticos deindè alios, quos enumerat, longioribus ad eos literis datis, quas Eusebius recitat, postquàm ad resipiscendum hortatus est, acrius insectatur, eorumque Conuentus, non in publicis tantùm ædibus, sed etiam in priuatis vetat. his in literis cum multæ Hæreticorum Sectæ referantur, de Arrianis nulla est mentio: Eusebii hac de re Fides haud dubiè suspecta est, quòd Arrianus ipse esset, quòdque Constantii Arriani Principis tempore hæc

Athanasius Alex. Episc. eligitur.

Atha. orat. 1 cont. Arr. Theod l. 1. c. 26.

L. 1. C. de Haret.

Euseb. in vit. l. 3. c. 62.

scriberet, cuius posteà patrocinio factum est, vt alijs paulatim Sectis antiquatis, Arriana immortales quodammodò vires sumpserit, vt deinceps dicturi sumus.

Hæreticorum audacia per Synodi Decreta, perque editas Sanctiones hoc pacto depressa; Idolorum cultum pius Imperator iterum aggressus abolere instituit. itaquè de eo Eunapius Ethnicus Author, *Fana* inquit, *celebratissima euertebat, Christianorum ædificia extruebat*. hoc tempore Christi Seruatoris Sepulchrum, magnæ molis Templo excitato, exornauit. extant ea de re Constantini literæ ad Macarium Hierosolymæ Episcopum, *quas Author hìc recitat, & ipsius Templi descriptionem adtexit*. Helena tùm Augusti Mater, quamquàm ætate iam grauis, illùc profecta, duo insuper Templa extruxit, alterum ad Christi Cunas apud Bethleem, ad Montem Oliueti alterum. quo etiam tempore tellere altiùs egesta, Crucem Domini inuentam apud Caluarij verticem constat. insigne tùm miraculum accidisse plerique omnes testantur. nam cum tres simul Cruces fuissent effossæ, &, quæ nam ex his Christi Crux esset, ambigeretur, Macarij Episcopi monitu, defuncti hominis cadauer allatum est: iacenti inuentæ Cruces singillatim admotæ, & primam

Templũ ad Christi Sepulchrũ.

Crucis inuentio, & miracula.

Deuit. Phil. i Ædesio.

Ambr in fun. Theo. Paulin. ep.

Seu. l. 2. *mam quidem, atque alteram*, inquit Paulinus, *mors spreuit, postremò Dominicam prodit resurrectio.* Illud quoque miraculo adscribitur, quod eius sæculi Patres testantur: Cyrillus in primis, qui Catec. 10. post Macarij Successorem Hierosolymitanæ Ecclesiæ præfuit: Sacrosanctam, Crucem, quæ Hierosolymis relicta est (pars enim non modica Byzantium translata dicitur) cum ex ea quotidie ad Peregrinorum vota ab Episcopo frusta innumera demerentur, nullum tamèn passam fuisse decrementum. ex Clauis, qui Christum Dominũ Cruce pendentem sustinuerant, duo in Equi frænum efformati dicuntur, ex tertio Augusti Diadema compactum, quartum alij addunt, quem Constantinus, seu Mater Helena Adriatico Mari crebris naufragijs infami mergi iusserit. Tradit Ruffinus, & post eum alij, Helenam, dum Hierosolymis moraretur, per summam animi demissionem sacris inibi Virginibus ad mensam ministrasse, de illius verò in pauperes, sacrasque Ædes munificentia multorum extant encomia; haud ita multò post in Occidentem reuersa, Romæ diem clausit extremum. Porrò cum Matri morienti Constantinum adfuisse Eusebius tradat, ipsum quoquè Romæ tùm fuisse affirmare necesse est. Ad hunc ipsum annum spectat Nicolai Episcopi Mirensis histo-

Greg. Tur. de Glor. mart. c. 6. *Crucis Claui.*

L. 1. c. 8. Theod l. 1. c. 8 Socr. l. 1. c. 13. *Helenæ mors.*

ria

ria quædam ex Methodio, ac aliis *ab Authore hic relata.* Constantini quoque in Idolorum cultum, ac Templa sancitæ Leges, & pro Episcopis, eorumque iudiciis, ac sententus editæ Sanctiones. *L. 1. de Episc. Iud. C. Theod Chri.*

A Matris obitu Constantinus Constantiam Sororem, quæ Licinii Vxor fuerat, ad domestica solatia cariorem habuit. Eam igitur omni ratione demereri, eius gratiam aucupari Arriani student; Eusebius in primis Nicomediensis Antistes, eorum veluti Antesignanus. hac arte Athanasium, qui Arrio præ cæteris aduersabatur, apud Constantinum calumniis incessere, per Sororem instituunt. fuerat Arrio, quòd hæresim abiurasse visus esset, à Nicænis Patribus, non nisi accessu Alexandrinæ Vrbis interdictum: hanc ei mulctam Athanasius, vt remitteret, exorari numquàm potuit. Eusebius igitur frustrà se apud Athanasium agere pro Arrij restitutione cum cerneret; priuatos affectus prætexere, Arrium verè pœnitentem affirmare, Hunc laudibus efferre, Illum falsis criminibus onerare aggreditur: Augusto cum persuasisset, minaces ab Eo literas ad Athanasium extorsit. Is ita rescripsit, vt Eum placatum haud ægrè reddiderit. igitur Eusebius pro certo habens numquam Arrium Alexandriam accessum habiturum, dum ei Eccle- *Ann. 327.* *Atha. Apol. 2.*

siæ

siæ Athanasius præesset, collato cum Meletianis studio, de Sede Eum pellere, dolis omnibus excogitatis, curauit; id tamèn tùm quidem quantumuis enisus, nequaquàm perfecit.

Fides apud Indos & Iberos propagatur.

Ruff. l. 1. c. 9. Socr. l. 1. c. 15 Theod l. 1. c. 23. Sozom l. 2. c. 23.

Hùc spectat de propagatione Fidei apud Indos, atque Iberos duplex, quàm Russinus, & ex eo alij tradunt, Historia. Metropius Tyrius Philosophus Orbis cognoscendi gratia in vlteriorem Indiam nauigio vectus, duos secum Pueros Ædesium, ac Frumentarium duxerat; Is, quemdam in portum cum se recepisset, à Barbaris interfectus est: Pueri non seruati tantùm, sed ad Regem perducti, gratia apud Eum plurimum pollentes, ea in Regia diutiùs substiterunt. Rege demortuo, facta eis copia est Patriam reuisendi, & Ædesius quidem Tyrum reuersus, ibidem substitit: Frumentarius ad Athanasium perductus, spem ei maximam iniecit, si Episcopus cum sacris illùc Ministris mitteretur, fore vt Christi Fides latè eo in Regno propagaretur. Athanasius ipso Frumentario potiorem neminem ratus, illum Episcopum institutum redire in Indiam hortatur: cum annuisset, tanta illi à Deo data est Virtutũ gratia, vt Spiritu, ac Signis Apostolicis, innumerâ Barbarorum multitudinem ad Christi Fidem perduxerit. id se Ruffinus, ipso Ædesio referente, cognouisse testatur.

Per

Mulieris captiuæ laus.

Per idem tempus Christiana Mulier captiua apud Iberos Populos sub Axe Pontico non sobriam modò, atqne honestam ducebat vitam, sed dies noctesque, quod licebat, Deo preces fundebat. admirantibus Barbaris, Christum eo se ritu colere professa est; & tùm quidem non nisi nominis nouitate permoti sunt. accidit autem, vt Captiua seminecem Infantem, precibus ad Deum fusis, suique contactu Cilicij, sanitati restitueret. res ad Reginam delata est, quæ dolore quodam corporis vehementi angebatur, vocata igitur ad se Captiua, eodem Cilicio admoto, ac Christi nomine inuocato, omni statim leuatur cruciatu, Captiuæ dein'monitu Rex, & ipse, diuinam expertus opem, ad Constantinum Legationem adornat, oratque enixè, Dei ad ad se Ministros transmittat, Christi Fidem se cum Gente vniuersa recepturum pollicitus. ea Legatione mirum in modum Augustus lætatus est, haud sanè minus, quam si eam Gentem victricibus armis Romano Imperio adiunxisset, misit igitur, qui sat esse viderentur, sacros Ministros, quorum opera Christiana Religio longè, latèque propata est. hæc verò ex Bacurio Regia apud Iberos stirpe edito (qui, ad Constantinum cum accessisset, Domesticorum ab eo Comes creatus est)

re-

resciſſe ſe idem Ruffinus tradit. porrò illuſtri Comitatus dignitate conſueuiſſe Conſtantinum eos inſignire, qui apud ſuos clari, patrijs cõtemptis ritibus, ad Chriſtianam ſe Religionem contuliſſent, teſtatur in primis Ephiphanius dùm de Ioſepho meminit, qui ex Hebræis ad Chriſtum conuerſus, pari, & ipſe, dignitate à Conſtantino donatus eſt.

Chri. Ann. 318. *Atha. Apol. 2*

Athanaſius, poſt datum, vt diximus, ad Conſtantini literas reſponſum, quietem ad Aduerſarijs nactus, ampliſſimam Alexandrinæ Eccleſiæ Diœceſim perluſtrare inſtituit ea in peregrinatione non Vrbes modò; ac Pagos adiſſe eum conſtat, ſed etiam ad Monachorum ſolitudines penetraſſe. & primùm quidem Pacomium inuiſit, tùm Antonium, de cuius vitæ ſanctimonia, ac rebus geſtis Athanaſius Ipſe copioſè cùm ſcribat, *ex his quædam ab Authore hìc referuntur*. illud in primis, quantum huic Viro in abditis Ægypti Regionibus delitescenti, quiſque detulerit, ad quem Auguſtus ipſe, ac Filij tamquam ad Oraculum ſuppliciter confùgerint, datiſque ad Eum literis Ipſi ſe, ſuamque incolumitatem, ac Romanũ Imperium apud illum commendauerint: quemadmodùm, inſcius omninò literarum cum eſſet, Ethnicos etiam Philoſophos non rarò coarguerit. Hic eſt Ille

Athanaſius Diœceſim luſtrat.

Pacomium & Antoniũ inuiſit

Anto.

Antonius, qui Magni nomen adeptus, Cœnobitarum omnium Parens iurè est appellatus, nisi si quis Restitutorem potiùs dicendum putet, atque Essenorum habendam esse rationem contendat, quos Christianos fuisse perspicuè demonstrauimus. sanè grauioribus persecutionum procellis, quibus non Christiani tantùm simul agentes, sed in penetralibus quoquè abditi, ad necem quærebantur, cæleste illud viuendi genus intermitti oportuit. hoc itaque ab Antonio restitutum longè, latèque copiosissimo deinde fœtu propagatum est. *Hier. op. 3. & 7. Basil. ep. 69. Chry. hom. 8 Mach Athan. ep. ad Diac. Hier. ep. 22.*

Tria genera Monachorum.

Porrò ex Antonij disciplina Alumnos non pietatem modò, sed Christianam quoquè in rebus gerendis prudentiam hausisse, argumento est ex His plurimos ab Athanasio Episcopos fuisse institutos; cuius exemplo Ciuitates quoquè complures ex Cœnobiorum sæptis Episcopos sibi delegerunt. Fuisse autem tùm in Ægypto tria Monachorum genera tradit Hieronymus, Cœnobitas, Anachoretas, & medium inter eos genus Eorum, qui nec solitarij degerent nec sub alicuius veluti Magistri disciplina, Vrbes adirent, ac Pagos, resque inibi vænales haberent, quas, pro sua quisque arte, elaborassent.

Ea Peregrinatione Athanasius Meletianos nequicquàm ad Catholicam com- Chri. Ann. 329.

Atha. communionem traducere conatus, eorum offensionem iterùm incurrit. itaquè post leuiora in eum intentata crimina, illud quoquè maximum mentiti sunt, misisse illū auri vim magnam ad Philumenum quemdam, qui ab Augusto rebellauerat. ab eo itaquè euocatus, ita se insontem probauit, vt ipsius Augusti literas suæ testes innocentiæ secum Alexandriam attulerit. in his Constantinus de improborum hominum moribus, atque factionibus acriùs expostulans, Alexandrinos ad colendam pacem, cum pro imperio cogere posset, paternè hortatur; illud quoquè profitetur nolle se de Episcopis, alijsque Deo sacris Hominibus sententiam ferre; huiusmodi enim cognitionem ad Episcoporum Conuentum spectare. cum autem haud dubiè constaret Eusebium Nicomediensem turbarum Authorem esse præcipuum, grauiter in eum inuectus est, datis ad Nicomedienses literis, quas Theodoretus recitat, in quibus, alium vt sibi Episcopum deposcant, eos magnoperè hortatur.

Nouæ Athanasiū calumniæ.

Constātini religiosa moderatio.

Theod l. 1. c. 20.

L. 1. C. de Cōcub.

Eodem quoquè anno pari studio ad inolita iam vitia tollenda, atque hæreses, intentus, ad Populum rescribens Concubinatum sustulit.

Chri. Ann. 330.

Constantij Cæsaris Quinquennalia dùm celebrarentur, Byzantij Vrbs, quæ & Constantinopolis, & Noua Roma

est

est appellata, Christiano ritu Deo dicatur, eius veluti natalis diei annua quoque celebritate instituta, aucta tùm Vrbs ipsa publicis, priuatisque ædificijs, sacrisque passim ædibus Martyrum memoriæ excitatis, Idolorum nobilioris præsertim artificij Statuæ locis publicis, non tàm cultui, quàm contemptui collocatæ. quatuordecim in ea regiones, quot Romæ erant, distributæ, Capitolium, Cyrcum, Palatium, Fora, aliaque complura ad Romanæ omninò Vrbis æmulationem extructa, aut conuecta sunt, spolijs denique aliarum Vrbium ditata, ac magnificentissimè ornata est.

Constãtinopolis aucta.

L. 2. de ferijs C. The Euseb. in vit. l. 3. c. 52.

L. 1. & 3. de Med. & profess. C. The.

Academia Constãtinopoli instituta.

Quod verò ad eius Vrbis splendorem requiri posse videbatur; Ludi in ea literarij, & scientiarum omnium florentissima Academia instituta est. ipsique Ludimagistri, ac liberalium artium Professores vndique magnis stipendijs accersiti, priuilegijs, atque immunitatibus donati sunt. huiusmodi porrò Regiæ Vrbis decus, Leo posteà cognomento Isauricus impius Imperator abolendum curauit. Constantini quoquè munificentiæ opus fuisse dicitur insignis Bibliotheca, quæ omnis generis libris referta, à Successoribus quoquè aucta centum viginti millium numerum expleuit. Basiliscо autem Imperatore, diro illo incendio absumpta est. Romani tùm Ciues magno

Bibliotheca.

Zosim l. 3. Zon. in basil.

gno numero Byzantium commigrarunt, Senatores in primis, quibus, Principis impensa, extructæ domus, aut quæ iam extructæ erant collatæ sunt. ex horum numero Zotici memoria Ecclesiasticis quoquè tabulis celebratur; Orfanorum Is nutritor appellatur, in quibus cogendis, alendisque ampliſſimum insumpsisse patrimonium dicitur. de Xenodochijs, ac Nosocomijs ibidem tùm primùm, pro ampliſſimæ Vrbis vsu, institutis, eorumque Authoribus, consule, quæ ad Romanum Martyrologium dicta à nobis sunt.

Romani Byzãtiũ commigrant.

Zoticus Orfanorũ nutritor.

Marty rol. Ro. & Menolog. die vlt. Dec.

Hoc loco Author, ne quid consultò dissimulasse, aut per incuriam præterijsse, videatur, Zosimi calumnias, ac mendacia, Cõstantino præclara etiam facinora, atque instituta vitio vertentis, copioſe refellit. vbi multa de tributis, ac vectigalibus, deque eorum exactionibus; de nummis, ac eorum precio eruditè admodum tradit nequaquam à nobis, si instituti operis ratio sineret, prætermittenda, cum ex his, & historiæ lux, & Sanctorum Patrum scriptis accedat.

Sub idem tempus bellum iterùm aduersus Scythas, atque Sauromatas, quos alij Gothos appellant, gessisse Constantinum tradunt, illisque superatis tributum imposuisse. quamquàm Zosimus, ex more, contra Eu-

sebij

sebij, ac aliorum sententiam, maiorem illum exercitus partem amisisse, & fuga sibi consuluisse testatur. ea occasione Istrum, siue Danubium, Fluminum ad Septentrionem maximum, lapideo ponte iunxit, quod anteà Traianus fecerat: antè illum verò, aut post Constantinum, nemo. Bellum huiusmodi (quamquàm Constantinus ipse interfuisse dicitur) Gallicanus Vir Clarissimus administrauit, qui & hoc anno II. Cos. creatus est. Is Augusti quoquè Gener cum esset, raro ad posteros exemplo, remisso postmodùm Aulæ nuncio, facultatibus verò ampliss imis in pauperes, atque Ecclesias distributis, quinque seruorum millibus libertate donatis, ad Tyberina ostia se recepit, ibique peregrinis excipiendis, alijsque pietatis muneribus obeundis, ad Iuliani vsque tempora, operam nauauit; à quo quid demùm perpessus sit, suo loco referemus.

Cõstãtinus Pontẽ Istro imponit. Gallicanus.

Marij rol. Ro. Beda Vsuar. et Ado. 25. Iunij.

His ipsis Cos. datum legitur Constantini ad Valentinum Rescriptũ pro Clericis Catholicis à Nouatianis vexatis.

L 7. de Episc. & Cle. C. Th.

Hoc item anno, quo Quinquennalia Constantij, vt diximus, celebrata sunt, in eius gratiam, Constantia Amita, vt creditum, intercedente, Eusebius Nicomedienfis, ac Theognis Nicææ, Episcopi ab exilio reuocantur.

Niceph. l. 9. c. 21.

Ab

Chri. Ann. 331. *Atha. Apol. 2.*

Ab his sic restitutis nonum bellum Athanasio indictum; collata, vt anteà, à Meletianis opera. Horum accusationibus iterùm fatigatus Augustus, Delmatio Censori (nisi potiùs Cæsari legendum sit; erat enim Augusti Frater, siue ex Fratre Nepos) qui Antiochiæ erat, causæ cognitionem demandauit, quæ tamen sequenti anno peracta est.

Hier. in Chro. de scri pt. Eccl. Opt. l. 30.

Interim, vt habet D. Hieronymus, *Donatus agnoscitur, à quo per Aphricam Donatiani.* haud dubiè hoc anno à Schismaticis Carthaginiensis Pseudoepiscopus creatus, & Maiorino sublectus. inter alios eius libros (multos namque edidit) ille erat, quem de Spiritu Sancto scripsit, vt idem Hieronymus tradit, Arriano dogmati congruens. De Hominis arrogantia, ac fastu, multa apud Optatum, atque Augustinum habentur. & nos posteà dicturi sumus. Huius Assectæ insanum Ductorem, Doctoremque sequuti, eò dementiæ venerunt, vt præpostero Martyrii studio, præcipites seipsos dare aliouè mortis genere afficere glorioſum putauerint. *Donatus agnoscitur.*

Macario Hierosolymorum Episcopo vita functo, Maximus eidem subrogatur.

L. 1. de off. Rect. Prou.

Porrò quod ad Ciuiles res spectat, Constantinus aduersus Vrbium, ac Prouinciarum Rectores, illorumque Admi- *Lex in Præsides.*

administros, seueriſſimam edidit Sanctionem, Prouincialium commodis per omnia consultum volens. ea in Sanctione illud in primis cauetur, *ne sit vanale Iudicis Velum, ne ingressus precio redempti, neuè ipsa Præsidis visio cum precio.* huiusmodi Præsidum Velum quod adeuntibus Illos Populis obtegebatur, quodque famuli, qui Admissionales dicebantur, precio, vt plurimùm retegebant, nihil aliud profectò erat, quam quod nunc Itali vocant (*Portiera*) nec tamen huiſmodi lege, aliòquin seueriſſima, hiſce Ciuium vexationibus ita obuiam itum est, quò minus posteà omni æuo id genus querelæ auditæ sint. sanè sub Constantini Successoribus Christianis Principibus passim Aurhores audire licet referentes precio Vela redempta, Admissionalibus aliquid persolutum.

Velum Præsidum quid.

Calumniæ in Athanasiũ detectæ.

Inter alia quæ Athanasio Meletiani crimina impegerant, illud erat, occisum ab eo Arsenium Ipsius Diaconum posteà Episcopum: ad illud diluendum (cæteris, vt meris nugis, aut patentibus mendaciis neglectis) à Delmatio Antiochiam euocatur; Athanasius rem tantam minimè negligendam ratus ad Arsenium perquirendũ fidos sibi homines destinat (& audierat de illius in Thebaidem secessu primùm, tùm de nauigatione per Nilum, ad eius ostia, indèque Tyrum) illi hominem latebras

Chri. Ann. 332. *Atha. apl. 1*

bras obtegendæ calumniæ quæritantem, demum nacti, Tyri Episcopo fistunt. sic deprehensus fabulam retexit, &, Eusebio suasore, eam se adornasse profitetur.

Chri. Ann. 333. *Atha. Apol. 2*

His peractis, Athanasius certiorem ea de re Augustum reddit, qui re comperta, & Delmatium à causæ cognitione reuocat, & literas ad ipsum Athanasium scribit, quibus bono illum animo esse iubet, Ipsiusque Hostes Meletianos, factiosos homines, acriter insectatur.

Gratulati quoque sunt, præter Augustum, Athanasij innocentiæ alij permulti, ex quorum numero Alexander Episcopus Thessalonicensis, cuius ad se datas eo argumento literas Athanasius idem recitat; Ipse quoque Arsenius pœnitentiæ testes literas promulgauit, tùm Ioannes, qui Meletio successerat, eiusque factionis Princeps habebatur, pœnitentia ductus, redire se cum Athanasio in gratiam velle, & Catholicæ Ecclesiæ communionem amplecti, datis ad Augustum literis, professus est. Augustus, suo ad Ioannem responso, pacis studium in eo laudauit; publici vehiculi copia facta, venire illum ad se iubet, promissam concordiam ratam habiturum.

Chri. Ann. 334.

At non propterea Athanasio quies ab Eusebio, atque Arrianis fuit. Hi namque Augustum optimè tùm qui-

dem de eo sentientem, magico veluti carmine, ita à mentis proposito auocarunt, vt, indicta apud Tyrum Synodo, Reum illum constitutum causam dicere iuberet.

Enimuerò nimiam Constantini facilitatem, ne eius quidem laudator Cæsariensis Eusebius dissimulat, eaque illum de causa à multis reprehensum tradit. à Religione quidem, certè hìc quoque commendandus, quòd Episcopi causam non nisi ab Episcopis cognoscendam existimaruerit. *in vit. l. 4. c. 54.*

Constãtini leges. Quod ad Ciuilem Reipublicæ statum pertinet, constat hoc anno à Constantino leges complures fuisse latas; eam in primis, qua cauetur ne Viduæ, Pupilli, Ægrotantes ad Imperatorem adeundum compellantur: cùm eam, qua militibus in expeditione agentibus Testamenta vtcumque nuncupandi facultas datur. *L. 2. de off. omnium Iud. C. Th.*

Constãtini Tricẽnalia. Quinto, ac trigesimo Sæculi anno appetente, Augusti Tricennalia celebrantur. Chri. Ann. 335.

Concilium Tyri. Conuenerant Tyri Episcopi ad sexaginta, quorum præcipuus Cæsariensis Eusebius. Is Athanasium stantem pro se loqui iussit. rei indignitate motus Potamon Heracleæ Episcopus, qui, vigente persequutione, Christi Confessor oculo orbatus fuerat, vehementius in Eusebium inuectus, quem carceris Socium habuerat, in-

inconstantiam, atque perfidiam ei exprobrans, Religionis Illum transfugam appellauit. pudore fussusus Eusebius Arrianum agere non propterea destitit, ac terrorem Potamoni, & reliquis, qui Athanasio fauebant, per milites incutere. post vetera in Athanasium obiecta crimina, ab eoque iterum diluta, de Ara Meletianorum deturbata, de sacro Calice fracto, de Arsenij, qui se iterum occuluerat, patrata cæde, de corruptis, aut vi adactis testibus, & illegitima ad Episcopatum promotione; admissa est in Concilium Muliercula, quæ præfata, Deo se Virginitatem deuouisse, ea per vim ab Athanasio expoliatam, cum illum hospitio excepisset, composita ad miserationem voce, fictisque lachrymis, testabatur. Timotheus tùm Athanasij Presbyter, qui Ei adstabat, laudabili calliditate, ac si Athanasius Ipse esset, in Mulierculam conuersus; Me ne, inquit, hospitio vmquam excepisti? vtinam, ait illa, non excepissem, amissam nunc Virginitatem non deplorarem; tùm annulum ostentans, fidem dictis adstruere petulantius conabatur: nec finem dicendi feciſſet, nisi adstantium risus, ac voces malè concinnatæ eam calumniæ admonuissent.

Theod l. 1. c. 30.

Mulieris in Athanasiũ calumnia.

Cum autem insidiarum finis nullus esset, Episcopi, qui ex Ægypto illùc

venerant, & seorsim Alexander Thessalonicensis, ad reliquos Synodi Episcopos, tùm ad Dionysium Comitem, qui à Principe cum militibus missus fuerat, contestationis libellos dederunt, conati persuadere, nè Conciliabulum non ritè coactum, non iurè pertractatum vlteriùs duceretur. cum nihil proficere se cernerent, Athanasio authores fuerunt, vt Tyro recederet, Augustum adiret. Athanasij recessum sequuta est sententia in eum lata, qua, communione priuatus, Alexandriam in posterùm ne accederet est inhibitus. Tùm Episcoporum, qui Tyri substiterant, plærique Hierosolymam delati, Augustissimum ibi Templum recèns extructum, Augusto id requirente, solemni ritu dedicarunt. ea occasione nouus ibidem Conuentus habitus, ad quem Arrius, & Euzoius Constantini iussu accesserunt, Fidei formulam, quam per omnia, vt videbatur, Nicænæ Synodi decretis consentientem, exhibuerant, excutiendam oblaturi.

Athanasius damnatur.

Arrius Hierosolymis ad Synod.

At quoniam Arrij hæresis in eo erat, vt, cum Patri coëternum Verbum fateretur, non perindè coæquale, ac *Omousion*, hoc est *consubstantiale*, admitteret, vno verbo creaturam esse doceret, Patrum nonnulli fraudem odorati, oblatam formulam ambiguitate laborare, explicatione

indi-

indigere animaduertentes, suam suspicionem non dissimularunt. verùm, quod Arrius, ac Socius cum Ecclesia se consentire profiterentur, ne argutari viderentur, neuè Augusti tantopere pacis cupidi offensionem subirent, in Arrij receptionem cum alijs consensere.

Atha. de Synod. & Apol. 2 Socr. l. 1. c. 19 Sozo. l. 2 c. 26

Datæ igitur Synodi nomine ad Alexandrinos, reliquosque Ægyptios, omnesque alios per Orbem Episcopos literæ, quibus eos, resipiscentem Arrium à se receptum, ipsi quoque vt reciperent, hortabantur.

Eodem in Hierosolymitano Conuentu, qui veluti quædam Tyrij Conciliabuli appendix fuit, actum quoquè est de Marcelli Ancyrani apud Galatiam Episcopi, atque Asterij Cappadocis causa, de qua, quòd Constantinopoli repetita sit, sequenti anno agendum erit.

Syluester Papa moritur.

Hoc eodem anno iam præterlabente pridiè Kal. Ianuarij Syluester Romanus Pontifex decedit Pontificatus anno XXII. *cuius præclarum Elogium apud Authorem lege.*

Marcus succedit.

Chri. Ann. 336. *Atha. Apol. 2.*

Siluestro post dies non ampliùs quindecim Marcus Prisci Filius Romanus Ciuis subrogatur.

Athanasius Byzantij.

Iam verò Athanasius Byzantium profectus, cum, omni aditu ab Eusebianis intercluso, Augustum alloqui alia ratione haudquaquàm potuisset,

obequitanti obuiam factus, suas vtcùmque de Tyri Conuentu querelas expositit, quibus, vt qui sententiam tulerant accersterentur, impetrauit: sic accersiti haud impigrè venere Eusebij duo, Nicomedienſis, ac Cæsarienſis, Theognis Nicænus, Petrophilus Scythopolitanus, alijque nonnulli: Ipse Cæsarienſis Eusebius de suo hoc, post Hierosolymitanum Conuentum, ad Augustum accessu scribit, deque habita à se de illius laudibus oratione, quam, ad instar Herodiadis, veluti saltatricem Filiam ad Regem demulcendum, ac in suam, Sociorumque sententiam pertrahendum cautè præmisit. Hi ergo iussi legitimam afferre causam, cur Athanasium damnassent, mira calliditate, missis antiquis calumnijs quas, diluere haud ægrè potuisset, quò illum imparatum deprehenderent, inauditum hactenùs crimen obijciunt, iactasse illum, effecturum se, ne frumentum Alexandria Constantinopolim deueheretur, idque se & Episcopos alios complures, testes ad hæc locupletissimos, audiuisse. tùm Augustus, qui nuper, haud absimili ex causa, Sopatrum Philosophum Virũ clarissimum, sibique amicissimum securi percusserat, animo vehementer commotus, exilium Athanasio in Galliam decernit, grauiùs haud dubiè in eum animmaduer-

in vit. l. 4. c. 46. & 48. & Orat. de Cõstant. laud.

aduersurus, nisi, qua erat in Deum Religione, Sacerdotalem in eo dignitatem fuisset reueritus. Is nihilominùs, inuicto animi vigore, in Augustum sic concitatum conuersus, diuinum ei iudicium comminatus est. Constantinum porrò tùm alij, tùm ipse Athanasius purgat à noxa, quòd crimen aliòquin capitale, & quantumuis falsum, à multis tamen, licèt nefariè, testatum, mitiori pœna vltum ierit. laudandum insuper quidam contendunt, in quibus Constantinus Filius in his literis, quas ad Alexandrinos posteà dedit, quòd eo consilio Athanasium relegauerit, vt ab Inimicorum illum insidijs subduceret. concessit autem Athanasius Treuiros Vrbem totius tùm Galliæ, atque Germaniæ nobilissimam, vbi idem Constantinus Filius, Occidentalis Imperij potens, sedem fixit.

Ephip. hær. 68. Thed. l. 1. c. 33. Atha. ad Solitar. & Apol. 2.

Athanasius Treuiris.

Pulso, vt diximus, in exilium Athanasio, ab Eusebianis, Augustus, de Successore ei dando, interpellatus, eorum libidini nequaquam cessit.

Præter alios porrò apud Principem pro Athanasij restitutione Magnus Antonius intercessit, irrito tamèn conatu, quamquam sub vitæ exitum, qui sequenti anno contigit, de eo restituendo, vt Constantinus Filius testatur, cogitauit.

Annus tùm reliquus lætissimus Au-

Constãtij nuptiæ.

gusto fuit, non solùm ob Constantij Filij nuptias, cui Eusebiam, quæ summa, vt ait Zosimus, eruditione præstabat, despondit, verùm etiam ob exceptam ab extremis Indorum Regibus honorificam, insuetis cum muneribus, Legationem. multiplici ergò gaudio cumulatus, fato iam proximus, vt præfagire est visus, amplissimam Filijs hæreditatem partitus est, & Constantino quidèm natu Maximo Auitam Ditionẽ hoc est Septentrionales Regiones. Cõstantio Orientales, medias Constanti regendas tradidit. ferunt Delmatium ex Fratre Nepotem ab eo Cæsarem appellatum, honoris tamèn potiùs causa, quàm regiminis, quo pacto Fratres quoque anteà, nomine tènùs, honestauerat.

Zosim. l. 3. Euseb. in. vit. l. 4. c. 49.

Indorũ ad Constãtinũ Legati.

Constãtinus Filijs Imperiũ legat.

Substiterant Byzantij Eusebiani Arrium à Principe accitum prestolantes Illius iterum fidem exploraturo, quod tanquàm Hæreticum ab Alexandrinis reiectum resciisset, qui ea de causa Episcoporum aliquot Conuentum indixit, in quo tamen Marcellus, quem diximus, Ancyræ apud Galatiam Episcopus, Nicænæ Fidei maximus Propugnator exilio, & ipse, mulctatus est: quo factum, vt nonnulli, inter quos Lucifer Calaritanus Episcopus, & Sulpitius Seuerus Constantinum Arrianæ hæresis insimulauerint, *l.* 2.

Ruff. l. 1. c. 11 Epiph. hær. 23.

Lucif. apud Athan. Sulp. Seuer.

rint, *à qua tamen nota egregiè Illum Author hic vindicat.*

Accesserat interim Arrius Principis iussu, à quo priuatim interrogatus, an omnia, quæ apud Nicæam fuerant definita, ex animo crederet, non affirmauit modò sed iure etiam iurando confirmauit; quarè Augustus nihil præterea quærendum ratus, Illum innoxium, & sinceræ Fidei assertorem existimauit. quo Principis testimonio tuti Eusebiani, communioni eum Catholicæ restituendum edixerunt; proindè postridiè sese Illum producturos affirmarunt, & in Templum ad Sacram Synaxim participandam adducturos; repugnante Alexandro Byzantij Episcopo, & à Deo tantam Ecclesiæ notam deprecante. audijt deprecationem Deus: antequàm enim Templum, quò cum Eusebianis properabat, iniret impius Arrius, aluum exoneraturus, cum ad publicam latrinam diuertisset, intestina ipsa exonerauit, viuendiquè finem fecit. res statim per Vrbem, atque adeò per Orbem vulgata, multos ab impia_, quam sectabantur, Arrij sententia reuocauit, Augustum in Nicænæ Fidei dogmate stabiliuit. Impuri hominis digna elogia ex Nazianzeno, Ambrosio, ac alijs habes.

Arrius Catholicam fidem profitetur.

Arrij mors.

Naz. de lau. Bas. Amb. de fid. ad

Octauo dein' Pontificatus mense Romanum Pontificem Marcum ex-

Marci

Papæ obitus. cessisse ex veriori sententia dicendum putamus. *Grat. l. 1. c. 9*

Quo item anno Constantinus expeditionem aduersus Persas parauit, Legatis tamen de pace acceptis, Eis haud grauatè morem gessit, & ad extruendam Apostolorũ sacram Ædem, qua sepeliretur, animum adiecit. nec suæ tantùm sepulturæ prospexit, sed etiam alienæ; laudabili namque instituto primus Author fuit, vt, ad corpora defunctorum humanda, curandaque, piorum Hominum Collegium constitueretur: & tùm quidem nongenti quinquaginta, coacti frequentissima in Vrbe sunt, quos à publicis muneribus, ac vectigalibus immunes fecit. testatur id Iustinianus eiusdem operis instaurator, & auctor, quod ante illum Anastasius quoque Princeps præstiterat, adiectis insuper ex Fisco redditibus.

Collegiũ ad defunctos humãdos

Religiosum hunc morem, dudùm antiquatum, Patrum nostrorum memoria; Catholicæ passim Ecclesiæ reuocarunt, & sanctioribus legibus, atque institutis munierunt. Societates Mortis appellamus, Christianæ pietatis præclarum documentum.

Constãtini obitus. Alternum, ac trigesimum in Imperio annum agebat Constantinus, ætatis LXV. cum, tribus quos diximus, Filijs superstitibus, optimèque constituta Rep. vitæ exitum sortitus est in Nicome- Chri. Ann. 337. *S. Hie. Chro.*

Ruff. l. 1. c. 11 comedienſi Villa ſuburbana. Byzantium inde tranſlatum cadauer ſumptuoſiſſimè elatum eſt. *Quæ de tanti Principis laudibus Scriptores tradunt hìc Author recenſet, & Iuliani, Patruo ob Chriſti Fidem infenſi, calumnias refellit. tùm de his, qui doctrina, ac ſanctitate, eo imperante, floruerunt, catalogum adnectit: quæ apud illum require.*

Sozo. l. 1. c. vlt. Eutr. l. 10.

Cedr. in Comp. At Conſtantius, legato ſibi Orientis Imperio vix dum potitus, Patruos Conſtantium primò, tùm Annibalianum interfici à militibus curat. mandatum de hoc à Patre habuiſſe quidam tradunt, quòd veneno ab His fuerit appetitus. Delmatius quoque Cæſar Patruelis militari tumultu ſublatus eſt: an eo iubente, incertum. vitæ diſcrimen ſimul adiere Gallus, ac Iulianus; Illum tamen grauis morbus, quo deceſſurus videbatur, Hunc ætas innocua (nam quinquennis tùm erat) periculo exemerunt. Horum deinde educatio Conſtantio maximè cordi fuit. alij quoque Viri Clariſſimi Conſtantij iuſſu interfecti ſunt; in His Optatus Patritij dignitate, tùm quidem maxima, inſignis: tùm Ablauius, qui Prætorio Præfectus, Conſtantis Socer ſuprà priuati modum ſeſe extulerat, cum infimo apud Ægyptum loco natus eſſet.

A Cõſtantio patrate cædes.

Nazianz. Ora. 1 in Iulian.

Romæ interim Synodus Epiſcopo-

Synod. Roma. rum CXVI. Iulio Pontifice, qui Marco succesſerat, indicente, coacta eſt. cogendi cauſa ea dicitur, Catholicorum apud Orientem ab Euſebianis vexatio, Athanaſij, ac aliorum exilium. interfuiſſe huic Synodo legitur Iulius Epiſcopus Mediolanenſis, cui Eccleſiæ hiſce temporibus præfuiſſe conſtat Maternum. ex quo non leuis coniectura oriri videtur, vnum, eundemque binominem fuiſſe Iulium Maternum. porrò cum hoc eodem tempore ad Conſtantinum, ac Conſtantium Augg. Iulij Firmici Materni liber, qui adhuc extat, inſcriptus habeatur; quis vetet affirmari, aurei huius libelli Authorem Iulium Maternum Mediolanenſem Epiſcopum fuiſſe?

Con. to. 1.

Iulius Firmicus Maternus.

Bibl. Sãct. to. 5.

Conſtantinus Fratrum maximus, altero Principatus anno Athanaſium, quem Treuiris exceperat, ac honorificè habuerat, datis ad Alexandrinos literis, Regio diplomate, ſummâ cum omnium gratulatione reſtituit. literas Athanaſius ipſe recitat, in quibus, vt alibi innuimus, non tàm pœnæ loco quàm, vt ab hoſtium inſidijs ſubduceretur, exilium ei iniunctum à Patre, teſtatur ægrè id tuliſſe Conſtantium, qui, de Succeſſore ei dando, ſtatuerat, omnes affirmant. inuidiam nihilominus, & Fraternam veritus offenſionem, ſeſe obijcere non eſt auſus, bello quoque tùm Perſico intentus,

Chri. Ann. 338.

Athanaſius reſtituitur.

Athan. Apol. 2.

Bellũ Perſicum.

alia

alia meditari studia compellitur. Antiochiam ea de causa profectus, graui morbo correptus est, à quo tamen Spiridionis Episcopi virtute eximitur.

Theodl. c. c. 30. Persæ interim Mesopotamiam populati Nisibin obsidebant. ab ea tamẽ recedere, non tàm Ciuium, ac Romanorum militũ quam Iacobi Viri sanctissimi eiusdẽ Vrbis Episcopi virtute, coacti sunt. Is (mirũ dictu) editissima conscensa turri, hostium copijs malè cum precatus esset, extitere illicò Cyiphũ, ac Culicum examina infesta adeò, vt ab his, equi præsertim, atque Elephãti, loco consistere cũ nequirent, aut milites ipsos contererent, aut fuga præcipites dilaberentur. hoc pacto Nisibis obsidione soluta est, stetitque fortissimum Romani Imperij propugnaculum quamdiù. Iacobum Episcopum, aut Iacobi cineres apud se habuit. sæpius etenim posteà Vrbs tentatà ab hostibus, irritos illorum conatus sępius reddidit: donec impius Iulianus tanti Viri gloriæ inuidens, qui miro Ciuium studio, ac Religione colebatur, sacras Reliquias Vrbe efferri iussit: quo præsidio ea spoliata, in hostium statim potestatem venit. Huius alumnus fuit Ephren doctrina, ac sanctitate nequaquam inferior Præceptore.

Nisibis obsidetur.

Obsidionis solutio mira.

Gẽna. de Vir. illust. c. 1.

S. Ephren.

Perutiles hoc anno à Cõstãtino editę Sãctiones habẽtur de ambitu, de famosis libellis, & de occultis delatoribus.

Atha-

Athanasij reditum æquo animo Arriani ferre, Tyrij Conuentus abrogationem concoquere haud poterant, igitur ad Iulium Romanum Pontificē, & ad Occidentis Augustos Legationem adornant (Legati hi fuere, Macarius Presbyter, Martyrius, & Hesychius Diaconi) Tyrij Conuentus acta pro libidine anteà concinnata secum deferunt, nouas insuper coagmentatas in Athanasium calumnias exponunt: eius reditum non sine Populi Alexandrini mœrore, tumultu, ac cæde fuisse: ab Episcopis damnatum restitui sine Episcoporum suffragio nequiuisse: denique frumentum Ægypti, ac Libiæ, Viduis, Constantini Magni liberalitate exhiberi solitum, eum subripuisse. Hæc cum cognouissent Ægypti Episcopi Libiæque, ac Pentapolis, Alexandriæ coacti, Athanasij sibi innocentiam purgandam existimarunt. data itaque ad Iulium Papam, omnesque Occidentis Ecclesias, Synodali epistola, missisque, non Legatis modò, sed etiam testibus, omnia in Athanasium intentata crimina luculentissimè diluerunt. quo factum est, vt Arrianorum Legati ab Augustis non sine ignominiæ pudore reiecti sint. Roma, probationibus tùm quidem, vt aiebant, destituti, clandestinè recesserunt, interpellato antea Iulio de generali Synodo cogenda, ad quam validiora,

Chri. Ann. 339. *Athan. ep. ad solitar. & Apol. 2.*

Nouæ Athanasiũ, calũnia.

Synod. Alexãdria.

pro

pro suæ se causæ defensione allaturos præsidia, affirmabant.

Atha. in vit. Chrysost. & in Matt. Hic ipse annus est, quo Antonius ille Magnus, diuino Spiritu excitatus futuram ab Arrianis cladem præuidit, prædixitque: de qua præter Athanasium, qui illius vitam perscripsit, Chrysostomus quoque, ac alij meminere.

L. 4. quorũ appel. C. The L. 7. de Iudæis C. Th. Sub huius anni Consulibus lata lex ab Auggg. perhibetur in Adulteros seueriſsima, qua, non secus ac Patricidas, Culleo viuos insui sancitum est. porrò cum Adulteri ea in sanctione sacrilegi nominentur, constat tùm matrimonium in Ecclesia pro Sacramento habitum, non, vt apud Ethnicos, pro ciuili tantùm contractu, quod huius temporis Nouatores impudentissimè contendunt.

Lex in adulteros seueriſsima. Matrimoniũ Sacramẽtũ.

Chri. Ann. 340. Hoc pariter anno ad Euagrium Constantinus rescripsit, capitis pœna Iudæis proposita, qui Christianas fœminas vxores ducerent.

Iudæorũ cũ Christianis Matrimonia vetita

Iulius Pontifex, quamquam Arrianorum perspectas habebat fraudes, ne tyrannicè secum agi quererentur, Legatis Romanum Concilium exposcentibus, morem gessit. vocati itaque cum alijs ipsi quoque Eusebiani, atque Athanasius, qui antè alios præstò fuit; ita vt Romæ Aduersarios integro sexquianno expectauerit. cum autem ex Antonij disciplina Cœnobitas nonnullos secum adduxisset, ipsius-

siusque Antonij adhuc superstitis Vitam à se conscriptam, multis tùm Viris, tùm Mulieribus eius instituti desiderium iniecit: quod testatur in primis Hieronymus, aitque Marcellam Matronam nobilissimam omnium primam illud vitæ genus amplexam, alijs deinceps Romanis Fœminis exemplo fuisse

Monachismus Romã inuectus.

Hier. ep. 16.

Hoc eodem anno Constantinopoli diem obijt extremum Alexander eius Vrbis Episcopus annos natus IIC. Huic, ex Ipsius suffragio, Paulus vir eloquens, ac pius subrogatur; eius tamen electionem Constantius Augustus ratam non habuit: proindè, eo abdicato, Nicomedienſem Eusebium substitui curauit. Is, Principis gratiam nactus, quos suæ, hoc est, Arrianæ doctrinæ infensos nosset, deturbare aggressus, Eustathium sanctissimum Antiochenum Episcopum primò adortus est, hac illi calumnia impacta, quasi in Principis Matrem Faustam, quam ob Priuignum Crispum malè audijsse iam diximus, contumelioſus fuisset; adulterij quoque insimulatus improbæ tantùm mulierculæ sacramento, quæ puerum ostentans ex Eustathio eum se suscepisse peieràuit; exilio damnatus cum ingenti, vt ait Athanasius, Presbyterorum, ac Diaconorum turba Traianopolim in Thraciam profectus est. tùm eius Ec-

Socr. l. 2. c. 3.

Soz. l. 3. c. 3.

Atha. ep. ad Solit.

Hier. de sc. eccl. in Eust.

Theo. l. 1. c. 21.

Eustathij exiliũ, & in eũ calũnia.

clesiæ

cleſiæ Clerus Arrianis hominibus repletus eſt: ex quo grege multi deinde Epiſcopi electi Arrianam factionem mirè auxerunt. at de periura Muliercula hæc Theodoretus. cum in morbum grauem æquè, ac diuturnum incidiſſet, diuinam agnoſcens vltionem, crimen faſſa, mercede ſe ab Euſebianis, ad ſtruendam in Euſtathium calumniam, conductam teſtatur: nec tamen iuſiurandum falſum omninò fuiſſe; nam Euſtathium quendam fabrum ærarium pueri Patrem fuiſſe. addunt quidam, Euſtathium ab Euſebio Sabellianæ hæreſis accuſatum: ſed hoc peculiare fuit Arrianis, vt Catholicos Sabellianos dicerent, quaſi, qui conſubſtantialem Patri Filium aſſerunt, Perſonarum diſtinctionem non admittant.

Socr. l. 1. c. 18

Sozom l. 2. c. 17.

Cum iam Arriani palam debacchari, Principe in primis adnitente, cœpiſſent; Orientales Regiones Terræmotu ita concuſſæ ſunt, vt multæ Vrbes ſolo ſtratæ, multæ quoque abſorptæ dicantur.

Hier. in chr.

Oroſ. l. 7. c. 29

Euſebij Cæſariẽſis & Conſtãtini mors.

At Cæſarienſis Euſebius cum Arrianis, & ipſe, conſentiens, haud diù Euſtathij proſcriptione lætatus eſt, eodẽ anno è viuis ſublatus: quo tempore Conſtantinus quoque Conſtantis Fratris ditionem per vim ingreſſus, ab eius militibus interficitur. verùm cum Scriptores reliqui diſcordiarum inter

Socr. l. 3. c. 3.

Fra-

Fratres cauſam Conſtantino tribuant, vnus Zoſimus Fratris Eum fraude interfectum tradit.

Quod verò ad Euſebium ſpectat, Eum Socrates, &, ex recentioribus, Sixtus Senenſis ab Arrianiſmi nota vindicare ſtudent: ſed, vt eſt in prouerbio, *Æthiopem dealbant.* Eius opera recenſet D. Hieronymus, *& ex eo Author hoc loco.* Succeſſorem habuit in Epiſcopatu, quem Diſcipulum habuerat, Acacium eadem pice inquinatum, qui Præceptoris res geſtas ſcriptis mandauit. *De ſcript. Eccli Oroſ. l. 7. c. 29 Atha. Apol. 2.*

Bellũ Perſicum. Inualeſcebat hoc tempore bellum Perſicum, quod cauſati Arriani, ad Romanum Concilium accedere detrectarunt. hac etiam de cauſa Conſtantius Antiochiam redijt, vbi ſequenti quoque anno Imperij ſui quinquennalia celebraturus ſubſtitit: bello interim ab eius Ducibus, qui nouies cum Hoſtibus ſigna contuliſſe dicuntur, parùm fœliciter adminiſtrato.

Per idem tempus in ſepulchrorum violatores lata lex, ſi quæ ex his ſuperſunt, nobis ſeruauit. pars maior, Chriſtianorum quidem zelo, ex Idololatriæ odio (nam Djs Manibus inſcribebantur) magno tamen rei antiquariæ detrimento, ſublata eſt. *L. 1. de Sepul. viol. C. Th.*

Magnificum Antiochiæ Conſtantius, abſoluto Auguſtiſſimo Antiochiæ Templo à Patre inchoato, quod præ operis magnificentia, atque orna- Chri. Ann. 341.

ornatu, *Dominicum Aureum* est appellatum, Encænia in eius dedicatione celebrauit, Quinqennalibus eodem anno agitatis. horum occasione, Conuentu ibidem Episcoporum habito, Arriani inter cætera Athanasio Romæ, vt diximus, degenti, Episcopatum abrogant, Successorem eligunt Gregorium, eumque Alexandriam satellitio stipatum mittunt. elegerant anteà Eusebium, qui Emissenus postea dictus est. sed Is Alexandrinorum odium, qui Athanasio studebant, veritus, honorem illum renuit: factus proinde est Emesæ Episcopus. Hunc multi, Socratem sequuti, inter Sanctos Patres adnumerant, cum multis erroribus fuerit obnoxius: de quo in nostris ad Martyrologium notis scripsisse sit satis. Verùm quod post Gregorium, quem diximus, Georgius, superstite adhuc Athanasio, Alexandrinæ se Ecclesiæ obtruserit, nominis similitudine factũ, vt non tàm Authores ipsi, quàm librarij, alterius nomen pro altero vsurpent: cum præsertim vterque Arrianus, vterque, vt quidam tradunt, Cappadox, vterque pariter violéta ab Alexandrinis morte extinctus sit. huiusmodi autem nominum mutatio cæcas tenebras historiæ offudit, quo de admonitum Lectorem voluimus.

Athan. & Hilar. de Synod. Sozo. l. 3. c. 5.

Templum.

Eusebius Emissenus.

Eo in Conuentu Episcopi ad XC. fuisse dicuntur, quorum XXXVI. dumtaxat

taxat Arriani, reliqui ex Catholicis: qui tamen, vt Gregorii electioni suffragati non sunt, ita Principi, qui cum Arrianis erat, obsistere nequierunt. extant Iulii Pontificis literæ, quibus conqueritur de coacta Antiochiæ Synodo, dum Romana à se indicta absoluta non fuisset, deque suffecto Gregorio, Arrianis dumtaxat Episcopis suffragantibus, & dum Athanasii causa Romæ cognoscenda adhuc penderet. quos diximus Episcopi quantumuis re ipsa Arriani, Arrii tamen nomen malè apud omnes audire cum nossent; veluti probrosum, & ipsi abdicare conati sunt; itaque Arrium se quidem recepisse, Arrii autem Sectatores nequaquam esse: neque enim, aiebant, fas esse Episcopos Presbyterũ sectari. Fidei quoque formulam eisdem in literis, quas Socrates recitat, ambiguis conceptam verbis, promulgarunt, cum tamen Nicænam recudere non dubitauerint. porrò cum Dei Verbum Ipsius imaginem dixissent, vitato interim *consubstantialis* vocabulo, hoc ipsum posteà ex eadem formula deleuerunt, contra quàm anteà iureiurando firmassent: quod Eis exprobrans Athanasius, suo ipsos Anathemate perculsos demonstrat. sed ne tùm quidem satis se suæ Ipsorum inconstantiæ feciſſe rati, alteram, ac deindè alteram, ex

Arrij nomen probrosum. *Socr. l. 2. c. 7.*

Arrianorum inconstãtia. *Atha. de Synod.*

huiusſ-

huiusmodi recusis Formulis, ediderunt: quarum postremam Ipsi Constanti Augusto apud Gallias agenti exhiberi curarunt, quò Illum, vt iam Constantium Fratrem, suis laqueis irretirent. *has si libet, ab Authore hùc allatas, require.* Tùm ne viderentur Nicænæ Synodo aduersari, primùm Canonem à confirmatione decreti de Paschate auspicati sunt. qua ratione, & alios nonnullos Catholico dogmati, ac ritui consentaneos ediderunt, itaque tùm alii, tùm Gratianus, huiusmodi Conuentum vti legitimum, & à Catholicis celebratum agnoscere videtur; in eo quoque per imperitiam lapsus, dum tradit præcipuum illorum Canonum Authorem fuisse Eusebium Palæstinensem, quem superiore anno extinctum demonstrauimus.

Arrianorum fraus.

c. 11. dist. 16.

Primus, post Nicænam Synodum, decretum de Pascha abrogare conatus est Audæus, à quo Audiani, qui postea *Anthropomorphitæ* quoque (quod Deo humanam formam tribuerent) dicti sunt. aduersus Hunc Antiochię coacti Episcopi Canonem, quem diximus, primo loco statuerunt. Is ex Mesopotamia oriundus, moribus quidem fuit incorruptis, zelo tamen nequaquam, vt ait Apostolus, *secundum scientiam*. quo factum est, vt dum disciplinam in Clero pariter, ac Populo exigit seueriorem; multis

Audaiharetis. Anthropomorphitæ.

Hier. in chron. Epiph. har. 70.

con-

contumelijs, atque iniurijs affectus, à Principe quoque, quòd seditiones miſceret, exilio mulctatus, ab Ecclesia desciuerit. tùm Paſcha Iudæorum more celebrari à suis mandat: Deo, vt diximus, humanam formam, ad cuius imaginem homo sit factus, tribuit: tùm, vt philosophari argutius videretur, tenebras, aquam, ignem, ingenita comminiscitur. Scythas tamen, ac Gothos ad Christi Fidem allexit, Episcopos sui dogmatis instituit, Clericos quoque, ac Monachos complures, qui posteà ab Ethnico Rege è Gothia fugati, apud Euphratem, aliasque Christiani Orbis Regiones consedere: ex quibus, qui in Ægyptum posteà migrarunt, magnas turbas aduersus Theophilum Alexandrinum Episcopum excitarunt, vt suo loco referemus. *Theod Hær. fab. l. 4.*

Athanasius Romæ absoluitur.

Iulius interim, diutius expectatis Eusebianis, suorumque Legatorum reditu, cognita demum Athanasij causa, Eum ab intentatis criminibus immunem esse pronunciauit. conuenerant Romæ Episcopi ad L. Hi omnes Iulij sententiæ subscripsere. *Athan. Apol. 2*

Alexãdriam reuertitur.

Athanasius tùm Alexandriã reuersus circulares, quas vocãt, epistolas ad Catholicos omnes Episcopos dedit, quibus Eos de legitima prò se lata sententia, deque Gregorij inuasione, ac profanis moribus redderet certiores. *Socr. l. 2. c. 11 Athan. ep ad Orthod.*

Eadem

Eadem in Romana Synodo Marcelli quoque Ancyrani causa discussa est, idemque, qui aderat, æquè ac Athanasius canonicè absolutus est. *Athan. apol. 2 Epiph. har. 72.* *Marcellus absoluitur.*

Aliæ præterea querelæ auditæ eorum, qui ab eisdem Eusebij Assecłis, aut per vim pulsi, aut communione priuati essent: qui, & ipsi, Episcopi pariter, ac Presbyteri, ad Iulium confugerant.

Qui adhuc Antiochiæ morabantur, Eusebius, ac reliqui ex eius Administris, auditis quæ Romæ gesta erant, tùm demum Elpidium, ac Philoxenum Iulij Legatos demiserunt, ac literas ad Eum dederunt arrogantiæ, & aculeorum plenas, vt ex Iulij responso *ab Authore hìc relato* licet perspicere. *Athan. apol. 2 Socr. l. 2 c. 11 Soz. l. 3. c. 7.*

Ad hunc annum spectat Constantij ad Magdalianum Rescriptum, quo Ethnicorum Sacrificia, omnemque Idololatriam vetat. *L. 2. de Pagã. C. The.* *Lex. in Idololatras.*

Chri. Ann. 342. Duobus Augg. Cos. annus aperitur Catholicæ Ecclesiæ, ob Arrianorum grassationes, funestissimus. Gregorius, quem diximus Athanasio suffectum, Constantini iussu per Præfectum Philagrium militari manu Alexandriam inuectus, Paschali Festo proximè instante, maximæ, Vrbi amplissimæ, calamitatis causa extitit.

In tanta Ecclesiæ perturbatione Iulius Romam iterum Episcopos cogit, & ad Constantem Augustum dat lite- *Synodus Roma.*

ras,

ras, quibus Illum hortatur, vt de cogendo vniuersali Concilio Constantio Fratri accuratè perscribat: quòd demum post quadriennium impetratum est, Synodo Sardicensi celebrata, in qua Gregorius depositus, Athanasius autem restitutus, eique iterum per vim pulso, Georgius subrogatus est, vt suo loco dicturi sumus.

Cæterùm Athanasius Alexandrino tumultu hostium manus cum euasisset, Romam confugit, siue, vt alii tradunt, cum delitescceret, illùc à Iulio euocatus est. *Soz. l. 3. c. 7. Socr. l. 2. c 13 Atha. Apol. ad Constant.*

At Constans Athanasii mores perspectos habens, præcipuo Eum amore, ac reuerentia prosequutus est: quodque magnæ aduersus illum existimationis argumentum fuisse constat, enixè ab eo petiit, vt diuina Oracula in Epitomen redigeret, redacta verò ad se mitteret: Imperii etenim curis distento tantum ocii nequaquam suppetere, vt omnes Sacros Libros, quorum lectionis auidior esset, perlegere alia ratione posset.

Constantis pietas.

Mansit autem Athanasius Romæ amplius triennio, dum ab eodem Constante Mediolanum euocatus est. *Infra ad an. 346.*

Eusebius interim tot malorum Author extinguitur. Paulus à Catholicis Byzantii Ciuibus reuocatur? Ariani Macedonium instituunt. qua de re orta seditio magnæ huic quoque

Vrbi

Vrbi calamitatis causa extitit. hæc cum resciſſet Constantius Hermogeni Duci, qui in Thraciam missus fuerat, mandat Byzantium accedat, Paulum deturbet: Is mandata acerbius dum peragit, Populi impetu incensis ædibus interimitur. Tùm Augustus Antiochia Constantinopolim delatus, Paulo Vrbe eiecto, Vrbem ipsam dimidia congiarij parte mulctauit. quadragies igitur centena medimnorum frumenti millia in dies singulos abstulit, cum alterum tantùm Constantini Magni liberalitate hactenus percipere consueuisset (nisi forte in numeri notam error irrepserit, aut, pro die, mensis, aut annus, legendus sit) ex quo Vrbis amplitudinem licet agnoscere.

Tumultus Byzantij.

Byzantij amplitudo.

Paulus sic deturbarus, cumque eo Episcopi item alij, Iulium Pontificem de rerum statu certiorem factum impulere, vt ad Orientales Ecclesias de Ipsorum restitutione scriberet: quibus Iulij literis Eorum plærique freti, Ecclesias, à quibus pulsi fuerant, repetunt. verùm qui eas occupauerant, Iulij iudicium declinantes, nouum Antiochiæ Conuentum celebrari curant. At Paulus, cuius, ob Regiæ Vrbis Sedem, dignitas spectabilior erat, ad Constantem confugit. Is Pauli, atque Athanasij calamitatem suam existimans, ad Fratrem scripsit,

vti ad se tres saltem Episcopos mitteret de Proscriptorum causa rationem reddituros, missi sunt Narcissus Neroniadis apud Cyliciã, Theodorus Heraclææ Thraciæ Vrbis, Maris Calcedonis, Marcus Aretusæ apud Syriam, Episcopi. Hi, cum accessissent, Athanasium alloqui renuerunt; tùm Fidei decisionem Antiochiæ editam occulentes, aliam, quam Socrates recitat, Augusto exposuerunt. Porrò, vt tradit idem Socrates, dum Orientis, atque Occidentis Ecclesiæ Constantis opera coalituræ viderentur; nouæ hæresis Author Photinus emersit, qui Dei Filium solum hominem affirmabat, de quo in Sardicensi Synodo postea damnato dicturi sumus. *l. 2. c. 15.*

Photini hæresis.

Lex in Sodomitas.

His eisdem Augg. Cos. aduersus nefandum scelus Lex prodijt, obscurioribus verbis, pudoris causa, eleganter concepta. *L. 31. C. ad L. Iul. de Ad. Chri.*

Pauli primi Heremitæ mors.

Sæculi anno XLIII. Paulus Anachoretarum Princeps sortitus est vitæ exitum fœliciſſimum, cum vixisset annos CXIII. eius vitam, præter communem hominum morem sanctissimè actam, D. Hieronymus elegantissimè prosequutus est: testatus non nisi à Magno Antonio vulgata, aut alia ratione sibi satis explorata, perscribere, non ignarus, si secus fecisset, non defuturos Ruffinus, aut id genus alios emunctæ naris homines eius ætatis, contradicendi *Ann. 343.*

cendi etiam ſtudio ſibi aduerſantes. & tamen, quæ tot ſæcula ab eo de Paulo ſcripta comprobarunt, noſtri temporis Hagiomachos Ariſtarchos, eorumque cenſuram, effugere nequiuerunt. Hi; ex Hippocentauro, de quo Hieronymus meminit, argumentum ducentes, totam de Paulo Hiſtoriam ludicrum eſſe commentum affirmare non dubitarunt: & tamen Hieronymus poſtquàm ea, quæ de monſtro audiuerat, narrauit, cautè ſubintulit. *Verùm hæc vtrum Diabolus ad terrendum Eum ſimulauerit, an, vt ſolet Eremus monſtroſorum animalium ferax, iſtam quoque gignat beſtiam, incertum habemus.* iniuria itaque ab Eo rei exigunt fidem, cum Ipſe, dubitare ſe affirmans, fidem ſuam liberare voluiſſe videatur. porrò neque inepta eius dubitatio dicenda, aut riſu, quod Hi faciunt, excipienda, an Africa Monſtrorum ferax huiuſmodi animal gignere potuerit. licet enim quæ de Ixione, atque Centauris Poetæ fabulantur, figmenta eſſe nemo ignoret, & Celſo I.C. de exhibendo Hippocentauro, vana ſponſio habeatur, nec ſanæ mentis quiſquam Centauros à Natura tamquam ſpeciem animantis requirat; huiuſmodi eam tamen aliquandò protuliſſe monſtra, nõ niſi præfractæ peruicaciæ Momi, quales ſunt multi, inficiabuntur.

Hæreticorũ calumnia.

Cẽtaurus Antonio viſus.

Cẽtauri an eſſe poſſint.

L. 97 ff. de ver. oblig.

Plin. l. 7. c. 3.

neque enim Plinio de rebus sua ætate Romæ visis scribenti iure quis fidem abroget: at Ille Centaurum Claudio ex Ægypto allatũ melle; ne putresceret, seruatum, vidit, & vidisse cum eo alios innumeros par est credere. mitto que de alio huiusmodi monstro in Thessalia nato Claudium Ipsum scribere testatur. ex melle item marinum hominem ex vltima Mauritania in Hispaniam allatum tradit integræ fidei Author Alexander ab Alexandro, qui & de Tritonibus suo sæculo visis, & captis humano corpore pube tenus, multa addit. quod si in Mari monstra huiusmodi gigni possunt, facilius hæc in terrestribus animatibus possunt accidere ex hominum, ac iumentorum admixtione. frequens quoque apud antiquos etiam historicos mentio de Faunis, qui tamen, vt Plinius testatur, præter effigiem, humani moris habent nihil. vtcumque se res habeat, potuisse ea, quæ diximus, quæque insuper Hieronymus narrat, Antonio Paulum sine duce quærenti, Dei miraculo accidisse, nemo, vt opinor, negabit. de his itaque satis. at ne quis miretur, cur de Antonij cum Paulo congressu Athanasius nequaquam meminerit; repetendum memoria est quod supra indicauimus, scripsisse Athanasium Antonij vitam dum ille viueret, ante biennium verò quam hæc acciderint.

Plin. l. 7. c. 3.

Homo marinus.

Gen. Dier. l. 3. c. 8.

Tritones, & Fauni

porrò

porrò ad scriptam ab Athanasio Antonij vitam, vitæ exitum, multis omissis, ab alio quopiam fuisse additum, suspicamur. Iam quæ ad Pauli, quæque ad Antonij res gestas spectant, ex Ipsis Hieronymo, atque Athanasio petenda relinquimus.

Sapores interim Persarũ Rex Constantio infensus, Christianos quoque odio prosequi impensius cœpit: cum præsertim eorum nnmerũ apud Persi dem ita excreuisse constaret; vt iam Conuentus ibidem agere, Templa extrue re, sacros Ministros instituere, Populum palam docere non dubitarent, Initio Simeon Seleucię, & Ctesiphontis primariarum Vrbium Antistes apud Saporem à Magis delatus est, quod, Constantio amicus, res ei Persarum, proderet. Rex ante quàm ferro sæuire inciperet, grauissima Christianis tributa imposuit, eo consilio, vt ad paupertatem redacti, aut infirmiores ad res nouandas fierent, aut Fidem abnegarent. ad hæc sacræ supellectilis direptionem, demum vitæ dispendium passi sunt. Simeonis in primis constantia enituit: alij præterea centum, maiori ex parte Sacrorum Ministri, securi percussi sunt. & hæc quidem hoc anno in Persida sunt peracta. quæ ad alios deinceps annos spectant suo queque loco referentur.

Sozom l. 2. c. 8

Sapo-ris persecutio in Persida.

Sub idem tempus Neocæsarea, *Terræ-motus.*

apud Pontum terræmotu subuersa est, superstite tantùm maiore Templo cum Episcopi ædibus, Ipsoque Episcopo, ac eius Administris. eo in Templo Magni Gregorij cognomēto Taumathurgi sacræ Reliquiæ adseruabantur.

Macedonius, quem Byzantij Sedem inuasisse diximus, alijque cum eo ex Eusebij disciplina Episcopi, vt, dum ab Arriana hæresi se alienos simulant, eam sensim Ecclesijs, Occidentis in primis, insinuēt; nouo Antiochiæ Conuentu habito, dolo malo, nouam Fidei prolixiorem Formam elaboratam proferunt: sed quò longioribus ambagibus puritatem Fidei circumuoluunt, perque ancipites viarum anfractus veritatem circumducunt; eò se magis suspectos demonstrant nam quæ necessitas cogebat, quæ Nicææ stabilita iam fuerant, retractare? Romana itaque, ac reliquæ ad Occidentem Ecclesiæ, ea inspecta, quòd verborum inuolucris concepta esset, quòdque *consubstantialis* vocabulum consultò videretur omissum; si non vt adulterinam, aut erroneam, vt inanem certè, ac superuacaneam reijciendam existimarunt. tùm qui eam concinnauerant, vt Orientalibus saltem Ecclesijs imponerent, Græci sermonis imperitia factum, vt Latini eam reijcerent, euulgarunt. Chri. Ann. 344.

Persequutio in Persidem instaurata.

Sed instaurata à Sapore persequutio in Persidem nos reuocat. Is sub *Soz. l. 2. c. 10*

ipsum

ipsum huius anni Paschale Festum, nouum Edictum promulgauit, quo omnibus, qui Christi Fidem profiterentur, capitis pœna imponebatur. ea de causa innumeri propè Christiani mactati, inter quos, Rege inscio, Azades Eunuchus Ei longe carissimus, cuius neci mirè indoluit: eoque factum est, vt à promiscua Fidelium cæde cessari præceperit, temperato edicto, vt ad solos inuisæ Religionis Doctores pœna imposita pertineret. eo nomine, non Episcopi modò, ac Presbyteri, sed Monachi quoque, ac Deo dicatæ Virgines magno numero periere: quorum licèt acta perijsse videantur, si quæ ad Græcos peruenere, apud Metaphrastem leguntur.

20. Febr. 19. Mart. 8. April. 2. & 3. Nou. de Ciu. Dei. l. 18. c. 52.

Cœterùm cum bellum Persicum ad Iuliani, ac Iouiani tempora peruenerit; eò vsque persequutionem quoque viguisse par est credere. imò S. Augustinus tradit, ne suis quidem temporibus omninò quieuisse.

Chri. Ann. 345.

Constantius cui perenne cum Persis bellum fuit, anno Principatus nono, infestiùs lacessitus, Antiochia profectus, Nisibim finitimam Vrbem peruenit: quod constat ex eius ad Nemesianum Rescripto. quid porrò gesserit nõ tum modò, sed toto diuturni illius belli tempore per Duces plurimùm administrati, mirum apud Scriptores silentium: haud dubiè ne Romani Imperij

Constãtius aduersus Persas

l. 10. dedecus posteris proderent: Eutropius etenim hæc summatim tradit, Constantium à Persis multa, & grauia perpessum, amissis Vrbibus, cæsis exercitibus, vix vnum Ei cum Sapore prosperum prælium fuisse: nimirum, vt pietate, ita militari, à Patre, virtute degenerauit, prosperâ tamen belli aleam tum expertus cum Tyrannos, post Fratris Constantis obitum, profligauit, vt suo loco referemus.

Hoc tempore Gallus, ac Iulianus, cum adoleuissent, Isque vigesimum, Hic decimum tertium, siue, vt alij tradunt, decimum sextum agerent ætatis annum, ne quid moliri in Imperium possent, Constantio præsertim sobole carente, in Clericorum Ordinem cooptati sunt: quin & ambo Martyribus Templa, quisque suum, quasi ad æmulationem extrui curarunt. pro miraculo narrat Nazianzenus, Galli Templum fœliciter perfectum, probante Deo quasi Abelis Sacrificium, Iuliani contrà, impensa abundè licèt suppetente, segniter processisse; ità, vt subsidens terra, collapsi parietes ingratum Deo munus, quasi Caim Sacrificium testarentur. cæterùm Iulianus dum literis ab Ethnicis præceptoribus imbuitur, impietatem simul hausit, quam callidè diutiùs pressam, Principatum demum adeptus, Christianæ Religionis malo, prodidit.

Greg. Naz. Orat. 1. in Iulia.

Gallus & Iulianus Clerici fiunt.

Ter-

Chri. Ann. 346.

Tertio suo Consulatu Constans, Mediolani cum esset, Athanasium Romæ iam ampliùs triennio commorantem accersit. de Illius porrò Mediolanum accessu certiores facti Aduersarij, Illum apud Constantium in suspicionem vocarunt, quasi non alio consilio eam profectionem instituisset, nisi vt Fratrem in Fratrem armaret, à qua Ipse se calumnia vindicat in ea, quam ad Constantium Ipsum inscripsit, Apologia, in qua suæ innocentiæ testes nominat complures, qui tùm apud Constantem erant, Episcopos. expostulasse Eum nihilominus de Arrianorum fraudibus, & Orientalis naufragium Ecclesiæ deploraſſe, disertè testatur Theodoretus.

Athanasius à Constante accersitus.

Theod l. 2. c. 5

Hoc tempore interpellatum quoque Constantem à Iulij Pontificis Legatis de vniuersali Concilio indicendo, literas ea de re ad Constantium Fratrem dedisse constat, & Coloniæ Agrippinæ coactam Synodum eiusdem Vrbis Episcopum Euphratem Christo diuinitatem adimentem de gradu deiecisse. hæc autem vix possunt consistere cum his, quæ post sequentem annum de Eo ab Athanasio traduntur, cum à Sardicensi Concilio Legatus ad Constantium missus est. itaque huius Concilij Acta imposturæ suspicione nequaquam carent.

To. 1. Conc.

L. 3. et 4. de

Duplex hoc anno Sanctio (quod

Leges de Te-

plis Idolorum.

ad rem Ecclesiasticam attinet) edita reperitur, altera, qua Idolorum Templa, quæ extra Vrbem essent, dirui vetita, altera mox, qua Ethnicis interdictum, ne illa aperirent, ne dum Sacra in eis peragerent. extat ea de re Symmachi apud Ambrosium querela ad Valentinianum Iuniorem; vbi *meritò*, inquit, *Constanti Imperium fuit haudquaquam diuturnum.* at cur diuturnũ Constantio eiusdem Legis cum Fratre Authori? cur diuturnum Constantino Patri, quem potiùs nouæ Religionis Authorẽ vlcisci læsa numina debuissẽt? cur contrà Iuliano minus diuturnum?

Paga. C. The.

Synod. Sardicensis.

Ruffino, atque Eusebio Coss. Augustis vndecimum in Imperio annum agentibus, celebrata est Synodus Oecumenica Sardicensis. fuit autem Sardica nobilis tùm Vrbs Cõstantini Magni aliquandiù sedes, Illyricum inter, ac Thraciam, inter Orientale, atque Occidentale Imperium media, qua præcipuè de causa Concilium inibi coactum fuisse par est credere: Episcoporũ in ea numerus diuersus proditur. à Theodoreto CCL. à Sozomeno Occidentalium tantùm CCC. Orientalium LXXVI. cui adstipulatur Socrates ex testificatione, vt ait, Athanasij, ac Sabini. Athanasius autem Ipse, qui interfuit, alicubi ad CCC. alibi supra CCC. fuisse dicit. cum verò, qui ex singulis Prouincijs adfuerunt, recensset;

Chri. Ann. 347.

Theod l. 2. c. 7

Soz. l. 3 c. 11

Socr. l. 2. c. 16

Episcoporum in ea numerus.

Atha. Apol. 2 & ep. ad solit.

set; hi non nisi CCLXXXI. numerum conficiunt. ait enim ex Italia fuisse Episcopos LXXVIII. è Canalio Italiæ XIV. ex Gallia XXXIV. ex Africa XXXVI. ex Ægypto XCII. & Cypro XII ex Palæstina XV. cæterùm cum ex Hispania quoque fuisse constet, ex qua Osius, & præter Palæstinos alios quoque Orientales complures accessisse; necesse est affirmare ab Athanasio, siue ab his, qui illum descripserunt multos fuisse præteritos, sicque veriorem esse illorum sententiam, quæ ex Sabini, qui tùm extabat de Synodis Commentario, atque ex sinceris Athanasij tùm scriptis propè CCCC fuisse tradunt cum præsertim Ipse Athanasius alibi multas alias Prouincias enumeret. Ridiculus verò Gratianus, qui LX. tantũ fuisse putat, quòd eorum tantũ nomina legerit, qui hodiè post huius Concilij Canones descripti reperiuntur,

Dist. 16. *c.* 11.

Missi eò Legati a Iulio fuere Archidamus, ac Philoxenus Romani Presbyteri, vt tradit Athanasius, cui potiùs, quàm Gratiano assentiendum, qui alios, eosque Episcopos comminiscitur, Capuanum, Beneuentanum, ac Neapolitanum, quod si quis, præter duos Presbyteros, Episcopus Iulij vices præstitit, Is Osius fuit, qui primas partes, eo in Conuentu egit.

Adfuere quoque, nec sine Satellitio, Athanasij Aduersarij, Eum, vt

Atha. apol. 2.

videbantur, accusaturi; verùm, ne tentato quidem iudicio, licèt ab Osio ad hoc magnoperè hortati, fugam arripuerunt. extant ea de re Osij ad Constantium literæ, quibus testatur eos se ad accusationem instituendam prouocasse. Itaque, his dilapsis, Athanasius causam dicere Ipse iussus, suarum calamitatum historiam cum recitasset, omnium suffragijs insons pronunciatur. dantur insuper ad præcipuas, Ægypti in primis, Ecclesias epistolæ Synodales, quibus & restitutum Athanasium, & depositum vicissim Gregorium, aliosque, qui ei inuadendæ Alexandrinæ Ecclesiæ Authores fuerant, significabatur.

& ep. ad Solitar.

Athanasius absoluitur.

Marcelli tùm Ancyrani Episcopi, & Asclepæ Episcopi Gazæ discussa est causa, amboque absoluti, suisque Ecclesijs, depositis qui eas inuaserant, restituti sunt. Cæterùm Marcellus, rũ innocens habitus, posteà deprauatus, & ab Ipso Athanasio vti Sabellianus damnatus, videri potuit etiam tùm nocens, cum absolutus est; quo factum, vt Arriani in Sardicenses Patres iure inuehi viderentur; neque Arriani tantùm, sed ex Catholicis etiam nonnulli.

Epiph. har. 72. Basil. ep. 51. Sever. l. 2.

Facta insuper dicẽdi copia est Arrianorũ accusatoribus, qui magno numero fuere. Hi varijs, ab his, calamitatibus affecti, contumelias, exilia, carceres, cædes Propinquorum referebant, osten-

ostentabant quoque catenas, & dira vincula, quibus adstricti etiam Episcopi fuerant. accusati, adesse renuentes, deiecti gradu, Catholicæ quoque communionis expertes facti. Certior deindè redditus est Iulius pontifex de his omnibus, quæ à Synodo facta essent, peculiaribus ad Eum literis datis, præter eas, quas ad omnes Orbis Ecclesias dedere, *quas, vna cum alijs ad Alexandrinos missis, ab Authore hìc recitatas habes*.

Atha. ad Antioc. Porro nullam fidei Formulam à Patribus Sardicensibus editam, cum nefas putauerint aliquid ad Nicænam addere, tradit disertè Athanasius, quicquid Theodoretus, & Sozomenus tradant.

Theod l. 2. c. 9 *Soz. l. 3. c. 11* Ex Hilario præterea constat Constantium Augustum, literis ad Sardicensem Synodum datis, catholicum probasse dogma, & Dei Filium eiusdem cum Patre substantiæ fassum fuisse.

Hilar. in Cõstant. Sed & Epiphanius author est eadem in Synodo Photinum, quem diximus, damnatum. De Paulo Episcopo Byzantij, quòd, insidias Arrianorum veritus, accedere Sardicam noluerit, nihil deliberatum reperitur.

Epiph. har. 71. Postquàm verò diuersorum Antistitum causæ pertractatæ in Concilio sunt; ventum est ad ea, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam formandam spectare

Theod l. 1. c. 5

ctare videbantur. sanciti itaque Canones sunt XXI.

Arrianorum fraus.

Arriani, quos diximus Sardica aufugisse, Conciliabulo ex suis collecto, nouam Fidei Formulam, aliaque multa à Catholica Fide aliena statuentes, ipsius Sardicensis Concilij nomine vulgarunt. additæ sunt mendacio vires Constantis postmodùm sequuta morte; ex eaque impunè iam Constantio Arrianis patrocinante. igitur Arrianorum fraude effectum, vt Catholici præsertim Orientis, cum de Conciliabulo cognouissent, ipsum quoque legitimum Sardicense Concilium, quasi ab Arrianis indictum reijcerent; qui verò de Conciliabulo nihil resciissent, eius decretis, quasi à legitimo Sardicensi Concilio editis, acquiscerent. *S. Aug ep. 163 Socr. l. 2. c. 16 Soz. l. 3. c. 10*

Arriani Romanũ Pontificem damnant.

Porrò Conciliabuli Authores intentatum hactenùs facinus edidere, cum alijs etenim Episcopis, à quibus damnati ipsi fuerant, Romanum quoque Pontificem Iulium damnarunt. *Hilar. de Synod.*

Semiarriani.

Quo verò ad nouam, quam diximus, quartùm iam, aut quintùm recusam Fidei formulam, ex Hilario eam habes, iuxtà quam illius Authores appellati sunt Semiarriani. *Epiph. hær. 37.*

Chri. Ann. 348.

Instituta à Patribus Sardicensibus Legatio ad Constantium Antiochiæ agentem, sequenti anno eò peruenit. Legationis summa hæc erat, liceret *Atha. ep. ad*

per

Solit. per Augustum Episcopis, qui ab Ar-
Socr. l. rianis exacti, à Concilio restituti fue-
2. c. 18 rant, suam cuique Ecclesiam repetere.
Theod Legati fuere Vincentius Episcopus
l. 2. c. 8 Capuanus, & Euphrates Coloniæ Agrippinæ, de quo superiùs meminimus. His Antiochiæ commorantibus, Stephanus eius Vrbis Episcopus Arrianus, quò illorum famam denigraret, ad consuetas recurrit artes: Meretriculam in Legatorum ædes noctu immittit, illa à Iuuene quopiam accersiri se putans, vbi ad Euphratis lectum deducta, effœtum Senem, eumque dormientem conspicata est; deluſam se existimans, inclamare cæpit; monentibus qui eam deduxerant, vt taceret, & falsum crimen Euphrati concinnaret, substitit dùm dies illucesceret. tùm prodita res in iudicium adducitur, fraus detegitur, eius Author Stephanus proditur: qua per Constantium cognita, & Stephanum auersatus gradu deiecit, & æquior in Legatos, & Concilium factus, Proscriptos, Concilij decreto restitutos, recipi iussit; quāquàm Athanasius non nisi decem post menses, cæso tum Gregorio, receptus est. Constans porrò ad Concilij Legatos Salianum Prætorem adiecit, per quem Constantium Fratrem non hortatus modo est, vt Concilij Patribus morem gereret, sed minas etiam addidisse Theodoretus scri-

Constãtis legatio ad fratrem

Theod l. 2. c. 8

Minaces eusdē litere.

scribit. Socrates insuper minaces Cōstantis literas recitat, quibus venturum se, & Athanasium, ac Paulum, Fratre inuito, restituturum profitetur.

Synod. Carthag.

Hoc eodem anno, nisi fortè (quod dubium) sequenti, habitâ est Synodus Carthaginiensis occasione aduentus Pauli, ac Maccarij Constantis Legatorum, quibus datum in mandatis fuit à Religioso Principe, vt Donatistas diuturno diuisos schismate, Catholicæ Ecclesiæ vniendos curarent, tùm vt Ecclesias, ac pauperes pecunia, ac donarijs iuuarent. tradit Optatus eò Donati arrogantiam processisse, vt, cum anteà non in Episcopos modò Catholicos, sed in ipsos quoque Magistratus, ac Præfectos contumelioſus fuisset, tùm in Augusti Legatos, atque adeò Augustum Ipsum, fuerit obloquutus, Ipsius vero munificentiam ita aspernatùm, vt vetuerit suæ cōmunionis homines pecuniam, veluti à peccatore profectam, accipere. solitum porrò Donatum plus quàm humana superbia, non tantùm permittere, sed iubere, vt per suum Ipsius nomen iurarent Sectatores, Idem Author scribit, apud quem multa prætereà alia per intolerandam Tyrannidem, aut etiā dementiam perpetrata leguntur. cæterùm quod Legatis aduersus seditiosos Donatistas arma capere, supplicium de aliquibus su-

Constātis pietas.

Donati superbia

Optat. Mile. l. 3. in Parmen.

s. Aug. ep. 163 Gennad. de Vir. illustr. c. 4. sumere, eorum Episcopos, qui vnioni restitissent, exturbare opus fuerit, huiusmodi animaduersionem inter Ecclesiæ persecutiones, Seditiosos supplicio affectos inter Martyres adnumerare non dubitarunt.

To. I. Conc. Sublatis itaque seditionum Authoribus, Concilium Carthagine, Grato eius Vrbis Catholico Episcopo indicente, cogitur; & prima quidem actione anabaptismus à Donatistis peragi solitus, decreto sublatus est.

Concilium Carthag.

Rebaptizãdi vsus sublatus.

Auulsa huiusmodi altiùs iam fixa radice, quæ Donatistarum cultura infœlicibus aucta fruticibus vniuersam propè Africanam Ecclesiam occupauerat, ad alias æquè noxias euellendas plantas Concilij Patres animum adiecere. conscripti itaque Canones omnino XIV. inter quos ille. *Martyrum dignitatem nemo profanus infamet.* etenim Donatus, vt alibi docuimus, ita suos dementauerat, vt martyrij gloriam voluntaria etiam morte, ac præcipitijs stultissimè quærerent. Constat autem primam Carthaginiensem Synodum hanc nominari, quod antiquior non extet, non autem quod nulla antè eam fuerit Carthagine celebrata, cum multæ hæ fuerint, vt de Cypriani temporibus inprimis demonstrauimus. illud quoque monemus, apud Optatum de his, quæ iam diximus, scribentem, perperàm

Donatistarũ stultitia.

Con-

Constantinum pro Constante legi.

Christi. Ann. 349. *Atha. ep. ad*

Decimus à legatione, quam diximus, ad Constantium missa iam mensis excesserat; cum Gregorius Alexandrinæ inuasor Ecclesiæ, à Populo, qui Athanasij desiderium ferre amplius non poterat, interimitur. tùm demum Constantius de reditu ad Athanasium scripsit, quem, quia cunctabatur, iterum, ac tertiò interpellauit. testatur hoc Athanasius ipse, qui datas ad se literas recitat, *ex quo Author hùc allatas desumpsit.* erat tùm Athanasius Aquileiæ, certè dum primas accepit; in Galliam indè, Constantis accitu profectus est; mox antequam in Ægyptum remearet, Romam repetijt: recedentem Iulius Pontifex gratulatorijs ad Alexandrinos literis prosequutus est. Antequàm Ægyptum attingeret, Antiochiam ad Cæsarem accessit, qui Illum benignè excipere visus est: rogatus autem ab Athanasio, vt calumniatores in posterum, ipso absente, audire nollet, id præstiturum se iureiurando spopondit. meminit quoque huius congressus, ac sponsionis Osius Cordubensis in suis ad eundem Constantium literis: meminit & Lucifer Calaritanus, qui in literis quoque ad Alexandrinos datis Constantium eodē se sacramento adegisse testatur. Cum Athanasio alii quoque Episcopi restituti, Paulus Constantinopoli, Marcellus

Athanasius reuocatur.

Atha. Ap. 2. Socr. l. 2. c. 18

Apud Atha. ep. ad Solit. Luc. Calar. l. 1.

Socr. l. 2. c. 18 cellus Ancyræ, Asclepas Gazæ, Lucius Hadrianopoli.

Athanasius porrò Antiochia Hierosolymam petiturus, Laodicea pertransiit, vsus ibi Apollinaris familiaritate insignis doctrina Viri, qui Filium cognominem pari eruditione ornatum habuit; ambò posteà ab Ecclesia recedentes, nouæ hæresis Authores fuere, asserentes Christi corpus animam caruisse, à Diuino tamen Verbo animatum. Trinitatem verò ex Magno, Maiori, ac Maximo ita constare, vt Spiritus sanctus quasi Splendor, Filius Radius, Sol Parer dici posset; sed hæc longè posteà acciderunt, cum de his iterum sermo nobis erit.

Apollinariũ hæresis

Epiph. hæres. 97.

L. 9. de Episc. et Cler.

Hoc eodem anno pro immunitate Clericorum, in Raptores Virginum, & iterum in Violatores Sepulchrorum editæ Sanctiones prodiere.

L. 2. de rapt. Virg.

Chri. Ann. 350. Aur. Vict. Socr. l. 2. c. 9. Soz. l. 4. c. 1. Zosim l. 2. Atha. Ap. ad Const.

Exacto Principatus anno XIII. ætatis XXVII. Constans Augustus, dum in Galliis esset, Magnentii Ducis fraude interimitur, Magnentius ipse Augustus à militibus appellatur; Is Decentium Fratrem Cæsarem statim dixit. *fuisse ambos Christianos ex numismatis hìc redditis Author demonstrat; docetque tùm primùm Christianos milites tanto se scelere polluisse.* Athanasius non dubitat Constantem Martyrem appellare.

Constãtis cædes Magnentius Imp. Decentius Cæsar.

Audita Constantis morte, Romæ Nepo-

Nepotianus & Vetranio Impp.

Nepotianus ex Sorore Eutropia Constantini Magni Nepos, apud Pannoniam autem Vetranio Augusti nomen arripuerunt. Cæterùm Nepotianus per Anicetum Romæ Præfectum à Magnentio constitutum, vigesimo exinde die trucidatur, cũque Eo Eutropia Mater, alijque ex necessarijs, apud quos Athanasius hospitio fuerat exceptus. Hierosolymam Is iam accesserat, vbi Prouincialium Episcoporum Synodo à Maximo congregata, Athanasius ab Illis quoque recipitur, qui Eius anteà damnationi subscripsissent.

Synod. Hierosoly. mis.

Legati interim à Magnentio missi, antequam ad Constantium peruenirẽt Alexandriam appulerunt. Hi fuere Seruatius Tungrensis, & Maximus Treuirẽsis Episcopi, quibus additi sunt Comites duo, Clemens, & Valens. Episcopi, quos beneficos Athanasius expertus fuerat, hospitio ab eo excepti sunt. nouæ hinc in Eum calũniæ, quasi per Illos ad Magnentium Tyrannum aduersus Constantium scripsisset.

Noua belli mole à Tyrannis pressus Constantius, Persico adhuc vigente, aliqua se ex parte exoneraturus, spe prolis destitutus, Constantinam Sororem, quam multi Constantiã vocant, Gallo Patrueli in matrimonium tradit, Eumque mox Cæsarem dicit. eadem quoque ex causa Iuliano, quem

Chri. Ann. 351.

Gallus Cæsar.

quem sub disciplina diutiùs continuerat, habenas laxiores permittit.

Suid. verb. Augustale. Chry. cont. Gent.

Constantio in Occidentem aduersus Magnentium profecto, Gallus Antiochiæ relictus, celeberrimum in Suburbio nemus, quod Daphne dicebatur, Templumque Apollinis habebat magnificentissimum, translatis illùc Babilæ Martyris sacris reliquiis, Christianæ Religionis cultui dicauit, quod anteà, abolito veteri nomine, Magnus quoque Constantinus cogitauerat, neuter tamen, quod diximus, prophanum Templũ dirui iussit, quòd hoc non sine maximo tumultu peragi posse in Vrbe frequentissima videretur. verùm de Babilæ, à quo Idolum Apollinis mutum est redditum, quòd Iuliani id tempore acciderit, tunc erit referendum.

Iulianus Magos consulit.

Theod l. 3. c. 3

At verò Iulianus Imperii cupiditate exardescere cum cæpisset, Ariolos, ac Magos, vndique accersitos consulit, voti ne compos futurus esset. tradit Theodoretus, cum Præstigiatore aliquandò Dæmonum inuocationi cum adesset, ac deformes Lemures adstitissent, metu perculsum Iulianum, Cruce frontem, ex more, signasse, Lemures tùm omnes aufugisse: Magus hærentem Iulianum conspicatus, Crucis virtute nequaquàm id factum dixit, sed quòd hi Ipsius leuitatem indignabundi auersarentur, cæterùm

Gre-

Gregorij quoque Nazianzeni, atque Eunapij Ethnici Authoris testimonio exploratum habemus huiusmodi Eum hominum consuetudine vsum. sed de his alibi dicendum erit. *In Iul. or. 1. de vit. Philos.*

Constantius porrò exercitum in Tyrannos ducturus, milites, quasi alter Gedeon, qui aqua probatos voluit, quos in hostes ducturus esset; qui Baptismo initiati nõ essent, baptizari curauit, ii qui detrectassent, Eos militia mouit. Hi postea ità exauctorati, quòd non amplius milites, ex Iuris Peritorum vsu *Pagani* dicti: quo nomine omnes deinceps, qui Christiani non essent, vt Pagani dicerentur, vsu receptum est. *Gentiles* porrò à Iudæis tantùm dici consueuere, quòd reliquæ omnes Gentes, ab Ipsis, Idolorum essent cultores. *Ethnici* verò ijdem, græco vocabulo dicuntur. Romanis tamen *Gentiles* sunt Barbari, vt constat ex Impp. rescriptis. Ex hoc tempore milites, Christiani omnes cum essent, (nisi quantum impius Apostata imperauit) huiusmodi se Sacramento (vt Vegetius tradit, qui, Valentiniano Principe, scripsit) adigebant, vt iurarent per Deum, & Christum, ac Spiritum Sanctum, & per maiestatem Imperatoris; quæ obiter à nobis dicta sint. inter Eos, qui ex militibus baptizati hoc tempore sunt, S. Martinus, posteà Turonẽsis Episcopus, fuisse dicitur,

Pagani vnde dicti.

Milites Christianorũ sacramẽtum. Vegetius.

De nupt. Gent. C. The.

s. Martinus

citur, ætatis annum agens trigesimum quintum, cũ iam annos XX. militasset: quamquàm in Seuerum, qui eius vitam descripsit mendum irrepsisse dicendum est, nisi ipsum sibi, ac Turonensi Gregorio contrarium fateri velimus. baptizatur.

Vit. c. 1. l. 1. c. 36.

Obitu dein Maximi Hierosolymorum Episcopi, Sedem illam inuaserunt Episcopi Arriani, quorum plures enumerant Hieronymus, atque Epiphanius, sed non eodem vterque ordine. Acacius haud dubiè Arrianorum Signifer, qui Cæsaream Prouinciæ Metropolim regebat, tantum ei Ecclesiæ intulit probrum; qua re audacior factus, Athanasium, hostium, quos haberet, acerrimum, aggredi instituit. inito itaque cũ Socijs consilio literas ad Constantium in expeditione agentem, quasi ab Athanasio scriptas, dare non erubescunt; in his Athanasius, vt videbatur, ab Augusto veniam petebat proficiscendi in Italiam, indèque ad Ipsum hoc pacto, & Alexandrinam Ecclesiam Pastore destitutam inuadere, & Athanasium veluti inquieti hominẽ ingenij exosum Constantio reddere facilè se posse putarunt; & sanè alijs quoque machinis Eum adorti, voti compotes facti sunt. cum Athanasio Paulum quoque Byzantij Episcopum in suspicionem, atque odium apud eundem Cæsarem cum vocassent, iterum Eum pelli, Macedonium resti-

Hier. ĩ chron. Epiph. hær 66. & 73.

Atha. ep. ad Solit. & Apol. ad Const.

Socr. l. 2 c. 12 Soz. l. 3. c. 8.

restitui impetrarunt: sed Pauli exilium
Macedonius restitutus. antè Constantii profectionem accidit. cæterùm Macedonii in Ecclesiam ingressus, Philippo Eum Præfecto cum militibus deducente, peragi
Populi cædes. maxima sine cæde non potuit. periere ex multitudine, quæ non tàm obsistendi, quàm facinus detestandi causa confluxerat, tria amplius millia.

Macedonius pòrrò, ne quid sibi à Pauli Asseclis negocii esset, singillatim eos adortus, qui communicare sibi renuissent, exilio, plagis, morte demùm mulctàuit, ex quibus Martyrius, àc Marcianus, qui ex Pauli contubernio fuerant, securi percussi, honore Martyrum posteà non caruerunt, insigni pro mœnibus Sepulchro extructo, Templo insuper, ac Artis à D. Chrysostomo donati. Illud quoque fertur, qui Sacra cum Eo Mysteria participare abnuissènt, eos, diducto per vim ore, sacraque Hostia ingesta, ita demum coëgisse: mulierum, quæ dicto audientes non essent, arculis intercluſa vbera abscidisse. tum, vt templũ instauraret, Constantini Magni ossa, quæ in eo erant condita, Constantio inconsulto, populo autem vi maxima obsistente, aliò transtulit, quò, cum multitudo ingens eorum, qui reluctabantur venisset, tanta strages edita est, vt Templum, vbi ossa erant reponenda, cæsorum sanguine redundaret.

Socr. ibid. et c. 30 Soz. l. 2. c. 5. & l. 4. c. 2. Martyrol. & Metaphr. die 25 Octob. Socr. l. 2 c. 30

Populi cædes.

hæc

hæc cum resciisset Constantius, de gradu Eum deijci actutum iussit.

Atha. ep. ad Solitar.

At Paulus Philippi Præfecti iussu, qui primum, ab Augusto, dignitatis locum obtinebat, per varias Vrbes exilij nomine circumductus, Arrianorum demum vi, post sex dierum inediam, semianimis strangulatur. haud ità multò post, diuina vltio Philippum excepit; magistratu etenim, quem maximum gerebat, exutus, ludibrio exindè fuit, quibus terrori anteà fuerat; planè, vt scribit Athanasius, veluti alter Caim, gemens, ac tremens, percussorem vndique pauens, miserando exitu vitam finijt.

Chri. Ann. 352.

Quintum iniuerat Consulatum Constantius Collega Gallo adsumpto, cum Iulius Romanus Pontifex vitæ diem clausit extremum, Pontificatus annum agens XVI. Huic Liberius sufficitur; ad quem Arriani, collectis suæ sectæ Episcopis, dant literas, quibus & Athanasium accusant, & catholicæ ab eo vniratis communionem exposcunt. Per idem tempus Ægyptij Episcopi LXXV. Conuentu habito, & Ipsi, ad Liberium pro Athanasio scribunt. Liberius cum Synodum sibi quoque indicendam putaret certiorem ea de re Constantium fecit ne Illum in Arrianos procliuem, aduersus Romanam Ecclesiam irritaret. Is iam in Pannoniam

Iulius Papa moritur. Liberius succedit.

Synod. in Ægypto.

peruenerat; simulata itaque cum Vetranione amicitia, recepturum se illum in Collegam spondens, si in Magnentium exercitum secum duceret; his alijsque pollicitationibus Tyrannum quodammodò consopiuit. Eius dein milites eadem arte demulcet: tùm in Concionem vocatos, iniustè occupatam ab eo Tyrannidem acriter insectatus, impulit, vt delatum Duci Imperium abrogarent, Eumque in ordinem redigerent. Igitur Vetranionis sibi copijs adiunctis grauius in Magnentium bellum parat, quod sequenti anno gestum est.

Vetranio à militibus deponitur.

Ijsdem nouus annus Consulibus aperitur Constantio VII. Gallo II. Constantij, de Magnentio Tyranno, victoria insignis. In hoc primùm bello (proh scelus) Labarum contra Labarum stetit, hoc est Vexillum Christi Nomen, ac Crucem præferens; nam & Magnentius cum Fratre christiani erant; victoria tamèn pro Constantio fuit, vlciscente Deo Constantis sanguinem innocentissimum. profligati ergò Fratres sibi Ipsis mortem ferro alter, alter laqueo consciscunt. tradit Seuerus, cum exercitus concurrerent, Constantium credere se pugnæ non ausum, cum Valente Episcopo Arriano in Templum Martyrum se recepisse. Valens porrò nuncios ita dispo-
fuerat, vt pugnæ euentum primus sci-

Chri. Ann. 353. *Zosim l. 2.*

Constãtij de Tyrannis victoria.

Seu. l. 2.

sciret, sique victoria pro Constantio fuisset, gratiam, ea primùm nunciata, captaret, si contrà, fuga sibi consuleret, certior itaque à suis, occultè, vt monuerat, de hostium fuga factus, Constantio retulit, Angelum se de victoria iam parta monuisse. hac arte Augusti gratiam ità iniuit, vt Is diceret non tàm exercitus virtute, quàm Valentis meritis eàm Victoriam fuisse partam, nihilque Ei in posterum antiquius fuit, quàm, vt de Arrianis benemerere; thabereque se aiebat Fidei suę testimonium, prosperã, qua vtebatur, fortunam, & Imperij incrementum. qua motus blasphemia Lucifer Calaritanus librum ad Eum scripsit, quo inanem Ipsius de probatione veræ Fidei, ex huius vitæ fœlicitate iactantiam reprimit; certè quidem moderatè illum prospera fortuna vti nequaquàm potuisse Zosimus quoque tradit: Ammianus verò scribit post hæc Illum immunem se ab omni mortalitatis incommodo existimasse, vt aliquandò & ore proprio dictare, & manu scribere non erubuerit, *aternitatem meam*. sæpius etiam Orbis se totius Dominum appellaret. Arriani quoque per summam adulationem, vt ait Athanasius, æternitatẽ Ei tribuebant, quam Filio Dei adimebant. Cæterùm Legati, quos diximus à Libetio missos, Arelate Constantium conuenerunt. apud

Arriani Episcopi assum.

Constãtij vanitas.

Zosim l. 2. in fin.

Amm l. 15. in princip.

Atha. de Synod.

quem multi cum essent Arriani Episcopi, Horum suasionibus, Constantij Imperio effectum, vt Vincentius præcipuus inter Liberij Legatos Athanasij damnationi subscriberet, & cum Eo alij quoque Occidentis pariter, atque Orientis qui eò conuenerant Episcopi. *Atha. apol. ad Cõstan. Hier. chron.*

Crucis signũ ĩ Cælo visũ. Dum hæc Arelate aguntur Crucis signum supra Hierosolymam visum, splendidissima perspicuum luce, tanta magnitudine, vt à Caluario Monte ad Oliueti protenderetur. scripsit ea de re Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus ad Constantium, *cuius literæ hìc referuntur.* contigit ostentum huiusmodi postridiè Nonarum Maij, quo die à Græcis annua eius rei celebritas instituta est. quid porrò prodigium huiusmodi portenderit, ex his, quæ posteà sequuta sunt coniectura assequi posse videmur. Christus enim, cui Diuinitatem Arriani adimebant, Crucis Vexillum erexisse visus est; & Catholicos, qui in tanta Ecclesiæ perturbatione reliqui erant, ijsdem, quibus olìm Apostolos, verbis compellasse; *confidite Egovici Mundum.* *Socr. l. 2. c. 24 Soz. l. 4. c. 4.*

Hoc eodem anno Constantius iniustas Magnentij leges abrogauit; eam in primis, qua Idolorum Cultoribus nocturna permiserat Sacrificia. de his Clericorum quoque immunitate iterum rescripsit. quod verò ad politi *L. 5. de Infir. mã. quæ sub Ty*

cum *ran. et*

L. 5. de Paga. & sacrif. L. 10. de Epi sc. & Cler. L. 7. de exact. C. Th. Hiero. in chr. Soz. l. 4. c. 6. Amm. l. 14.

cum statum pertinet illud sanxit, Debitores capione tantum pignorum ad solutionem cogi, non autem custodia carceris, aut plumbi verberibus, vt antea consueuerat.

Debitores à veteribus. mulctis exempti.

Reipublicæ statu apud Occidentem compositio, res Orientis fluctuabant Isauricis latronibus latè grassantibus: Persis limitaneas Regiones inuadentibus: Iudæis quoque rebellantibus, quos tamen Gallus Cæsar vsque ad innoxiam ætatem cæcidit, eorumque Vrbes Diocœsaream, Tiberiadem, ac Diospolim multis alijs cum Oppidis, ac Vicis igni tradidit.

Iudæi à Gallo debellati

Constat quoque ex Ammiano Constantium, antequàm è Gallijs discederet, natalem ibi suum celebrasse innoxio tamen sanguine madidum, cum multos delatorum calumnijs obnoxios, ex leuissima etiam suspicione, quasi Magnentij partium, sustulerit. addit Ammianus trigesimum tùm annum Illum exegisse, quod nescio quo pacto possit consistere cum his, quæ à Victore relata, superius sunt tradita de Constantis ætate, qui antè triennium occisus, egisse tùm annum dicitur XXVII. quo fieret eiusdem vtrumque ætatis fuisse. exploratum sane, est Constantem Fratrum natu minimum fuisse; porrò non mensibus tantùm sed aliquot annis Constantio minorem, illud persuadet, quod decen-

Constantij sanitia.

Eius ætas.

nio, vt diximus, post Eum Cæsar à Patre creatus est: præterquam quòd si hoc anno tricennalis erat, ipsis Patris Vicennalibus, cum Cæsar est appellatus, non dum bimus fuisset. ex eo autem Ammiani arguitur oscitantia, quòd quem hoc tempore trigesimum exegisse annum tradit, elapso tantùm septennio, cum decessit, quadragenarium tradit. *hæc verò Author diligentissimus aliòquin temporum inuestigator per incuriam præterit.*

Prorogato continenter ad tertium iam annum Constantij cum eodem Collega, Consulatu; Liberius secundò Legatos ad Eum mittit, Athanasij damnationem deprecans, Concilium ea super re expoſcens. verùm, quòd bellum aduersus Gundomadum, & Vadomarium Fratres Alemannorum Reges, qui in Galliam irruperant, gerendum esset, Concilium ad sequentè annum dilatũ, quamquam & belli timor, petita à Barbaris pace, sublatus est. Chri. Ann. 354. *Amm l. 14.* *Greg. Naz. orat. 1 in Iulian.*

Gallus à Constantio occiditur.

Gallus interim in suspicionem affectati Imperij apud Constantium vocatus, Polæ apud Istriam Cæsaris primò insignibus spoliatus, demùm capite plexus est, cumque Eo alij permulti amicitiæ Ipsius vtcumque comperti. acti eadem ex causa in exilium sunt Episcopi nonnulli, inter quos præclarus Ille Theophilus, qui apud Indos Fidem Christianam propagauit. de *Theod. l. 3. c. 3 Amm. l. 14. Nicep. l. 9. c.*

quo 18.

quo multa apud Nicæphorum habes.

Atha. apol. ad Cõſtant.

Athanaſius porrò à Magiſtratibus Alexandriæ vexatus quibuſdam quaſi velitationibus ad futurum bellum exercebatur.

Amm l. 15.

At Iulianus Galli Frater, in ſe quoque iratum Conſtantium cum reſciſſet, adire Ipſum, qui Mediolani tùm erat, non dubitauit. & ſanè perijſſet, ni Auguſta, dum Viri indignatio deferueſceret, Comum Illum amandaſſet. Eadem poſteà illius necem deprecante, Athenas ire permiſſum ei eſt. erat tùm Athenis Gregorius Nazianzenus, Is Iulianum conſpiciatus, de Homine haud falſa vaticinatus eſt, vt idèm Ipſe teſtatur, *quem Author hic refert, multa inſuper addens de celeberrima tùm quoque Athenarũ Academia, deque Ipſius Gregorij, ac Magni Baſilij inibi contubernio, amborumque amore pluſquàm fraterno, atque arctiſſima neceſſitudine.* cæterùm Iulianus, quandiù Athenis fuit, non tàm Philoſophicis præceptionibus, boniſque artibus, quàm occultis, ac nefarijs Sacris, magiciſque inſtitutionibus operam nauauit.

Iulianus vita periculum adit.

Greg. Naz. orat. 2 in Julian.

Gregorij, ac Baſilij contubernij.

Chri. Ann. 355.

Sequitur ſæculi annus LV. Catholicæ Eccleſiæ funeſtiſſimus. celebratur duplici Legatione petitum à Liberio Concilium Mediolani; annuit ſanè Conſtantius ratus id, quod fuit, coactos in vnum Epiſcopos, ſe præſente,

terrore incusso, haud ægrè in suã ipsius sententiam ituros. Acta sanè, vt nefaria, atque sacrilega perierunt, multa tamen ex Lucifero Calaritano apud Sardiniam Episcopo, qui Apostolicus tùm Legatus adfuit, atque ex Hilario alijsque nonnullis habentur; *quæ ab Authore fusiùs recensita, nos ex instituti nostri ratione leuiter perstringemus.*

Principio constat Luciferum, ac Collegas Liberij Legatos, Ipsumque Eusebium Episcopum Vercellensem fraudem odoratos, adesse renuentes, Principis iussu adesse coactos; tùm Arrianorum fraude factum, vt ex sacris Ædibus, in quas conuenerant Patres, in Principis Ædes, quò Ipse, qui Cathecumenus erat interesse posset, vocatos. hìnc obiter collige Constantinum Patrem (quod supra contra Eusebij sententiam firmauimus) Nicænæ Synodi tempore Baptismo initiatum iam fuisse. sic igitur coacti Patres, quamquam in his Catholici complures, iam non Concilium celebrasse dicendi sunt, sed tyrannicam consultationem, publicorum latronum violentam grassationem instituisse. negantibus porrò Catholicis Athanasij causam, eo inaudito, atque absente agendam, è vestigio assurgens Constantius, intemperantius in Eum inuectus, Se accusatorem, Se testem aduersus Athanasium professus est. *Athan. ep. ad Solit. Seuer. l. 2.*

non

non propterea à Lucifero, ac Collegis conniuentibus, sed adhuc Ecclesiastica libertate obsistentibus, Constantius furore percitus exilio Eos mulctauit. in His Hilarius Diaconus ante exilium verbera quoque expertus est. Lucifer in Palæstinam relegatus, mira constantia, & præparato, vt ait Hieronymus ad martyrium animo aduersus Constantium Commentarium acriori stylo exarauit, Eique legendum misit. pari ratione damnati alij complures, qui aut Athanasij damnationi, aut Arrianæ Fidei subscribere noluissent. Horum præcipui fuere Dionysius Mediolanensis, & Eusebius Vercellensis Episcopi, quorum Hic multa in exilio passus, Martyris gloriã adeptus est. de Athanasio, qui præcipuè petebatur eadem ratione, Constantij Tyranide egregiè vsi, Arriani triumpharunt, qui & Ecclesijs Pastoribus viduatis, nõ sine maximis obnitentium Populorum cædibus suæ Sectæ Homines imposuerunt. quę post Athanasium, ac Luciferum Hilarius quoque Pictauiensis recensere dum instituit; his Tyrannum magna styli libertate, animique robore, verbis compellat.

Legati Apostolici exilio dãnãtur.

De Script. Eccl. ĩ Lucif.

Item alij Episcopi.

S. Hilarij libertas

Hilar. cont. Const. *At nunc fructus operum tuorum Lupe rapax audi.*

At Constantius, licet pro Tyrannica potestate, quæ ab Arrianis decreta Mediolani fuerant, de Athanasij

in primis damnatione, rata esse iussisset; *tamen authoritate* (Ammiani verba sunt.) *qua potiuntur aeterna Vrbis Episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti. at Liberius monitus perseueranter renitebatur, nec visum Hominem, nec auditum damnare nefas vltimum sapè exclamans, apertè scilicèt recalcitrans Imperatoris arbitrio* proindè Augustus datis ad Leontium Vrbi præfectum literis, Liberium, quò tutius fieri posset, Mediolanum ad se mitti præcipit. quod idem Ammianus tradit his verbis. *Hoc administrante Leontio, Liberius Christianæ Religionis Antistes à Constantio ad Comitatum mitti præceptus est, tanquam Imperatoris iussui, & plurimorum scitis per Consortium decretis* (nempè Conciliabulo Arrianorum) *obsistens*. sequitur posteà idem Author. *Liberius agrè, populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate nocte medio potuit asportari*.

Amm. l. 15.

Romana sedis authoritas.

Liberius ad Imp.

Hanc ipsam Liberio illatam vim D. Athanasius narrat. cuius hæc sunt verba. *ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerunt, nulla reuerentia ducti, vel quòd Sedes ista Apostolica esset, vel quòd Roma Metropolis esset Romanæ Ditionis* (hoc est Romani Imperij) subdit posteà *Ille autem* (Constantius) *sperans per Liberium se posse omnes attrahere, mittit Eusebium*

Atha. ep. ad Solit.

Eunuchi cũ Libe-

Eu-

Eunuchum (hic erat Præfectus cubiculi) cum literis, & donis ad Eum, vt donis quidem blandiretur, literis autem minaretur. & paulò poſt. *deindè munera oſtẽtans, verbis inſtabat, manuque Liberij apprehenſa, obtempera, inquit, Regi, & iſta accipe. Liberius contra;* & quæ ibi ſequuntur Liberij verba, multis argumentis indigna poſtulari affirmantis. Eunuchus tùm (tradit idem Athanaſius) magnis minarum denunciationibus receſſit, eaque ipſa dona in Principis Apoſtolorum Tẽplo conſecrauit. quod cum reſciſſet Liberius, Cuſtode, quod non vetuiſſet, increpito; dona illa, vt victimam illicitam, proiecit. multa deindè Athanaſius addit de vi Liberio illata, de Illius fortitudine, ac dicendi libertate; *quæ hic ab Authore fuſius referũtur vna cum ijs, quæ apud Theodoretum per dialogiſmum inter Conſtantiũ, ac Liberium tranſacta habentur, omninò legenda.*

rio cõgreſſus.

Liberij libertas.

l. 2. c. 16.

Conſtantius iam blanditias æquè, ac minas incaſſum expertus, Liberio exilium in Thraciam imperat. abeunti quingentos pro viatico aureos dari iubet, totidem Auguſta. Liberius ad Conſtantium remiſit præfatus pecunia Illum ad militum ſtipendia indigere: tum Euſebius Eunuchus, ſiuè fortunam miſertus, ſiuè Liberij conſtantiam expugnaturus, eadem vſus liberalitate, alios obtulit. ad quem Liberius.

Liberij exilium.

rius. *tu* (inquit) *Ecclesias expilasti, & iam mihi damnato egentique offers eleemosinam? abi primum, & Christianus ipse fias* triduo itaque elapso, recta in Thraciam, nullo accepto viatico, proficiscitur. quæ autem posteà illi contigerint suo loco recẽsebimus. Illud magnæ admirationis est, cum, Alexandriæ, Mediolano, aliisque Ecclesiis Arriani Episcopi longè etiam accersiti, fuerint imposiți, Liberio tamẽ Fœlix Romanæ Ecclesiæ Diaconus Vir Catholicus subrogatur; quem tamen quod Arrianorum permissu sederit, multi, errore ducti, Arriannm putarunt. Legitimus ille quidem Pontifex dici nequijt Liberio superstite; sed ex communione quoque cum Arrianis malè apud Athanasium alioșque complures audijt.

Fœlix substituitur.

Ep. ad Solit. Theod l. 2. c. 17.

Ea interim maximè Arrianos cura coquebat, vt, quando Liberium nequiverant; Osium Cordubensem Episcopum in suam sententiam, Augusto adnitente, pertraherent; Illum inquam Osium, qui, Athanasio teste, Episcoporum Parens dicebatur, quique sexagesimum iam à confessione annum agebat, hoc est à carcere, & quæstionibus Diocletiano Principe passis, igitur accersiri Eum ab Augusto curant: cum venisset, tantus fuit venerandi Senis rationum pondus, tantus Principi ab eo terror incussus, vt ab eodem, à sen-

Osius.

Socr. l. 2. c. 29 Soz. l. 4. c. 10

tentia

tentia iam deducto, dimitteretur. non propterea animos Arriani desponden; Constantium iterum aggressi, admotis Eunuchorũ machinis, quibus Ille plus æquo obnoxius inseruiebat, interũ adigunt, vt, blanditiis adhibitis, minis non parcat, quibus Osium in suã, vt par esse aiebant, sententiã pertraheret. scripsit ad eum Augustus, responsum tamen nõ ex voto retulit, *quod ab Athanasio descriptum ex eius ad Solitarios epistola hìc relatum habes.* cum literis non proficeret, Illum iterum accersit, ac integrum apud se annum habet.

Interim, datis ad Præfectos literis, Clerici, atque adeò omnis generis Laici cum Arrianorum Episcopis, qui singulis fermè Ecclesiis iam præerant, communicare iubentur; Hilarius tum, qui haud ità pridem, & Christi Fidem fuerat amplexus, & diuino planè consilio Pictauiensis Ecclesiæ Episcopus fuerat consecratus, supplicẽ non pro sua tantum, sed pro aliis quoque Ecclesiis, Cæsari libellum obtulit, quem ex eo si libet pete: nec miretur quis inter tot Episcoporum proscriptiones, Hilarium Arrianorum Hostem infestissimum cum aliis nonnullis Gallicanis Episcopis illæsum mansisse; nam, vt Ammianus scribit, *Constantiũ*, hoc ipso anno, *exagitabant assidui nuncij deploratas iam Gallias indicantes, nullo renitente, ad internecionẽ*

S. Hilarius.

Hilar. ad Const.

l. 15.

Bar-

Barbaris vaſtantibus vniuerſa. non igitur tempus viſum opportunum Gallorum animos exacerbandi: imò ad continendum in officio Populum illum titubantem, aliquid indulſiſſe Hilarij precibus videri voluit, dum ad Seuerum reſcribens vetuit Iudices Eccleſiaſticis ſeſe rebus immiscere, & cauſas Clericorum cognoſcere. *L. 12. de Epiſc. & Cler. C. The.*

Iulianus Cæſar creatur.

Cæterum hi Gallici motus Iulianum à Pallio philoſophico, quòd Athenis aſſumpſerat, ad Regalem Trabeam traduxerunt; extremo enim hoc anno & Cæſar à Conſtantio Patruele dictus, & Helena ei Virgo in matrimonium tradita eſt, eiuſdem Conſtantij Soror: Nouo mox appetente anno in Conſulatu Collega aſſumptus, cuius initio leges ſaluberrimæ latæ inueniũtur aduerſus Magos, atque Aruſpices, tum ne Ethnicæ ſuperſtitionis Sacra peragerentur, aut Idolis cultus quoquo modo exhiberetur: denique aduerſus Apoſtatas. has haud dubiè leges veritus Iulianus Cæſar hoc ipſo ſuæ Fortunæ incremento, vt tradit Ammianus noctu ſurgens, occultè Mercurio ſupplicabat. Chri. Ann. 356.

Leges ſalutares. *L. 5. de Maleſ L. 6. de Pagan C. The. & L. 1. C. de Apoſt. Amm*

Athanaſius pellitur.

Hoc ipſo anni initio Athanaſius per vim pulſus; Populi ſtrages edita ipſo in Templo, Syriano Duce cum Legionibus irrumpente, Georgio Pſeudoepiſcopo Sedem occupante. extant ea de re non Athanaſij modò querelæ, *l. 16. Atha. ep. ad*

Solit. Apol. ad Const & de fuga sua.

relæ, sed ipsius Populi Alexandrini in literis, quæ extant ad vniuersam Catholicam Ecclesiam datis. & hæc quidem in ipsa inuasione peracta, porrò quæ deinceps Georgius per uim, perque dolum perpetrauerit, fusè Athanasius persequitur.

Post Athanasium pari ratione suis Sedibus exturbati sunt Ægypti, ac Lybiæ Catholici Episcopi ad XC. Horum Ecclesiæ venales habitæ, His quoque traditæ, qui panlò ante Ethnici fuere, nullo nisi oblatæ pecuniæ delelectu. creuere Arrianis apud Ægyptum animi ex Augusti literis ad Alexandrinos datis, quibus arte quadã eis blanditus, Athanasium contumelijs, atque execrationibus incessit, &, ne Illi in posterum studere quis audeat, non hortatur modo, sed proposita etiam pœna deterret: adeo Illum, alioquin non malum Principem, Arriani Consiliarij, atque Administri dementauerant. Athanasio itaque, vt Principis irã, Arrianorum dolos euaderet, inuiæ, ac desertæ solitudines quærẽdæ fuerunt, quibus à perquirentibus militibus, ac delatoribus tutus esse posset. porrò quæ de secessu apud Alexandrinam Virginem à Palladio, ac Sozomeno, quæque de Cisterna, in qua sexennio delituerit ab eodem Sozomeno, ac Ruffino traduntur, ex ipsius Athanasij scriptis explodenda omninò videntur.

Athanasij latebræ.

Pall. laus. Soz. l. 4. c. 9. & l. 5. c. 6.

Cæte-

Cæterum, qui hac Arrianorum persecutione extorres facti sunt, & admirationi tum omnibus fuere, & à Sacris postea Scriptoribus magnis laudibus celebrati sunt. laudat eos in primis Ambrosius, laudat Epiphanius: Seuerus quoque tradit totius eos Orbis studijs fuisse celebratos, pecuniam in sumptus affatim eis congestam: Legationibus quoque ex omnibus Prouincijs frequentatos: Eusebius in primis Vercellensis Episcopus clarus est habitus. *Ruff. l. 1. c. 18* *Ambr. ep. 72.* *Epiph. hær. 30.* *Seuer. l. 2.*

Eusebij Vercellẽsis & Hilarij exiliũ.

Hoc eodem anno, Saturnini Arelatensis Arriani Episcopi factione, Conuentus Byterris prope Arelatem cogitur, in quo S. Hilarius maximus Catholicæ Fidei propugnator exilio dàmnatus, in Orientem amandatur. testatur idem Hilarius Iulianum Cæsarem sibi tum patrocinatum, contumelias idcirco ab Arrianis passum. huiusmodi autem in Hilarium studium impius Iulianus non aliam ob causam simulasse putandus est, nisi vt Catholicos sibi conciliaret, à quibus, si res ferret, adipiscendo Imperio cui inhiabat, Constantio infensi cum essent, tuaretur. Hilarius porrò metuens, ne, se præsertim absente, Arriani, qui Byterris conuenerant, mentito substantiæ nomine, aut alia fraude simpliciores Ortodoxos Episcopos, & Catholicum Populum deciperent; li-

Iuliani æstus.

bel-

bellum legendum obtulit, quo Arrianorum latebræ, & doloſæ eorum infidiæ panderentur.

At Conſtantius Romam profectus Triumphum de Magnentio egit, cuius pompam Ammianus deſcribit. nouo id exemplo factum conſtat, cum Ciuili ex bello nefas eſſet triumphare. Romanæ tum Matronæ magno numero Illum adeuntes, pro Liberij reſtitutione ſupplicem Ei libellum porrexere. Harum precibus, ac Populi deindè in Circo clamoribus exoratus, Liberium reuocat. trigeſimo ab aduentu die, Roma diſcedens in Illyricum proficiſcitur, belli nuncijs, ex Germania crebrioribus, ab Auguſtiſſimæ Vrbis veluti complexu, inuitus abſtractus.

Amm l. 16. *Theod l. 2. c. 17.* *Amm l. 16.* *Conſtãtij Romã triumphus. Romã inuitus dc. ſerit.*

Leontio Antiochiæ Epiſcopo vita functo, Eudoxius, qui Germaniciæ apud Syriam Epiſcopus erat, in eam Sedem irrepſit *hìc de Ætij dogmate; quod ei Eudoxius ſtuderet, nonnulla apud Authorem habes.*

Ætij hareſis.

Iulianus interim hoſtes ad pacem compulit. tum verò accidit, vt S. Martinus, qui XXIV ſtipendia meruerat honeſtam miſſionem impetrauerit.

S. Martinus miſſionẽ impetrat.

At Iuliani Vxor Helena, ab Euſebia Auguſta, quæ prole ipſa carens, ei prolem inuidebat, veneficijs dicitur appetita quibus effectum, vt quoties concepiſſet immaturos, atque abortiuos fœtus ederet. hoc non niſi

Iulia. vxor veneficijs abor-

Deo

Trans reddita.

Deo moderante factum videtur, ne superstite Iuliani sobole, impietas propagaretur.

Ante anni lapsum edita à Constantio lex, Clericos à lustrali collatione immunes fecit. *L. 1. de Collat. lust.*

Ijsdem nouus annus Consulibus inscribitur, quo Constantius, Sirmij cum esset, nouum ibidem Conciliabulum habuit, ex Arrianis coactum, ad uersus Photinum Sirmij Episcopum diuinitatis Filj Dei hostem haud multò Arrianis ipsis deteriorem, qui hac ratione Catholici nomen præsetulerunt. nouas porrò tum Fidei formulas promulgarunt, græcè primam, alteram, ac deinde tertiam latinè. has ab Osio quoque Cordubésj firmatas constans fama est. tradunt quidam senij fatiscentis eum vitio deliasse, plus quã centenarius cum iam esset. addunt quoque alij ad hæc non minis tantum, sed etiam verberibus adactum, moriturum porrò vim sibi illatã professum, Arrianam hæresim fuisse detestatum. at non Osij tantum lapsu Tragœdia illa finem accepit, sed Liberij quoque causa lugubrior est reddita. licet enim hæresim non sit professus, Athanasij tamen damnationi subscripsit, & Arrianorum communione pollutus est.

C. Th. Chri. Ann. 357. Epiph. har. 71. Theod. har. fab. l. 2.

Osij lapsus.

Athan. de Synod. et apol. 2

Liberij quoque lapsus.

Peracto Sirimij Conuentu Orientales Episcopi complures cum recessissent ex His, qui Semiarriani vocabantur,

Hila. de Synod.

Epiph. tur, Sirmianæ perfidiæ pertæsi, Ancy- Synod.
har. ræ consistunt, ablegatumque substan- Ancy-
37. tiæ nomen restituunt; nouamque Fidei ra.
regulam Augusto per Legatos mit-
tunt, qui honorificè illis exceptis,
priores formulas deleri iussit.

At Liberius Romam reuersus, alienos à se Ciuium animos expertus est adeo, vt qui Fœlicem, eius causa, quasi Schismaticum, antea vitassent, nunc vicissim Fœlicem amplexi, à Liberij communione abhorrerent, quò factum est, vt, ex Clero præsertim, complures, quasi Augusti decretis refragrantes, dirè vexati, persecutionem passi dicantur.

Fœlicis obitus.

Fœlix porrò haud ita multo post vita functus, liberas regendæ Ecclesiæ habenas Liberio reliquit: extat Constantij, ac Iuliani ad Fœlicem Rescriptum de Ecclesiastica immunitate.

L. 14. de ep. & Cle. C. Th.

Caterum de Liberij Fide, ac rebus Liberij laudes. posteà præclarè gestis, multa hìc Author affert egregia documenta, quibus contractam Sirmij maculam satis superque Eum diluisse haud agrè demonstrat.

Porrecta interim Constantio querela aduersus Ætium, eiusque Asseclam Eudoxium, qui Antiochenam Sedem inuaserat, eadem ferè cum Photino Sirmiensi docentes, literæ ab eo ad Antiochenos sunt datæ, quibus testatus, se inscio, Eudoxium eam Ecclesiæ

clesiam regendam suscepisse, ab ipsis nequaquam recipiendum docet; tum multa de vtriusque impietate, Sirmij, atque Anciræ damnata, addit; quæ quidem in ipsos quoquè Arrianos, quadrant. *literas ipsas ab Authore hic relatas, si placet consule.*

Iulianus Augustus acclamatur

Dum hæc à Constantio peraguntur, Iulianus, cum sex Alemannorum Reges, Galliam populantes, deuicisset, Augustus ab exercitu acclamatur. *Amm. l. 16.*

Obeliscus Romã allatus.

Quo tempore Obeliscus omnium maximus Alexandria allatus Romæ in Circo maximo collocatur. quem demum paucis ante annis eodem in Circo fractum, iacentem, ac semisepultum Sixtus V. Pont. Max. in Lateranum translatum, vtcumque coagmentatum, iterum erexit. Chri.

Terræ motus.

A Sirmiano Conuentu ortis, inter ipsos quoque Arrianos dissidijs, Constantius ea vt componeret, cum iam in Orientem cogitaret, nouum Nicomediæ Concilium cogi iussit; verum Terræmotu ibidem orto, atque Vrbe funditus penè euersa, consilium illud discussum est. Eædem ærumnæ Asiam fermè reliquam, ac Macedoniam vexarunt. Ferunt Arsaciũ quemdam monasticæ disciplinæ, Fidei confessione sub Licinio clarum, Nicomediæ euersionem, ex diuina reuelatione prædixisse, sed eius vaticinium pro insania habitum. Ann. 358. *Theod. l. 2. c. 26. Socr. l. 2. c. 31. Soz. l. 4. c. 15. Amm. l. 17.*

In

In hunc annum incidit Antonij Magni obitus, qui Monasticæ Institutionis Parés fuit, de cuius laudibus nullus horum temporum Author reticuit. *Antonij obitus.*

Amm l. 17. Constantius porrò Aug. Sirmij cum esset, aduersus Sarmatas profectus eos fœliciter debellauit, sumptoque Sarmatici nomine, Sirmium reuertitur: *Metaphr. 28. Octob.* negociumque Duci Artemio dat Andreæ Apostoli, ac Lucæ Euangelistæ sacra Pignora ex Achaia, Byzantium transferendi; quod cum perfecisset Arthemius, Vrbis, mox Ægypti Præfectura insignitur, quo in munere, Iuliano Principe, Martyrio postmodum coronatur. *Constãtius. Sarmatas vincit. Artemius.*

Hoc tempore certior, vt videtur, factus Constantius de Iuliani Cęsaris, eiusque familiarium magicis artibus, ac noturnis Sacris, sanctionem à se editam, de qua diximus, in huiusmodi facinorosos Homines, Insigniores quoque, & quacumque demum dignitate pollentes, edita Sanctione altera complecti voluit. *L. 6. de Malef C. Th.*

Chri. Ann. 359. *Atha. de Synod. Seuer. l. 2. Soz. l. 4. c. 16* Iam, quod Nicomediæ vniuersale Concilium fuerat celebrandum, bipartitò cogendum indicitur; vt Orientales Episcopi Seleuciæ, Occidentales Arimini conuenirent. adfuere igiiur ex Occidentalibus amplius CCCC. quibus omnibus, Principis liberalitate, annona abundè tributa. cæterum secessio statim facta est; Catholi- *Seleuciæ at Arimini Concilium.*

tholicis, qui numero præstabant, Ecclesiam, Arrianis locum alium, consultò relictum, deligentibus. lectæ initio sunt Augusti literæ quibus, quæ in Fide ambigua essent, definiri, tum Episcoporum discuti causæ, præterquam Athanasij, iubebantur. instantibus tum Catholicis, vt, cum alijs hæresibus, Arriana quoque damnaretur, & Nicæna Fides per omnia probaretur, Vrsacius, ac Valens gratia apud Augustum plurimum pollentes suis cũ Assecl̃s acrius obstitere. Horum tamen rationem Catholici minimè habendam existimantes, Nicænam Synodum communi omniũ calculo comprobarunt; Vrsacium, ac reliquos aduersantes, Hæreticos pronunciarunt. Synodales tum Legati ad Constantiũ destinati cum literis, quæ ab Athanasio recitantur. Vrsacius, ac Valens, Synodi Legationem præuertentes Fidei formulam Sirmij editam Augusto mittunt Ipsi iam probatam, Arimini non sine ipsius vt aiebant, nota contemptam, atque damnatam. Constantius grauiter his commotus, Synodi Legatis contemptui habitis, longaque mora fatigatis, ac circumductis, antequam eos audiret, breues admodum literas ad Ariminenses Patres dedit, quibus, belli negocia causatus, audire se Legatos minimè potuisse testatus est; proinde quæ reliqua essent

l. 4. *c.* 16. *Socr. l.* 2. *c.* 2[illegible]

per-

peragenda, interim abſoluere curarent. hac arte eos ſibi eludendos cenſuit, ratus moræ tædio in ſuam ſe eos ſententiam perducturum. Auguſti literis Arimini perlectis, alteras ad eum dant, quibus orant, ne tot Eccleſias tamdiu ſine Paſtoribus eſſe ſinat, addunt à firmata ſe iam ſententia nunquam diſceſſuros. *harum omnium exemplum apud Authorem hic habes.*

Theod l. 2. c. 21. Seuer. l. 2.

Arrianorum cõmẽtum.

Arriani tùm, vt Nicænam Fidem vtcumque conuellerent, ridiculum ſanè commentum Conſtantio inſuſurrant. cogat, qui aderant, Epiſcopos Nicęæ, Thraciæ Vrbe, haud multum illinc diſitæ, ibique Formulam, quam ipſi probarent, tamquam Nicææ editam promulgandam curet aliquid haud dubiè momenti ſuis rebus indè acceſſurum. res ita peracta eſt, vt Synodi quoque Legati in fraudem pellecti ſint, ac tum demum dimiſſi. His tamen, quamquam vim regiam cauſantibus, communio denegata eſt. Cæterum Conſtantius, vt Arimini coactos Epiſcopos quacũque demum ratione in ſuã ſententiam pertraheret, Tauro Præfecto mandat, Synodum non antè laxet, quam conſcriptæ nuper Nicææ Thraciæ Fidei formulæ omnes ſubſcribant; qui pertinacius obſiſterent, dummodo intra quindecim numerum, eos proſcribat. his à Thauro nunciatis multorum conſtantia ceſſit, cunctantibus reliquis

Vis Epiſcopis infertur

Tau-

Taurus ipse, etiam lacrimis eos adortus, & ne ad insanum aliquod consilium Augustum adigant, contestatus, ægrè tandem persuasit.

Liberij constantia.

In tanto Ecclesiæ motu, Christi verbo firmiter locata Petra inconcussa mansit, Liberius etenim, vt Damasus, qui ei in Pontificatu successit, testatur, in aliorum ire sententiam renuit; quod idem eius quoque Legatus præstitit Vincentius Episcopus Capuanus. ea de causa Liberius Vrbe iterum pulsus, in Cœmeterijs suburbanis vitam diutius egit, relicto interim veluti Vicario, quem diximus, Damaso. *Apud Theod. l. 2. c. 13.* *Sozom. l. 4. c. 10.*

Quod verò Ariminense Concilium à multis probetur, ab alijs vicissim improbetur, ideo accidit, quia dum Patres Legatos, ac literas ad Constantium misere, & munere quasi perfuncti, missionem petiere, legitimè Synodus progressa est: cum verò septem fere mensibus elapsis, vis Patribus, vt iam diximus, illata est, tum illegitima omnino fuit. admonendus quoque est Lector sequenti etiam anno multa ab Arrianis excogitata, & Concilij Ariminensis nomine fuisse edita, quod non ità pridem post Concilium quoque Sardicense vsu venerat.

Cõcilium Seleucienſe.

Sed iam Seleuciam Isauriæ Vrbem accedamus, vbi, eodem ferè tempore, Orientalium Episcoporum Conuentus est habitus. Hi fuere CLX. vt Athanasius, *Atha.*

Atha. nasius, ac Socrates habent, Theodo-
de Sy- reto tamen non nisi CL. ex His XLIII.
nod. vt tradit Epiphanius, Acaciani fuere,
Socr. l. nam, & Arriani inter se erant diuisi.
2. c. 31 Hi, ad Ætianos accedentes, Christum
Theod omnis cum Patre substantiæ exper-
l. 2. c. tem aiebant. ex reliquis, partim Ca-
27. tholici, ex Ægypto plerique omnes,
Epiph. partim ex His, qui Semiarriani dice-
har. bantur, & diuinam Christo Substan-
73. tiam tribuebant; Consubstantialem
Seuer. tamen fateri abnuebant; inter Catho-
l. 2. licos adfuit Hilarius quartum iam an-
Fort. num in exilio agens. interesse quoque
in vit. iussi Comites Leonas, ac Lauricius,
Hilar. qui & militum Præfectus erat. Prin-
cipiò maxima fuit dissensio, de Fide
ne primùm, an de Episcoporum, qui
accusabantur, causis agendum esset; ea
ita est composita, vt, exclusis nonnul-
lis, ad Fidei controuersiam reliqui ac-
cederent hìc iterum facta secessio est,
Acacianis Nicænam Fidē apertè op-
pugnantibus, probantibus reliquis.
quamquam *consubstantialis* vocabulū,
quod nouum esse dicerent, & à Sacris
literis alienum, multis non placeret.
Hi formulæ Antiochiæ in Encænijs
editæ subscribendum putabant, Ca-
tholici nihil de Nicæna minuendum
contendebant. Acaciani suam ex inte-
gro recuderunt: porrò cum in disputationem de Diuini Verbi generatione veniissent, quæ Eudoxius Antio-

chenus Episcopus absurda, ac nefanda effutierit, post quam Hilarius retulit, exclamat, *ò miseras aures meas, quæ tàm funestæ vocis sonũ audierunt. hæc de Deo ab homine dici? hæc de Christo in Ecclesia prædicari?* Leonas tum Episcoporum dissidia componi posse desperans dimisso Concilio indignabundus, *abite* inquit, *& in Ecclesia nugas agite. equidem concordi Concilio interesse iussus ab Augusto sum.* & Acacius quidem occasionem, quam optauerat, nactus, accedere amplius noluit, reliqui in Ecclesiã conuenientes, Acacium, quique eum sequebantur accersunt, Episcoporum, qui in crimen vocabantur causas discussuri; His renuentibus, multi communione, multi etiam Ecclesijs ipsis, quibus præerant, priuati sunt, ac Successores eis dati. post hæc Legatos ad Constantiũ mittunt, quod & Acaciani præstant. Is Byzantium paulò ante regressus, alium inibi Conuentum cogit L. plus minus Episcoporum, à quibus, ex Acacianorum sententia, noua adhuc Fidei Formula promulgatur, quam Athanasius, atque Epiphanius referũt, cui qui subscribere abnuissent, exilio mulctantur; varijs præterea de causis plerique alij damnantur; qui à Sozomeno recensentur, in quibus Macedonius Byzantij Episcopus, quod in eum Constantius infensior visus sit, & Cyrillus Hieroso-

Hilar. in Cõstant.

Concilĩu Byzantij

Athan. de Synod. Epiph. hær. 73. Soz. l. 4. c. 20 Socr. l. 2. c. 34

Episcopi dãnãtur.

rosolymitanus, quod cum Acacio, qui Cæsareæ præerat, de Primatu contendisset; cui illud quoque crimini datum quòd, sacra supellectile, ad pauperes, annonæ caritate vrgente, alendos, divendita, vestem quoque magni precij, ab Ipso Augusto ttibutam, distraxisset, quam, à mercatore postea coëmptam, scænica Mulier gestaret, quod summum aliquibus nefas visum est. huiusmodi Orientis hoc tempore turbæ ex eo quoque sunt auctæ, quod qui depositi fuerant Episcopi suas Ecclesias nequaquam deserentes, promiscuè sacra Ministeria cum suffectis Episcopis, maxima cum rerum omnium perturbatione, peragebant. iure igitur Rufinus queritur *fœdam tùm Ecclesiæ faciem fuisse, quæ non iam ab externis, sed à proprijs vastaretur: similem fuisse pœnam, haud similẽ victoriam: fugabat alius, alius fugabatur, vterque de Ecclesia erat,* & quæ fusius ipse deplorat.

Ruff. l. 1. c. 21

Fœda Ecclesiæ facies.

Chri. Ann. 360. Constantius X. Iulianus III. Cos. auspicati sunt annum exacto non absimilem, cum Constãtinopoli tanquam ex alto pelago coortæ tempestatis fluctus impulsi sese in diuersa littora effuderunt; auditis etenim toto Romano Orbe impij Concilij Decretis, Episcoporum innumeris proscriptionibus Ecclesiæ naufragium haud immeritò timebatur. illud mirum cum tot Ca-

Eccle-siæ nau-fragiũ

timetur. tholici Episcopi proprijs Sedibus pellerentur, Hilarium, Ecclesiæ columen,

Hilarius restituitur. fuisse post quadriennium restitutum, ipsis Ecclesiæ hostibus adnitentibus; nam Constantinopolim cũ Seleuciensis Concilij Legatis profectus, oblatis Augusto libellis, disputaturum se cum Aduersarijs, ipso Iudice, professus, eorum animos, quamquam propitio Iudice præferoces, terruit. itaque dant operam, vt, tanquam perturbator Orientis, in Galliam reuertatur. cæterum de Hilarij libellis, ac orationibus ab eo coram Augusto habitis, ex quibus vehemens illius ingenium, ac intrepidus animus ostenditur, *quæ hic ab Authore traduntur require.*

Martinus Hilariũ sedatur. Reuertentem in Galliam Hilarium, S. Martinus prosequutus est ex Insula Gallinaria, apud quam solitariam aliquandiu vitam egerat. *Hæc ipsa Baronius dum scriberet, nuncium se, ait, de Antonij Cardinalis Carafæ obitu accepisse; cuius post quam laudes recensuit, ad institutam redit narrationem.* *Seuer. ĩ vita Martini* *Fortu. ĩ vita Hilarij.*

Macedonij hæresis Macedonius, quem Byzantij, Episcopatu sæpius deiectum vidimus, quamuis de Christo rectè sentire videretur, impiam in Spiritum Sanctum blasphemiam nunc primùm promulgauit, quem diceret Patris, ac Filij Ministrum, ac famulum, reliquis verò Angelis haud multò superiorem. Hunc *Soz. l. 4. c. 26*

se-

sequuti Eleusius Cyzicenus, Eustathius Sebastenus, Basilius Ancyranus, & Marathonius (Hic multis in Quæstura, quam gesserat, comparatis diuitijs, Conuentum Monachorum Byzantij collegerat) finitimas Prouincias ea peste infecerunt. de his Athanasius, adhuc latitans, à Serapione, qui Scholasticus dicebatur, edoctus, primum in Hos fulmen excussit. porrò eandem blasphemiam Arriani quoque amplexati sunt, &, qui cum ipsis iam coiuerant, Donatistæ.

Atha. ad Serap. de Spirit. S.

Macedonij Sedem, mandante Augusto, Eudoxius impleuerat, quem antea, vt diximus, idem Augustus infectatus fuerat; de quo illud narrat Sozomenus; cum concionem ad Populum haberet, Deum Patrem impium appellasse, Filium verò pium, ad quod eius dictum, exhorrescens Populus tumultuari cum inciperet; *quiescite*, inquit, *Patrem ideo impium voco, quod neminem colat; Filium verò pium, quod Patrem colat*: quo audito risu exceptus est. hoc pacto impius ioculator in rebus tanti ponderis ipso in Templo ludebat, vt imperitam multitudinem, hac etiam arte, captaret. Is, quod alibi innuimus, Arrio deterior, Ætium, atque Eunomium sequutus, omnem Christo diuinitatem adimebat, timore autem Constantij cum Arrianis sentire se ad tempus si-

Soz. l. 4. c. 25

Eudoxij impius in concione ioci.

mulauit, idemque, Eunomius vt faceret, author fuit, Eunomius tamen impietatis Reus constitutus, fugam cum arripuisset, timore solutus, hæresim post hæc scriptis audacius propalauit, quæ D. Basilius egregiè confutauit. *Basil.*

Eunomij superbia

Eunomij porrò audacia, ac fastus eo venere, vt, quod Theodoretus tradit, ausus sit dicere nihil se ex rebus diui nis ignorare, ipsamque adeò diuinam Substantiam probè cognoscere, denique eandē de Deo se habere, quam de se Deus Ipse habeat cognitionem. *in Eu. no. l. 1. & ep. 168. Theod. her. fab. l 4*

Eunomij hæreses.

Author quoque Eunomius à D. Hieronymo fuisse dicitur contemptus sacrarū reliquiarū qua in re illum postea sequutus est Vigilantius, in quem idem Hieronymus egregium edidit commentarium, & ante illum Armeni Monachi, de quibus paulò post dicturi sumus. Iam qualis doctrina, talis vitæ moribus Eunomius fuit, Ætio namque Præcæptore nequaquā integrior, carnis se libidinibus quibuscumque polluere, absque noxa licere docuit, imò fidem, quam ipse doceret, ad salutem sufficere, etiam si quantumuis grauia quis crimina perpetraret. Leprosus animo æque, ac corpore à Ruffino fuisse dicitur. vixisseque ad sua vsque tēpora Hieronymus tradit; contra eum verò Apollinarem, Didymum, Basilium, Nazianzenum, ac Nyssenum scripsisse. *Hier. in Vigilāt. Ruff. l. c. 25 Hier. de Vir. Illust.*

Constā tius vī

Constantius, re malè aduersus Per-

sas *Amm. l. 21.*

sas gesta, fortissimis quoque Propugnaculis cum exercitu amissis, fuga salutem quærere coactus est; & cum in locum malè tutũ se recepisset, victum ei ab agresti vetula petere opus fuit; Eo autem hisce fortunæ ludibrijs exposito, Iulianus ab exercitu, pridem, vt diximus, Augustus appellatus, Imperium iterũ à seditiosis militibus per vim delatum renuens, aut renuenti similis, capessit: quæ porrò hinc sequuta sint, ad sequentem annum spectant.

citur à Persis.

Iulianus à militibus Imperiũ accipit

Sox. l. 4. c. vlt. At Georgius à Concilio redux, Alexandrinos, non Catholicos modò, sed etiam Ethnicos ad suam sectam perducere per vim aggressus, dira eam Vrbẽ clade affecit. Pueros quoque Parentibus abstractos, ac detonsos, inuitos Clero adscribere æquum putauit.

Chri. Ann. 361. Postremus hic Constantio annus accessit. ipso initio Iulianus, vt Christianorum militum sibi animos conciliaret, Christianam Religionem simulans, à qua, vt Ammianus ait, iam pridem occulte desciuerat, Epiphaniæ festum cum his celebrat.

Iuliani simulatio.

l. 21.

Constantius certior de Iuliani Imperio factus, Legatione ad eum missa, ac viciſſim recæpta, Vadomarum interim Galliæ Regem, quo cum fœdus anteà iunxerat, occultè in Iulianum extimulat; Is officium suum Constantio pollicetur, verùm Nuncio cum literis intercæpto, Iulianus Vadoma-

rum nec opinantem capit, ac in Hispaniam deportari iubet, quò factum, vt apertum iam bellum inter Imperij Æmulos ortum sit.

Eusebia interim Coniuge morte amissa, Augustus Faustinam duxit, ex qua Constantia Posthuma orta est, quæ Gratiano postea nupsit. *Nouũ Constãtij matrimonium.*

L. 12. de Præ. C. Theod Aur. Vict. in Iul. Amm. l. 21. Hier. contra Lucif. sub fin. et ep. 3

Hoc eodem tẽpore Themistio Philosopho, qui Aristotelem commentarijs illustrauit, Præturæ Insignia detulit, quemadmodum & Aurelio Victori post Consulatum Secundæ Pannoniæ Præfecturam. *Themistius Philos. Aur. Victor.*

Iulianus Militum alacritate fretus, in Thraciam, auxilijs vndique conquisitis, properabat. eo nuncio Constantius consternatus, Persici belli consilijs abiectis, Antiochiam primò, dein Tarsum accessit, illud identidem pro solatio mente, ac voce repetens, parum se quidem cum externis hostibus fortunatum, cum perduellibus prospera Fortuna vsum. Tarsi cum esset, leui tentatus morbo, morę impatiens, Mopsuestiam Ciliciæ Oppidum petit. hìc ardentiore correptus febri, ita, vt calore immodico ne ab alijs quidem tangi posset, vt itineris, sic vitæ finem inuenit, tertio Nonas Octobris annum agens quadragesimum, siue, vt tradit Victor, quadragesimum quartum, magno dolore Imperium Hosti relinquens. constat eum paulò ante obi- *Constãtij obitus.*

tum,

Atha. de Synod. tum, & quidem ab Euzoio Antiochiæ tum Episcopo Arriano baptizatum. Eius tamen laudes Nazianzenus persequitur, dum in Iulianum, haud dubiè

Naz. orat. 1. & 2. in Iul. deteriorem, inuehitur. moribus sanè fuit incorruptis, egregia castitate, Christianæ Religionis cultui addictissimus. pœnituisse Eum quoque nouorum dogmatum Nazianzenus affirmat, additque à multis proditum, ab Eius obitu, dum cadauer Byzantium deferretur, auditas ex aëre veluti psallentium Angelorum voces.

Theod har. fab. l. 4. c. 10 Epiph. har. 40. & 80. Quod verò ad Ecclesiæ statum hoc tempore spectat, fuit planè miserandus: constat enim hæresum contagium, Arrianæ in primis, Ægypti quoque solitudines, ac Monachorum Cœtus infeciſſe. nouæ insuper Sectæ, & varia hæresum nomina à Theodoreto, atque Epiphanio recensentur, quæ in Mesopotamia præsertim orta Monachos, itidē qui eam Prouinciam incolebant, ad insaniam vsque perduxerunt. Ad hæc Eustathius quidam, siuè Ille Euthactus fuerit, Monachos apud Armeniam ex sua institutione, ac disciplina multis imbuit erroribus, in quem Romani Pontificis authoritate Concilium Gangris Paphlagoniæ Vrbe coactum est; à quo tot Canones decreti, quot erant enatæ hæresis palmites succidendi; nam & nuptias, & esum carnium, vt graue piaculum,

Concilium Gangrēse.

damnabat, Seruorum in Dominos, Filiorum in Parentes, Vxorum in Viros obsequium, diuini cultus prætexru, tollebat. Mulieres insuper virilem habitum vt sumerent, capillum demerent, hortabatur. &quasi Ecclesiæ morem sibi inuertendum suscepisset, tùm, Sanctorum Martyrum eorumque Reliquiarum cultum improbabat, tùm cæteris abrogatis, die Dominico Ieiunium peragebat, quæquæ alia eo in concilio singillatim viginti Capitulis delirantium Monachorum dogmata Anathemate feriuntur. imperitè autem Hos Manichæos fuisse, Gratianus tradit. *c. illud autem dist. 30*

Hoc extremo Constantij anno, Eoque adhuc superstite, Athanasius, ex impotenti Arriannorum dominatu, animo commotus vehementius, ipsis è latebris, quod corpore non liceret, Scriptis emergens, quatuor in eos à se elucubratas orationes promulgauit. Hic tertij huius voluminis finis esto. Quartum, Deo fauente, ab Ipsius Iuliani Principatu aggrediemur.

Libri III. finis.

AN-

ANNALES ECCLESIASTICI CAESARIS BARONII S. R. E. CARD.

A LVDOVICO AVRELIO Perusino.

In totidem libellos breuissimè redacti in quot magna volumina opus ab Authore digestum est.

LIBER IV.

Respondens quarto Authoris Tomo.

Chri. Ann. 361. *Amm l. 20. Zosim l. 3. Mamert. in Paneg.*

TERTII à Christo nato sęculi annum prosequimur LXI. quo Claudius Iulianus, cognomẽto Apostata Imperium, Constantio adhuc superstite, studio militum tyrannicè partum, Eo extincto, securus obtinuit. Is igitur apud Daciam, vbi constiterat, exoptato accæpto nuncio, per Thraciam Byzantium, accessit tertio Iduum Decembrium *Iulianus Byzātij.*

omnium, ex more, plausu, vt Ciuis, exceptus. exuerat iam palam Christianam Religionem, quam, Constantij metu, diutius simulauerat; itaque liberas iam Romani Imperij habenas nactus, nihil prius habuit, quam vt collapsum Constantini, ac Filiorum æuo Idolorum cultum restitueret. aperta igitur, eo iubente, Deorum Templa, euersæ dudum Aræ excitatæ. antiquo festi dies ritu celebrari iterum cœpti. sacrum Baptismum, quo fuerat initiatus, Victimarum sanguine solemni ritu absterſit. tum creari se Pontificem Maximum, ac Eleusiniorum Sacrorum Antistitem voluit. Pontificis porrò creandi ritum deridendum elegantissimè iambico carmine Prudentius describit. fuit autem eiusmodi. Sacerdotij Candidatus scrobem infulatus subibat, ea rimosis tabulis, ac multifariam terebratis tegebatur, adductus dein Taurus auratis cornibus, fronteque atque harmis, floreis sertis vittisque ornatus, super scrobis tegumento iugulabatur; sepultus tum Pontifex sanguineum imbrem desluentem toto corpore, ore in primis, ac lingua excipiebat. egesto verò sanguine, Tauro collapso, indeque amoto, retecta scrobe, nouus Pontifex bene madidus, & cruentatus prodibat, cui effusa Mystarum, ac Populi turba salutem, ac fausta

Deorũ cultũ restituit.

Baptismum abstergit.

Pont Max. creatur.

Prud. steph. in Ro. hymn. 10.

omnia

omnia precabatur. en Romani Imperij maiestate dignam consecrationem. addit Nazianzenus cum summi illius Sacerdotij ministerio Iulianus fungeretur, inflatas buccas, igni ad Sacrificia excitando, ambitiose adstantibus mulierculis ostentasse, cum interim Christiana Sacra petulantius irrideret. in Eos deinde versus, qui, Constantio Principe, Aulæ fuerant potentes, erecto Chalcedone metuendo Tribunali, plerosque omnes, qua exilio, quà morte mulctauit; ex his nonnullis viuentibus igni traditis; vlciscente Numine, Tyranno carnifice adhibito, illorum, in Catholicos præsertim Episcopos, patrata scelera. illud quoque ad conciliandos subditorum animos, valuit plurimùm, cum innumeram Proscriptorum multitudinem, quæ ex Catholicis præcipuè constabat, decreto restituit. Christianos iniuria affici, aut contumelia vetuit. nec ad profana Sacra cogi permisit. si qui verò sponte id facere voluissent, ab His, malorum depulsores Deos, vt se ipsos purgarent, aditi prius voluit, quodque mirificè illum commendauit, sequestrem se pacis, & conciliatorem inter dissidentes Christianos Antistites gessit.

Naz. Orat. 2. in Iulia.

Iuliani sanitia.

Laudabiliter ab eo gesta.

Soz. l. 5. c. 5.

Amm l. 22.

His, ipso Principatus exordio, ad illius securitatem, stabilitis, vires deindè omnes, atque consilia ad Chri-

stia-

stianum nomen delẽdum, vertit, quod non tàm vi, quàm arte præstitit, vt postmodum dicturi sumus.

Iulianos doctos Viros accersit.

Nouo interim appetẽte anno quemadmodum Mamertinum Oratorem Consulem dixit, & Cæsarium Nazianzeni Fratrem insignem Philosophum Thesauro præfecit, ita alios, qui aberant, doctrinæ laude insignes Viros accersiuit; inter quos Magnus quoque Basilius fuit, ad quem extant Iuliani literæ, qui tamen accedere ad eum contempsit. ex His qui accesserre, quosdam ad insignes honorũ gradus euexit, alios prandio, cænaue dignatos, probè elusos, dimisit. quod autem ad Cæsarium spectat, acceptis à Fratre literis, quibus, vt ab Aula recederet hortabatur, non sine Principis indignatione recessit. qua animi fortitudine caruit Ecebolius Christianus Rector, qui ad Iuliani illecebras Fidem abnegauit, magnoque apud eum in honore, cum alijs in posterum Transfugis, fuit. extat Iuliani ad Illum epistola, qua factiosos apud Edessam Arrianos spoliasse se testatur opibus, quibus luxuriabant, *quò facilius*, vt ait, *cæleste Regnum assequi possent*.

Chri. Ann. 262. *Amm. l. 22. Mamert. in Paneg. Naz. Orat. 2*

Socr. l. 3. c. 11

Iuliani probrum.

Verùm non tantum laudis ex eruditorum homnium consuetudine adeptus est, quantum dedecoris ex Lenonum, Exoletorum, ac Meretricum, quibus stipatoribus incedebat, commercio

con-

contraxit. testis eius probri locuples esse potest Chrysostomus Vir sanctissimus, qui vidisse se ea testatur cum Antiochiæ Puer tùm esset, &, cum de his scriberet, ad viuentes testes prouocat. sed neque Ammianus Ethnicus Author ea omninò dissimulauit: quamquam obeundis sacris, ea vsum licentia scribit. quo quidem in munere, in quo multus erat, cum aliquando versaretur, portentum huiusmodi accidisse Nazianzenus testatur; vt Victimæ exta coronatam Crucem ederent; quæ quidem species Sacrificulos, qui aderant, perterrefecit, summaque eos sollicitudine affecit futuram iterum potentiam nostram ominantes, ac pertimescentes; *at*, inquit Gregorius, *impietatis Magistrum ita non terruit, vt animos potius addiderit, cum ex Crucis circulo conclusos nos vndique interpretaretur*. hoc idē Sozomenus, ac Nicephorus testantur. illud quoque eleganti, ex more, carmine à Prudentio narratur. cum alia perageret Sacra, & Christianus adesset Puer haudquaquam cognitus, territum Sacerdotem exclamasse, Sacrum se obire Ministerium non posse, idque non nisi ex Cruce alicuius, ex His, qui aderant, fronti impressa, contingere. fatente id intrepidē ex Ephœbis vno, relicto, quasi non ritè instituto, Sacro, discessum est.

Orat. aduer. Gent. Amm. l. 22.

Orat. 1

l. 5. c. 2

l. 10. c. 3.

in Apoth. in Iudæos

Ostentum in Sacro obeundo.

Post

Iuliani artes.

Post hæc Iulianus arte sibi agendum in Christianos ratus, ex His, quos perditos voluit, aut alicuius anteà criminis insimulatos, supplicio affecit, aut, dissimulatis seditionibus, furenti Populo obiectauit. multos blanditijs aut allexit Ipse, aut allici à Magistratibus, siue amicis curauit. illud nefario planè instinctu excogitauit, ne quis Christianus Grammaticam Pueros doceret, aliasue liberales artes, ac disciplinas traderet; quo haud dubiè effecturum se sperauit, vt Hi, cum literis, bonisque artibus, impietatem simul haurirent.

Iam quod ad rem militarem spectat, Labarum, quod præcipuum totius exercitus Vexillum erat, à Constantino, ex viso Crucis ostento, diuinitus efformatum, immutauit. milites, cum donatiuum acciperent, thus anteà iussit adolere; renuentes ignominia notatos relegauit. in His fuere Iouianus, Valentinianus, ac Valens, qui post Eum imperarunt, quamquam Iouianum haud quaquam militiæ gradu deiectum par est credere, cum, constet bello Eum Persico, cum Tyrannus periit, interfuisse. At de Valentiniano illud traditur, Fortunæ Templum ingressurum ante Iulianum ab Ædituo lustrali respersum aqua, Ædituum pugnis cæcidisse, vel, quod alij scribunt, ad spersam vestem abs-

Theod. l. 3. c. 5. Soz. l. 6. c. 6. Socr. l. 4. c. 1.

Soz. l. 5. c. 4. scidisse. illud quoque tum accidit memoratu dignum. Maris Chalcedonensis Episcopus immolatem Fortunæ Iulianum cum reperisset, Fidei illum defertorem appellatum alijs quoque contumelijs affecit, cum Ei vicissim Iulianus cæcitatem exprobraret (præ ætate etenim oculorum suffusione laborabat (*at ego*, inquit, *hac ipsa de causa Deo meo gratias ago, quod te, qui à pietate turpiter excideris, aspicere nequaquam possim*. his minimè commotum Iulianum, aspernanti similem, præterijsse ferunt. hac tum quidem moderatione ad captandam gloriam est vsus. cæterum præcipitem illum, vt plurimum, fuisse Nazianzenus tradit, nosque seruata temporum ratione pluribus ostendemus.

Episcopus Iuliani nũ increpitur.

Naz. orat. 1. & 2. in Iul.

Appetente interim quadragesimali Ieiunio inuento non illi absimili, quod olim, Diocletiano Principe, excogitatum diximus, Iulianus edixit cibaria omnis generis ita demũ venalia exponi, si anteà Idolis fuissent oblata; hoc per hebdomadam factitatũ, qua elapsa, cum cognouisset Christianos interim cocto frumento pro obsonio vsos conatu irrito edictum reuocauit.

Venales cibi Idolis antea oblati.

Vrbis à se auctæ Simulacrum Constantinus sculpi iusserat, bonoque veluti omine, Crucem capiti addiderat, eam Iulianus detrahi, terraque obrui imperauit. Vrbem quoque ipsam Patrui

Suid. verb. μίλιον.

trui odio, veteri nomine maluit appellare.

Porrò decem ferè mensibus Byzantij moratus, Antiochiam profecturus, Chalcedonem appulit, vbi Persarum Regis Legatos nactus, quòd Christianos illos esse comperisset (nam ad Sacrum peragendum inuitati adesse renuerant) quasi auitæ Persarum Religionis vindex, contra ius Gentium, supplicio affecit. Hos inter martyres recensitos, annua memoria Ecclesia recolit. hinc Cæsaream accessit principem Cappadociæ Vrbem, cuius Ciuibus, quod Christiani plerique omnes essent, & veteris superstitionis Templa inibi diruissent, magnoperè infensus, multiplici Eos incommodo, ac contumelia affecit. Vrbem namque ipsam Regio nomine, sacras Ædes pecunia, ac supellectile spoliauit. Ciuibus trecentas auri libras, ac Templorum, quæ diruerant, restitutionem imperauit. Clericos militiæ adscribi iussit. alias quoque Cappadociæ Vrbes, earumque sacras Ædes expilaturus, Præfectum cum sagittarijs misit; Is Nazianzum cum accessisset, ab eius Ecclesiæ Episcopo Gregorio seniore Magni Gregorij Parente inhibitus, re infecta, abscessit.

Legatos Persarum Iulianus violat.

Cæsarienses multat.

Gregorius senior. Naziãzi Episcopus.

Antequam Cæsarea Iulianus recederet, multos ex eorum numero, qui Fortunæ Templum Christiani nuper in-

Nicephl. 10. c. 11.

Metaphr. 17. Iunij.

Soz. l. 5. c. 4. Naz. Orat. 1

Marty incenderant, supplicio affecit, in his
rol. 9. præcipuus genere, ac fama Eupsy-
Apr. chius fuit, cuius martyrij celebritas
quinto Idus Aprilis in sacris Tabulis
habetur.

At Iulianus, Syriam petiturus, Tarsum accessit. Cæsareæ interim ingentes turbæ excitatæ sunt nouo Episco-
Basil. po consecrando, cum alij Basilium, *Basilius ac*
ep 79. Eusebium alij eligendum putarent. *Nazianzenus solitudinẽ petunt.*
Greg. Eusebij factio potior cum fuisset, Ba-
ep. 6. silius opportunam nactus occasionem,
& seq. in Ponticas solitudines recessit, sanctiori vitæ generi operam dàturus. Eum sequutus Gregorius Nazianzenus, vt antea Athenis in literarum studijs Socium, sic nunc Monasticæ disciplinæ Institutorem habuit.

Ancyræ porrò apud Galatiam martyrio affecti sunt Melasippus, Antonius, & Carinà, de quibus in Græco-
7 Nou. rum Menologio, pariter, ac Romano *Variæ Martyrũ certamina.*
l. 5. c. Martyrologio natalis dies habetur;
10. Basilius tamen antè eos passus Ancy-
Lauss. ranus Presbiter præ alijs celebratur
c. 31. à Sozomeno, quemadmodum à Pal-
Amm ladio Phyloromus, qui tamen certà-
l. 22. mini superstes fuit.

Naz. Iulianus Ancyra Pessinuntem petit:
in Iu- Matris Deùm Sacra, ac Sacerdotes
lian. restituit. horum contemptores duos
Socr. l. ibi Adolescentes nactus, quorum nec
5. c. 13 vi, nec arte expugnare valuit constan-
Soz. l. tiam, admirari coactus est.
5. c. 10

Apud

Apud Merirè quoque eiusdem Prouinciæ Vrbem Almachius Præfectus Delubrum sordibus purgatum aperiri, Sacraque, ex veteri more, in eo peragi iusserat. tum Macedonius, Theodolus, ac Tatianus, pietatis zelo incensi, noctu Templum ingressi, Simulacra inibi omnia confringunt. facinoris Authore incomperto, multi ex Ciuibus custodiæ mandantur, ac quæstionibus subijciuntur; Authores tum exagitari pro se alios nequaquam passi, vltrò se deferunt. iussi itaque eorundem cultu Numinum facinus abolere, cum renuissent, multiplici anteà cruciatu vexati, ferreis demum craticulis, igne supposito, mira constantia, extinguuntur. *Marty rol. 11. Sept.*

Haud absimili ex causa, Æmilianus Dorostoli Thraciæ Vrbe; Hadrianopoli Philippus Episcopus, Seuerus Presbyter, Eusebius, atque Hermes, incendio cremantur. *Hier. chron. Theod l. 3. c. 6*

Iulianus ab Antiochenis deridetur.

Iulianus interim Antiochiam peruenit hyematurus apud eam, & ad bellum Persicum necessaria omnia paraturus. porrò cum aspectu, incessuque, ac moribus Philosophum ridiculè ageret, dicterijs, atque conuicijs à Populo lacessitus, dissimulatione sibi agendum ratus, verbis & Ipse agere satis habuit; itaque quòd præcipuè à promissa, atque hircina barba irrideretur, de ea orationem conscripsit, *ex qua multa hic Author re-*

Amm. l. 22. Naz. orat. 1. in Iul.

Iuliani oratio de barba.

citat,

citat, quæ ad rerum tum gestarum cognitionem spectant.

Arthemium exindè accersit militaribus in Ægypto copijs Præfectum. Is Constantinum ab ipso Imperij exordio secutus, per omnes militiæ gradus euectus fuerat. à Constantio quoque Filio præcipuis ornatus Præfecturis. verùm quod non tantum militia, sed christiana in primis Religione conspicuus esset, hoc nomine à Iuliano in suspicionem vocatus, cum præsertim abdicatæ Eum Religionis liberius argueret, varijs in ipsum confictis criminibus capite mulctatus est XIII. Kal. Nouembris inter insingnes Ecclesiæ Martyres recensitus. *Arthemij martyrium.*

Erat apud Antiochiam nemus in suburbio amœnissimum, Daphnen appellabant, Apollinis Templo, quo oracula edebantur, celeberrimum; Constantinus Magnus, quod alibi monuimus, vt superstitionem paulatim aboleret, locum à suo nomine denuncupauerat. dein'translata in lucum Babilæ Martyris ossa, vocalem anteà Apollinem, mutum reddiderant. silentij causam, ignotam hactenus, Iulianus ex ipso Idolo multis Victimis, ac placaminibus propitiato, cum exquireret, ex Eo demum huiusmodi responsum tulit; *cadauera, quæ causa multa in loco essent, edendis vaticinijs ab Idolo impedimento esse.* Iulianus, Martyris cadauer *Chrys. Orat. contra Gent.* *Daphne Antiochiæ Suburbium celebre. Apollo Daphnicus obmutescit. Silētij causa edita.*

Babilæ Martyris ossa.

dauer Dæmoni curæ esse haud dubiè ratus, illud amoueri iussit. quod Principis iussu sublatum, à Christianis solemni ritu, ac pompa in Vrbem ita relatum est, vt comitātium multitudo illud ex Regij Vatis Psalmo occinere non dubitauerit; *confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis*. hac de re certior Iulianus factus, suam id contumeliam interpretatus, multos comprehendi iussit, ex quibus vnus Theodorus Adolescens, diris quæstionibus admotus palàm docuit, quàm malè hac ratione suæ superstitioni Tyrannus consuleret, proindè, ne in posterum turpius erubesceret, vinctos ea de causa reliquos, dimitti iussit. hæc se ab eodem posteà Theodoro cognouisse, Ruffinus tradit, quæ à Socrate quoque, ac alijs referuntur. Quę- *l. 2. c.* rit Chrysostomus, cur Iulianus Marty- *35.* ris ossa Christianis permiserit, & non *Socr. l.* potius igni tradiderit, aut alia ratione *3. c. 19* distraxerit: & non alia id ex causa factum putat, nisi quòd diuinā Martyris virtutē æquè, ac Dæmon formidaret: *Theod.* insuper Iulianum Auunculum, ac Fœ- *l. 2. c.* licem ærario Prefectum, qui contēptę *11. &* Religionis pœnas nuper dederant, an- *seq.* te oculos haberet. *horum exitium, post quam hic Author recensuit, aliorum quoque Christianæ Religionis desertorum interitus miserandos refert.* *Amm. l. 23.*

Cæ-

Cæterùm vix Babilæ corpus Antiochiam relatum est, cum Apollinis Templum cœlesti, vt creditum, igne conflagrauit. Iulianus sanè ex Ædituo (quem anteà percarum habuerat) quæstione acerrimè exagitato, nihil aliud expressit. ea res Ethnicorum mentes, eorumque Restitutoris Iuliani magnoperè perturbauit; itaque Libanius Sophista, qui Antiochiæ tùm erat, ea super re Threnos, ac lugubrem nœniam decantauit, *cuius fragmenta aliquot ex Chrysostomo, qui Libanio tùm Præceptore Adolescentulus vtebatur, Author hìc recitat.* *Apollinis Templum fulmine censũ.*

Iam quod Byzantij incassum nuper excogitatum à Tyranno diximus, Antiochiæ iterum vsurpatur, vt vænales cibi, non nisi lustrali adsperſi aqua, profano ritu, exponerentur; fontes quoque publici profanis victimis poluti; & hi quidem, quod Chrysostomus tradit, diuino miraculo exsiccati sunt. esculenta porrò (licet his laudabiliter Byzantij Ciues abstinuerint) Antiochenos coëmere, hisque vti absque noxa potuisse, ex Apostolo Theodoretus docet. *Fontes miraculo ex siccati*

Cont. Gent. Theod l. 3. c. 14. 1. ad. Corint 10.

Erat tum in Iuliani castris miles emeritus Eusignius ætatis annum decimũ agens supra centesimum. Is Constantini Fidem, ac pietatem commendans, impietatem Iuliano eprobrans maiestatis reus factus, quasi Iuuentutem in *Eusignius miles, alij- que Martyres.*

Mart. Rom.

in Principem concitaret, securi percussus est, addito ioco, vt capitis delirio laborans, capite plecteretur. 5. *Augusti.*

Eadem ex causa Iuuentinus, & Maximus & ipsi Christiani milites neci sunt traditi, Hos Chrysostomus inter Martyres coli iam solitos eleganti postea ad Populum oratione laudauit. *Orat. in SS. Mart. Iuu. & Max.*

Publia matrona facinus.

Cæterum non ad Viros tantum, sed ad Mulieres etiam laus ista pertinuit. nam Publia insignis Matrona, quæ, vidua dudum cum esset, sacrarum Virginum Cœnobio præerat, eas Psalmorum cantui assuetas, tum maximè diuinę rei insistere iussit, cum illac Tyrannus incederet, eosque potissimum Psalmos occinere, quibus Idola, ac illorum cultores sacer Cytaredus incessit. hoc cum semel eo transeunte præstarent, tacere iussæ, vocem clarius ediderunt. vocata itaque eius iussu est Publia, acriterque increpita, ac colaphis cæsa, seuerioribus additis minis, his tamen nequaquam territa, dimissa est. Hanc Chrysostomi quidam fuisse Matrem affirmant, *sed re perpensa, contrarium Author hic statuit.*

Quidã ex mimo Martyr.

Porrò non tantum à Fœmina Tyrannus contemptus, sed à Mimo quoque insigniter delusus est, qui Baptismo (quod olim in Genesio vsu venisse diximus) per iocum initiari se simulans, seriò exindè Christum sequutus est, *Ad an. Christi 303.*

est, summaque constantia in sententia perstans, Iuliano bilem ita mouit, vt, Philosopum oblitus, in Eum illicò animaduerti iusserit. Is ex Mimo martyr annuo honore colitur XVII. Kal. Octobris.

Exindè Iulianus, siuè quod Antiochensibus esset infensior, siuè alia ex causa, Tarsum, Ciliciæ Vrbem, concessit; haud diù tamen ibi moratus, Antiochiam reuertitur, vbi Illum iterum Persarum Legati conueniunt, postulantes, vt bellum palam indiceret, denunciaretque: ad quos Ille, actutum se adfuturum respondit, proindè alia belli indictione opus non esse.

Hier. in vit. S. Hilar. Soz. l. 5. c. 9. Theod l. 3. c. 6 Nicephl. l. 11. c. 11. Ruff. l. 2. c. 18

Gazæ interim, atque Ascalone Palæstinæ Vrbibus, coorta Gentilium seditione, Christiani passim, quasi hostes publici mactati, aut fuga dissecti, in quibus Hilarion Ægypti solitudines tum petere coactus est. eodem quoque tempore apud Sebasten eiusdem Prouinciæ Vrbem Ioannis Præcursoris, ac Prophetæ Elisei ossa igni a furenti Populo sunt tradita; his similia, cum Patrum nostrorum memoria, Gallicis præsertim seditionibus, vsu venerint, videant Nouatores quænam referant tempora, quorum facinora imitentur. neque hìc stetit furor. eadem, quasi ex composito, Heliopoli, atque Emesæ, eadem Aretusiæ, Tyranno conniuente, & tantum non

Insueta sæuitia genera.

laudante, & diriora adhuc patrata sunt scelera. fœda res dictu. Sacratæ Deo Virgines nudæ in Foris relictæ, tum dissectæ, atque ordeo, alioue Suum pabulo fartæ, hisce animantibus vorandæ expositæ. Clerici, atque adeò sacri Antistites omni sæuitiæ genere affecti, eò vsquè, vt eorum præcordia mandere nō exhorruerint. Marcum Episcopum Arethusij diù per Vrbem raptatum, suspensum, deiectum, mucronibus exceptum, denique toto corpore laniatum, discerptumque melle illitum in sublimi statuunt Apum aculeis, muscarumque molestia consiciendum.

Christi statua à Iuliano deturbata.

At illud memorabile. cum certior Iulianus factus esset, Cæsareæ Philippi præclaram esse Christi statuam, quam Mulier illa dedicauerat, quæ sanguinis fluxu laborans sanitati ab Eo fuerat restituta, deturbari iussit, suamque inibi collocari. hæc haud ita multò post fulmine icta, semiambusta dempto capite ad multos postmodum annos mansit ostentui Populis fidelibus æque, ac infidelibus. illud nequaquam est prætereundum, qnod ex Eusebio tradit Sozomenus ad Christi statuam illam, ignoti generis herbam enasci solitam, que omnis generis morbis, sanguinis præsertim fluxui, mederetur. Sed iam quæ apud Ægyptum hoc eodem tempore acciderint prosequamur. Soz. l. 5. c. 20

Iuliani statua fulmine icta

Herba medica ad Christi statuã

In vit. Patr. c. 7.

mur. tradit Euagrius. cum ex Vicis quibusdam promiscui sexus complures Orgia celebraturi conuenissent, ac lymphati Idolum circumducerent, Apollonium Cœnobiarcham, cuius Cœnobium haud longè aberat, fusis ad Deum precibus cum Idolo profanam turbam immobilem reddidisse. cum diutius Solis radijs torrefacti perstitissent, subijt quosdam cogitatio Apollonium adeundi, opemque ab Eo implorandi; Is suppliciter exoratus ad eos cum venisset, eoque veluti stupore omnes soluisset, ad Christianam Fidem haud ægrè perduxit; Idolo igitur igni tradito, multi, Apollonium sequuti, inter Monachos censeri voluerunt, reliqui ad suos quique Vicos reuertuntur.

Insigne miraculū

Amm l. 22. Epiph. hær. 70. Socr. l. 3. c. 2. Sozo l. 5. c. 7.

At Alexandriæ Georgius, qui Constantio Principe, apud quem gratia pollebat plurimum, Tyrannum potius, quam Episcopum egerat, arrogantia, sæuitia, ac turpi quæstu inuidia vulgò, atque odio laborans, coorta Ciuium seditione, cum alijs tyrannidis Ministris, mactatus est. Certior de his factus Iulianus, qui Episcopos omnes eundem vitæ exitum sortiri cuperet, indignationem maximā aduersus Alexandrinos simulauit, libenter tamen placari se sinens, satis habuit literas ad eos dare, quæ à Socrate recitantur, in quibus non tam seditiosorum Ciuium

Georgij Alexādrini Episcopi cædes.

facinus, quam Georgij ipsius crimina insectatur. extant duæ aliæ Iuliani epistolæ, quibus mandat Ecdicio, ac Porphyrio, omnem vt curam adhibeant in perquirendis Georgij libris, ijs quidem, vt ait, qui Galilæorum doctrinam continerent, vt abolerentur, alijs verò, quos omnis generis congesserat, ne cum illis perirent.

Post sublatum, vt diximus, Georgium; Athanasius è latebris emergens Alexandriam venit, exceptusque est magna cum gloria, ac totius Populi gratulatione. porrò cum multi ad eum inuisendum Episcopi conuenissent, ab His Concilium Alexandriæ celebratum est; in quo decretum est, Episcopos, qui ex inscitia, aut vi illata ad Arrianos transissent, resipiscentes, non ad catholicam communionem tantum, sed ad pristinam quoque dignitatem recipiendos. de Spiritu Sancto quoque aduersus Macedoniũ, ac de Christi anima, in recentem Apollinaris hæresim, catholica dogmata firmata. his de rebus certior ab Athanasio factus est Liberius, cuius authoritate illud ipsum Concilium celebratum fuisse ex ipsius Athanasij literis, cuius tantum extat fragmentum, colligi videtur, & sanè Eusebius Vercellensis Episcopus, & Lucifer Calaritanus tanquam Apostolici Legati interfuisse videntur. porrò Synodi

Nazianz. orat. de laud. Athan. Hier. aduersus Lucif.

Concilium Alexãdriæ.

di huius decreta confirmata à Liberio fuisse ex eiusdem Athanasij epistola, ad Ruffinianum colligitur, quæ cum inter ipsius Athanasij opera non legatur, ex Nicæno Concilio secundo petenda est. quod verò à Lucifero Paulinus Antiochiæ Episcopus consecratus esset, qua in Vrbe non Euzoius modò Arrianus. sed etiam Meletius Catholicus Episcopus, sed quem aliqui, non probarent, erant; diuisis ea ex re etiam Catholicis, Eusebius Vercellensis, qui, tanquam Romanæ Sedis Legatus, Orientis Ecclesias inuisebat, vehementer animo est perturbatus. hinc noua dissidia, & Luciferi secessio, ac Schisma. quamquam ex eo potius Luciferi indignationem ortum habuisse quidam putant, quod austerioris vitæ, ac disciplinæ cum esset, Concilij Alexandrini decretum de restituendis lapsis Episcopis, non probaret. cæterum Antiochenæ Ecclesiæ Schisma, ad annum vsque salutis CCCCVIII. perdurasse constat. Porrò quod ad Luciferũ spectat, Hæreticum illum non fuisse, sed secessionem illam citra crimen feciisse, præter alios Patres Hieronymus Ipse testatur, qui illius disciplinæ Alumnos non tam sectam, quam nomen, obstinatius retinentes, veluti errantes oues ad gregem reliquum reducere conatus est.

Socr. l. 3. c. 7. Theod l. 3. c. 5 Soz. l. 5. c. 12 Antiochiæ Episcopi simul plures. Luciferi Epiſcopi ſchiſma. Ruff. l. 1. c. 30 Hier. aduersus Lucif.

At Eusebius Vercellensis Episco-

pus, ex nobiliſſima Legatione redux optatum nuncium Italiæ Epiſcopis, Ariminenſibus dolis, vt ait Hieronymus, irretitis, cum afferret, maxima Eccleſiam vniuerſam perturbatione exemit. idem paulò ante præſtiterat Hilarius in Gallijs, qui ante ipſum Alexandrinum Concilium author fuerat, atque ſuaſor æquiſſimæ huius Eccleſiaſticæ Sanctionis de Epiſcopis lapſis, ac pœnitentibus (licet non ſine delectu) reſtituendis.

Iam qui Semiarriani dicebantur Macedonio tamen iuncti erant, Concilium, & ipſi, Seleuciæ cogunt, quo Arrianos, qui & Acaciani, ſeù Eudoxiani dicebantur damnant, iactantque ſe, cum mediam inter Hos, atque Catholicos ſententiam tenerent, ipſam veritatis ſemitam inueniſſe. *Soz. l. 5. c. 13*

At enim qui Alexandriæ erant Arriani, Athanaſij reditum, ac proſperum rerum ſtatum, cum ægrè concoquerent, collato cum Ethnicis ſtudio, atque opera, quòd præſertim Is Matronas nonnullas ad Chriſtum traduxiſſet, Iulianum orant, obteſtanturque, vti Athanaſium publicæ quietis perturbatorem Alexandriæ diutius eſſe non ſinat. annuit Tyrannus, datiſque extremo hoc anno ad Alexandrinos literis, Edictum à ſe promulgatum de reſtitutione Epiſcoporũ, qui Conſtantij iuſſu exulabant, ita eſt interpre- *Socr. l. 3. c. 8. Soz. l. 5. c. 14 Ruff. l. 1. c. 33 Theod. l. 3. c. 8*

Athanaſius accuſatur.

tatus,

tatus, vt Patriam illis non Episcopalem Sedē restituere cogitauerit, quod cum iniussus feciſſet Athanasius, meritò Patriam quoque amittere debere. alijs porrò ad Ecdicium Præfectum datis literis, odij causam nequaquam dissimulauit, testatus Ægypro Illum extorrem ideo velle, quod Deorum hostis esset, suoque in Regno illustres Græcorum Fœminas impellere ad Baptismum ausus esset. *vtramque epistoiam ex Authore hìc pete*. coactus itaque Athanasius solum vertere conscenso nauigio aduerso Nilo in Thebaidem iter dirigit. præmisso tum nuncio certior ab amicis factus secretioribus Tyranni mandatis ſe ad necem quæri, nec longè percussores abesse, proram verti iussit, atque Alexandriam iter dirigi. haud ita multo post insequentibus, qui alia omnia arbitrarentur, obuiam factus, His ipsis quærentibus quantū abesset Athanasius, parum abesse respondit. Alexandriam itaque iterum delatus ad Tyranni obitum ibi latuit spe certa amicis facta Tyrannum haud diù superstitem futurum.

Athanasij sagax consilium.

Hæc dum apud Orientem peraguntur qui Occidentales Prouincias regebant, pari licentia in Christianos grassabantur. ditiores quosque facultatibus exuebant, eam prætexentes causam, quasi ex Templorum spolijs eas congessissent, quod si neque huic

Res apud Occidētem gesta.

calumniæ locus esset, ea semper causa presto erat, quam ne Rescriptis quidem inferere Tyrannus erubuit, Christianos ex Euangelij præscripto diuitijs affluere nequaquam debere. his eisdem ex causis rapax Fiscus in Gallicani Viri Consularis Patrimonium, qui Constantini Gener fuerat, de quo alibi meminimus, auidas iniecit manus, ex Tyranni Rescripto, Eo ex Italiæ finibus abire iusso. tum verò illud memoria dignum accidisse fertur, vt qui eius prædijs fiscales titulos affixuri accesserant, aut percussi lepra, aut à Dæmone correpti, re infecta, abscedere coacti sint. Gallicanus verò Alexandriam profectus à Rauciano Comite Martyrij palmam adeptus est. ad hæc Ioannes, & Paulus in Constantini olim Aula educati, atque honoribus aucti, à Terentiano Prætorianis Præfecto, quod Ioui sacra facere renuissent, intra domesticos parietes, tumultus vitandi causa, capite plexi sunt. verùm Dæmones, qui præter cęteros ipsius Præfecti Filium corripuerant, Ioannem, ac Paulum Terentiani gladio necatos euulgarunt. Terentianus tùm, admoto ad Martyrum sepulturam Filio, eoque à Dæmone vindicato, non Christianus modò factus est, sed ipsorum quoque Martyrum certamen conscripsit.

Gallicani, ac Ioãnis, & Pauli martyrium.

Terentianus & Gordianus

Marty. rol. 26 Iunij.

Haud absimili ratione Gordianum

Eccle-

Ecclesia lucrata est, qui ad Fidelium necem à Tyranno delectus, Christi Fidem amplexus, martyrium quoque adeptus est, *cuius certamen, aliorumque complurium non Romæ tantum, sed etiam in Gallijs, ac alibi apud Authorem hìc require.*

Optat. l. 2. Aug. cont. lit. Pet. l. 2. c. 97 & ep. 166. ad Donat.

Hoc eodem tempore Legati ex Africa à Donatistis Iulianum conuenere, patriam, à qua exulabant, ac Basilicas, quas amiserant, restitui sibi suppliciter postulantes. Iulianus, cui in optatis erat Christianos inter se committere, annuit illis perlibenter, & voti sanè compos factus est. Apostatæ namque muniti Rescripto factiosi Donatistæ maximas vbique turbas apud Africam excitarunt. quæ tum facinora ab His edita, quæ scelera patrata, cognoscere si libet, ex Optato require.

Donatistarũ turba.

Naz. orat. I Chrys. cont. Gent.

At Iulianus haudquaquam satis habuit Christianos per cõtemptum Galilæos appellare, sed lege quoque lata ab omnibus eodem appellari nomine imperauit. quam verò hæc ineptè, Nazianzenus, ac Chrysostomus eleganter differunt.

Socr. l. 3. c. 11 Amm. l. 25.

Christianis insuper ad bellum Persicum tributum imperauit, à quo tamen, qui Christiani esse desijssent, immunes forent. *hìc, quod sub huius anni initium Author tradiderat; rursum de nefaria Iuliani lege, ab ipsis*

quoque Ethnicis Scriptoribus improbata asserit, qua Christianos Homines à docendi munere inhibuit, Pueros quoque Christianos Græcorum disciplinis imbui. initum quoque ab eo consilium est multa Christianorum exemplo instituendi, quò suæ religionis cultores, ad meliorem frugem reuocatos, Christianis ipsis, si Deo placet, potiores redderet. *Amm. l. 25.* *Naz. orat. 1* *Soz. l. 5. c. 10*

Christiani à docẽdi munere inhibiti.

Terræmotus. Extremo demum hoc anno, ingruente iterum terræmotu, quæ superfuerant Nicomediæ ædificia, collapsa sunt, quo & Nicæa grauiter concussa est. *Amm. l. 22.*

Sequentis quoque initium prodigijs compluribus proximum Tyranni exitum demonstrasse visum est. libri insuper Sybillini Romæ inspecti, à Persico illum bello reuocabant, quibus, & si haud leuiter perturbatus, quod tamen mente fixũ hærebat Christianæ Religionis odiũ maximas quoque inter curas aluit. itaque illud Ei in mentẽ venit, vt in eam Iudæos, æquè alioquin inuisos, vtcumque armaret. data itaque facultas illis est, Hierosolymis Templum iterum extruẽdi, sumptibus ex regio quoque Fisco attributis, ijsdemque à vectigalium solutione liberatis. quo verò pacto ab incepto desistere coacti sint, non Christiani modò Scriptores, sed Ipse quoque Ammianus testatur, cuius hæc sunt verba *Chri. Ann. 363.* *Amm. l. 23.* *Iul. ep. 25.* *l. 23.*

Remolitio Tẽpli Hierosolymis.

verba postquam Alipio opus demandatum dixerat. *Cum itaque* (inquit) *idem fortiter instaret Alipius, iuuaretque Prouinciæ Rector, metuendi globi flammarum propè fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; hocque modo elemento destinatius repellente, cessauit inceptũ.* ignem porrò non semel erupisse, sed pluries, fabrilia verò instrumenta ad opus omnia absumpsisse, terræ quoque motum, ventumque, ac turbinem vehementem quæ iam erecta erant fundamenta, materiã insuper futuro operi comportatam disiecisse Naziãzenus, Chrysostomus, alijque eius ætatis Authores tradunt. cœptum opus fuerat tanto animorum ardore, vt concursu maximo Hierosolymam Iudæorum facto, Viri pariter, ac Mulieres, deficientibus ad conuehendam, auehendamque materiam cistis, alijsque huiusmodi instrumentis, siuu eam, ac vestibus, etiam magni precij importarent. Eædem porrò Fœminæ, quod Dauidis etiam tempore vsu venerat, ad operis sumptum, muliebrem mundum certatim impenderant. rem omnium ore testatam eius sæculi Authores omnes prodidere, quos rem fusius profequentes require. hac de re Danielis vaticinium D. Hieronymus interpretatur, *cumque corruerint, sublenabuntur auxilio paruulo,*

Miraculo inhibita

Naz. orat. 1 & 2. Chrisost. orat. 2 in Iud. Ruff. l. 1. c. 38 Theod l. 3. c. 17. Socr. l. 3. c. 17 Soz. l. 5. c. vlt Hier. in Dan. c. 11.

uulo, & applicabuntur eis plurimi fraudulenter.

Iuliani immane consilium.

Addunt alij Iulianum ira incensum, fortasse, quod magicis Christianorum artibus accepta hæc referret, aut in vulgus iactaret, ex congesta quæ superfuit, materie, sumptuque collato, Perfico bello confecto, Theatrum extruere cogitasse, quo Christianos Antistites, cæterosque Sacrorum Ministros, ac Monachos, bestijs laniandos traderet. *Oros. l. 7. c. 30*

Iuliani demẽtia.

Appetente iam Vere, lustratoque exercitu, in quo LXV. armatorum millia habuisse dicitur, consultisque Oraculis iam fausta omnia pollicentibus, Maximo quoque Philosopho Amicorum intimo, qui eum ad perfidiam pertraxerat, ad exitium impellente, eò dementiæ venit, vt, ex Pithagoræ figmentis, Alexandri Magni commigrasse in se animam existimaret; proindè, victoriæ spe certa elatus, Gentium plurimarum auxilia reiecit, præfatus, ex Romani Imperij maiestate non esse alienis viribus niti, cuius mos sit alijs potius subsidio esse. *Zosim. l. 3.* *Amm. l. 23.*

Armeniæ Rex Christianus

Armeniæ tantùm Regem Arsacem monuerat, cum copijs præsto esset, suaque iussa expectaret. licet autem datæ ad eum literæ non extent, ex Sozomeno tamen exploratum habemus, mira eas iactantia, Hostisque contemptu redundasse, insuper minacibus in *Soz. l. 6. c. 1.*

Ipsum-

Ipsum Arsacem verbis, &, quod Christianum Eum esse sciret. in ipsum ـــ, quoque Christum, refertas fuisse.

Zosim l. 3. Amm. l. 23.

Igitur Antiochia discedens, auarissimum Vrbi, ac Prouinciæ Præsidem volens reliquit. ex itinere insomnes agebat noctes commentarijs scribendis, & hi quidem non rerum tantum à se gestarum, ex Iulij Cæsaris æmulatione, fuere; verum etiam in Christianam Religionem, quos Cyrillus postea Alexandrinus refellendos susceperit. hos cum Hieronymus septem libris comprehensos dicat, Cyrillus verò tribus, ex diuersa id partione accidisse par est credere. meminit etiam de his Libanius, eosque Porphyrianis præfert. hìc quod in Libanij mentionem inciderimus, illud ex Theodoreto addendum. cum Is paulò ante Iuliani exitum, Christianum Hominem sibi ex studiorum consuetudine peramicum, per contemptum, interrogasset, ecquid tum Fabri Filius (Christum innuens) ageret? Ille haud cunctatus, *loculum*, inquit, *Iuliano construit*.

Iulianus Cõmentarios exitiales scribit.

Hier. ep. 84. apud Socr. l. 3. c. 19 Theod l. 3. c. 18.

Hominis per iocum vaticinium.

Sed Iulianum Ipsum prosequamur, qui Antiochia Hierapolim quinque ـــ diebus peruenit, hinc Batnas Osdroënæ Oppidum, vbi pro ostento habitum quinquaginta ipsos Calones, dum pabulum certatim præripiunt, immani palearum aceruo subsidente, oppressos interijsse, Edessam dein' præter-

tergessus, Carris substitit; vbi cum esset, specum subijt, inque eo execranda peregit Sacra: egressusque, ostio clauso, obsignatoque, Custodes insuper apposuit: Eo postmodum interfecto, speluncæ ostio reserato, inuenta est Mulier capillo suspensa, dissecto ventre, extractisque præcordijs, ex cuius iecinore, vt rescitum est, futuram Victoriam explorauerat. Post hæc Nisibin peruenit Romani Imperij ad Tygrim Propugnaculum, cuius præsidio grauis armaturæ militũ octo millia reliquit, dum eam interim, vt alibi monuimus, præcipuo exueret munimento, hoc est sanctissimi eius olim Episcopi Iacobi sacris Reliquijs. Cæterum antequam Nisibi discederet, Demetrium Monachum liberius in ipsius apostasiam obloquentem, duobus cum Socijs lapidibus obrui iussit; hinc, vt aiebat (quod Is Persa esset) victoriam de Persis auspicatus. Euphrate nauali ponte transmisso, Chtesiphontem, Hostium Vrbem munitissimam, accessit, quò loci, ducta per triginta fere stadiorum spatium ingenti fossa, ad tutiorem nauium stationem, aut commeatum, Tygridi Euphratem iunxit. cum autem Marti litaret, admoto Aris Tauro diutius obnitente, Deo grauiter succensens Homo leuis, atque inconstans iurauit numquam, postmodum ei se Sacra facturum. Tum verò

Infandũ Iuliani sacrũ.

Tygris Euphrati iungitur.

Iuliani in Martẽ indignatio

Cedren.

Amm. l. 24.

Naz. orat. 2 Chrys. orat. cont. Gent.

Herod l. 3. Iustin. l. 1. Amm. l. 25. Nicephl. l. 10 c. 34. Socr. l. 3. c. 18 Soz. l. 6. c. 2. Theod l. 3. c. 19.

verò acceſſiſſe ad Eum ferunt Virum inter Perſas non ignobilem, qui Zopyri laudem æmulatus, grauibus in Perſarum Regem offenſionis cauſis ſimulatis, eo cõmento fidem haud ægrè apud Iulianum inuenit; ita vt eius ſuaſu, quod vix credibile videatur, naues incenderit. ab Eo igitur circumductus, inque locis difficillimis deſtitutus, demens Imperator, tum demum fraudem agnouit, cum, deficiente commeatu, quò ſe reciperet, vbi conſiſteret, ignorauit. his itaque locorum, ac rerum omnium anguſtijs deprehenſus, Hoſtium copijs circumuentus, iniquam ſanè inire pugnam coactus eſt; in qua haſtili, incertum à quo excuſſo, vulneratus interijt. ferunt illum vulnere excepto, exclamaſſe, *vicisti Galilæe, vicisti.* Eius cædem eo ipſo, quo contigit, die, & Didymo Alexandriæ, & Sabæ apud Syriam, & D. Baſilio apud Pontum, tum cuidam in caſtra proficiſcenti, diuinitus reuelatã, veterum Scriptorum teſtimonio, conſtat.

Iulianus à Perſa deceptus.

Iuliani interitus.

Extinctus eſt Iulianus ſexto Kal. Iulij, cum ſexquianno paulò amplius imperaſſet.

Hic Author poſt multa de Tyranni moribus, atque exitu, ex Nazianzeni Orationibus in eum conſcriptis, recitata, quòd eas Gregorius dum Ponticas ſolitudines cum Baſilio coleret, commentatus ſit, complura etiam addit

de

de vtriusque ea in Eremo morum, ac vita institutione.

Decesserat per eos dies Musonius Neocæsareæ Episcopus eximiæ vir pietatis, ac doctrinæ. Ciuium studia, cum de Successore ageretur in Basilium omnia propendebant, tum quos eius dignitatis ambitio coquebat, Sabellij verò hæresim præseferebant, eaque iam magna ex parte populares infecerant, omni ope niti, vt Basilium ipsum prauorum dogmatum Sectatorem, rerumque nouarum (quod monastici instituti Author videretur) Authorem criminarentur. Basilius itaque, vt, non tam sibi, quam deceptis Neocæsariensibus consuleret, apologeticam ad eos Orationem scripsit, in qua multa de Monachorum austeriore vitæ ratione recensentur, non sine admiratione legenda. *Basil. ep. 62.*

Basilius in crimẽ vocatur.

Sed de Iuliani iam Successore dicendum. mira res: cum infensissimus Christianorum Hostis nihil optasset magis, aut sollicitius laborasset, quam vt æquè impium haberet Successorem, Christianosque ea de causa Duces, aut depressisset, aut summouisset, diuina tamen prouidentia factum, vt totius exercitus suffragijs, altero à Iuliani obitu die Christianus Imperator acclamatus sit. Is Iouianus fuit Singidone in Pannonia natus non prijs solùm meritis, sed paternis etiam clarus, *Amm. l. 25. Suid. in Iouiano. Theod. l. 4. c. 1 Ruff. l. 2. c. 1. Sozom l. 6. c. 3 Socr. l. 3. c. 19*

Iouianus Imp.

clarus, quique, vt alibi dictum meminimus, Christianam Religionem, vel cum Tyranni indignatione, professus anteà fuerat, quò magis militum pietatem admiremur. Sed neque Iouianus delatum à militibus Imperium statim arripuit, sublimiori nāque ab ijs tumultuariè extructo Suggesto constitutus, causatus se esse Christianū. Ethnicisque Hominibus imperare haud posse, vel, si maximè posset, nolle; concordi militum clamore responsum est, *ne metue optimè Princeps, Christianis imperabis.* nemo sanè inficiabitur, Ethnicos Milites, ac Duces, ex quibus fuisse non paucos licet credere, ægrè huiusmodi electionem pertulisse, de quibus, quæ de exercitus, ex tumultuarijs Comitijs, mœrore, ac lacrymis Ammianus, Ethnicus author, tradit, haud dubiè sunt intelligenda. quamquam Ammianus in alijs multis apertè mendax deprehenditur; cum Iouiano, quem Christianum fatetur, profana Sacra, extorumque inspectionem tribuit; inque Eum conjecti ea in discrimina exercitus culpam iniquè admodum, atque impudenter, ne dicam stultè regerit: quemadmodum & pacis conditiones inhonestas, quarum rerum infamiam ad Iuliani leuitatem (quā ipse idem Ammianus notat) atque imprudentiam pertinere quis neget.

Iouiani, ac militū pietas.

Ammianī calumnia in Iouianum.

Cęterum ad Imperium euectus Iouia-

uianus nihil potius habuit, quam vt proscriptos, Religionis causa, Duces, ac milites reuocaret. reuocatus in primis est Valentinianus, & in pristino militiæ gradu constitutus, qui ad Imperium postea sublatus est. Sanctissimas dein' leges nouus Augustus promulgauit, quibus & Ecclesijs tributum à Constantino congiarium conferri iussit, & sacratas Deo Virgines ad matrimonia quacumque ratione cogi, ne dum rapi vetuit. Episcopos tum exules, Athanasium in primis, Ecclesiæ quemque suæ restituit. eidem que Athanasio scripsit, cupere se ab Eo rectæ Fidei sententiam edoceri. igitur Athanasius coacto Prouinciali Episcoporum Concilio, collatoque cum Ijs studio, atque opere, libellum de Fide Augusto nuncupauit, qui inter Athanasij opera cum extet, *ex eo ab Authore desumptus hic legitur.*

Leges à Iouiano edita.

Concilium Alexãdrinũ.

L. 6. d. Epis. & Cler. L. 1. & 2. de rapt. vel matr. C. Th. Socr. l. 3. c. 20

Porrò qui Macedoniani dicebantur, haud segniter & Ipsi obuiam Iouiano ex Perside redeunti, facti, suæ fidei libellum porrexere; cum res ex voto non processisset, non Ipsi modò, verum etiam Acaciani animos tum quidem desponderunt, ipsoque Authore Acacio, vt tempori inseruirent, Nicænam Fidem, in quam Augustus toto animo propenderet, libello edito, profitentur. id Antiochiæ peractum est, cogente inibi Concilium Meletio,

Theod. l. 4. c. 4 Socr. l. 3. c. 20 & 21. Soz. l. 6. c. 4.

Concilium

cui

cui XXVII. Episcopi interfuere. *Synodalem vero epistolam ad Iouianum datam hìc apud Authorem habes, cui Episcoporum omnium nomina adscripta leguntur.* *Antiochenũ.*

Cæterum Iouianus ex Persìde redux Antiochiæ substitit, ad quem Athanasius, nouis calumnijs oneratus, accessit, quæ, perspecta inimicorum fraude, in eius statim gloriam cessere. enimuerò, vt sunt Antiocheni dicaces, quemadmodũ Iulianum dicterijs perstrinxerãt, ita nequè Iouiano pepercerũt, illum à procera præsertim statura, à qua verius cõmendassent, liberius deridentes. quamquàm non *h*letantum, vt sic dixerim, dicta in Eum, ac scripta condiebant, sed conuiciorum quoque veluti felle adspergebant. nec mirum, cum Ille interim & claudi Idolorum Templa, & verò etiam incendi iusserit; cum præsertim in illorum adytis cæsas à Iuliano humanas victimas, quod Carris quoque factitauerat reperisset. *Iouianus Abantiochenis deridetur.* *Suid. ver. Iouianus.* *Nicephl. 10. c. vlt.* *Socr. l. 3. c. 20* *Iouianus Idolorũ Templa incendi iubet.*

Chri. Ann. 364. *Amm. l. 25.* *Soz. l. 6. c. 6.* *Socr. l. 3. c. 22* *Eutr. l. 10.* Antiochia postmodum cum recessisset, ipsis Ianuarij Kalendis Ancyram simul Galatiæ Vrbem, & Consulatum iniit Collega sibi adscito paruulo Filio, ex Auiti nomine, Varroniano. Peruenerat Adastanã finitimum Galatiæ, Bithyniæque Oppidum, cum XIII. Kal Martias nocte intempesta, seu cruditate stomachi, siuè ex recenti cubiculi tectorio, grauique prunarum va- *obitus.*

pore

pore exanimatus est, adepto Imperio clarior, quam gesto.

Valentinianus Imp.

Progressæ Nicæam Copiæ, Comitijs ibidem habitis, Valentinianum, ob Religionem ab Iuliano olim, vt diximus, Tribunatu motum, & absentem quidem, nam Ancyrę sequuturus substiterat, Imperatorem dicunt. Is haud ita multò post, Constantinopoli cum iam esset, Valentem Fratrem Imperij Collegam assumptum Orienti præposuit. Cæsarium verò, de quo alibi meminimus Nazianzeni Fratrem Quęstorem simul, ac Comitem rerum priuatarum dixit. quod autem Germani, Sarmatæ, alijque ad Septentriones Populi Romani Imperij Prouincias infestas haberent, ad eorum conatus reprimendos exercitum Valentinianus duxit. Interim Procopius, qui Iuliano sanguinis affinitate iunctus erat, Imperium cum inuasisset, à Valente ægrè tandem debellatur.

Aur. Vict. Socr. l. 4. c. 1 Amm. l. 26. Nicephl. l. 11 c. 1.

Valentē fratrē collegam creat.

Valentiniani religio.

Iam quod ad res Ecclesiasticas spectat, Orientis Episcopi cōplures, Valentinianum Legatione ad Eum missa, rogant, Concilium à se cogi permittat. Ille sibi non licere, dixit, rerum diuinarum tractationem vsurpare, proindè Ipsi statuerent quicquid proficuum Rei Christianæ existimarent. eo accepto responso, Concilium Lampsaci celebrandum indicunt, quod non nisi sequenti anno coactum est.

Soz. l. 6. c. 7. Socr. l. 4. c. 3.

Ipso

L. 7. & 9. de Malef et Mat L. 6. de Med. & profess C. Th. Eunæ. Vit. Philos.

Ipso autem sui Imperij exordio ambo Augusti, quamuis Idolorum cultum, qui Iuliano Principe radices altius egerat, lege lata permiserint, nocturna tamen Sacra vetuerunt. tum quos Iulianus à docendi munere Christianos, vt diximus, arcuisset, dato ad Mamertinum Rescripto, reuocarunt. At Valens Maximum Philosopum impium Iuliani Præceptorem, asperrimis subiecit quæstionibus, capite quoque mulctasset, ni Clearchus Asiæ Proconsul interceßisset. illud Eunapius narrat memorandum; cum Maximus impar cruciatibus ab Vxore venenum postulasset, attulit illa, tum prior Viro propinauit, statimque exanimata est: Maximus animo consternatus potius, quam erectus, Fœmina infirmior, sumere illud non est ausus.

Ludi magistri docendi munus resumunt.

Chri. Ann. 365. Soz. l. 6. c. 7. Socr. l. 4. c. 4. Basil. ep. 72. 79. & 82.

Valentiniano, ac Valente Augg. Cos. Lampsaci Concilium celebratum est, quod quamquam contra Arrianos indictum; cum in eo haudquaquam Nicæna Fides, sed Antiochena, de qua sæpius meminimus, firmata sit, Semiarrianos potius quam Catholicos interfuisse, affirmare necesse est. quod à Sozomeno, ac alijs nequaquã animaduersum, Basilium tamen minus præterijt. ex His igitur, qui Lampsaci conuenerant, Hi præsertim, qui Catholicis adnitentibus exulabant, cum probè scirent numquam se cum

Catho-

Catholicis in gratiam redituros, rerumque gestarum approbationem à Liberio Romano Pontifice assequuturos, nisi alijs omnibus reiectis, Nicænam Fidem amplexi essent; eam simulatè professi, Legatos cum literis ad Liberium destinant, cui haud ægrè ea ratione imposuerunt. itaque & literas, quas Pacificas, & Communicatorias nominant, ab Eo impetrarunt, & mandata insuper Apostolica quibus proprijs Sedibus restituebantur. stabilita, vt videbatur, Ecclesiæ vbique concordia, certiores ea de re facti Imperatores, literas veluti gratulatorias ad Orientis Episcopos dedere, ex quibus sincera Valentis quoque tum Fides, qui posteà Arrianos sequutus est, haud dubiè perspicitur. Legati porrò à Liberio dimissi, Thianæ, Vrbe Cappadociæ, Episcopis compluribus coactis, eiusque literis, ac mandatis perlectis, visum omnibus est primæ Sedis authoritate proscriptos Episcopos restitui.

Concilium Thianense.

Soz. l. 6. c. 12 Basil. ep. 68. 73. 74 & 82.

Eodem hoc anno terræmotus quales antea numquam extitissent, Orbem propemodum vniuersum concussere: porrò maria ita intumuere, vt mortales innumeros, ipsasque adeo Vrbes hauserint, ac littorales oras ad multa passuum millia obduxerint. Epidaurij, Vrbis excidium metuentes, Hilarionem, qui Ægypto profugus, apud

Terræmotus.

Hier. in chron. & in Isaiã, ac in vita S. Hilarionis.

Ipsos

Amm. l. 26. Soz. l. 6. c. 2. Nicep. l. 10. c. 35. Oros. l. 7. c. 32

Ipsos diuerterat, agmine facto ad litus perducunt aduersus vndarum impetum quasi obicem statuentes. Is tribus in arena Crucibus efformatis, dein' elata, imperantis in morem, dextra, diutius in gradu perstitit: mirum dictu, Mare ante Eum altius intumescēs, ac veluti in obstantem fremens, paulatim demum in se relabens, quasi dicto audiens, conquieuit. rei fama cum iam vicinas Vrbes peruasisset, Hilarion breui Lembo clàm nocte abscessit, ac post biduum onerariam nactus, in Cyprum delatus est, non tam maris impetum, quam laudum humanarum fluctus expaueſcens.

S. Hilarionis miraculum.

Multas hoc eodem tempore salutares leges Augusti Fratres promulgarunt, quas in Codice Theodosiano descriptas require.

Chri. Ann. 366. Amm. l. 27.

Hoc demũ anno huius sæculi LXVI. à Valente Procopius victus, dum fugam paucis cum comitibus capessit, ab ijsdem vinctus Augusto traditur, eiusque iussu capite mulctatur. Eiusdem Cognatus Marcellus Tyrannidem post Eum occupat omine haudquaquam meliore; quippè à Valentis Ducibus victus, captusque, ac diù tortus, demum occiditur.

Ciuili perfunctus bello Valens ex ternum aduersus Gothos, qui Thraciam peruaserant, suscepit. id triennio gestum, pace demum per Hostes

Bellũ Gothicum.

stes petita, peractum est.

Valẽs Arrianus fit.

Verum antequam huic se bello implicaret, Sacro Baptismate initiari voluit, quod tamen ab Eudoxio Arriano Homine, qui Byzantij Sedem inuaserat; suscepit, à quo Arrianam edoctus perfidiam, iureiurando adstrictus est, in ea se Fide permansurum, aduersæ verò Fidei Sectatores omni ope, ad susceptum à se dogma impulsurum. ea res Catholicos Antistites ad futurum bellum quasi classicum excitauit; Gregorium quoque, ac Basilium è tranquilla Eremi statione in altum veluti pelagus euocauit. erant sanè iam omnium de Eis querelæ, quòd, neglecta Dei Ecclesia, suæ tantum salutis memores, rationem aliorum nullam haberent. in Gregorium aliæ insuper à Patre querimoniæ, qui Nazianzi Episcopus cum esset, impar senilibus humeris onus deponere cogebatur, quæ fuit causa, cur Gregorius aliquanto ante ipsum Basilium ex Eremi vmbra veluti in arenam prodiret.

Basilius, & Nazianzenus ex Eremo prodeunt.

Naz. ep. 4. et apol. 4

Ep. 19 & Orat. de Laud. Basil.

Valẽtinianus II. nascitur.

Hoc eodem anno Filius alter Valentiniano nascitur ex Iustina Arriana Fœmina Valentinianus, & ipse, appellatus.

Liberij Papæ obitus.

Liberius interim moritur exacto Pontificatus anno XV. Huius authoritate Ioannis autem Patritij impensis non sine diuino monitu, atque ostento extructam fuisse constat ad Liuiæ

Chri. Ann. 367.

Ma-

Macellum in Exquilijs præclaram Basilicam, quam ad Præsepe dicimus, quæ postea sæpius instaurata, hac demum ætate à Sixto V. ac Paulo item V. Summ. Pont. sacellis splendidissimis, Obelisco, ac magnæ molis Columna, mirum in modum illustrata visitur. *Templum S. Mariæ Maioris.*

Liberio sublegitur Damasus, quamquam non sine schismate per Vrsicinum posteà conflato, atque adeò non sine cæde. nam, si Ammiano fides habenda sit, studio partium concertatione ipso in Templo orta, cæsorum numerus ad CXXXVII. peruenit. *Damasus Papa.*

l. 27. Hier. in chron.

Subindè Valentinianus febri haud semel tentatus, Gratianum Filium tum primùm pubescentem Collegam assumit. porrò cum de Valentiniani, in adulteros præsertim, seueritate, non sine crudelitatis nota multa ab Authoribus, Ammiano in primis, tradantur, illud D. Hieronymus scribit admirandum, Mulierem adulterij falsò, vt creditum, delatam, septies ab vno, atque altero Carnifice ictam, confici tamen haudquaquam potuisse. *Gratianus Imp.* *De muliere mirũ.*

Ruff. l. 2. c. 10

l. 27. Hier. ep. 49.

Cum interim Orientem pæne vniuersum fames ignes vexaret, Basilij apud Cappadociam pietas, ac dicendi vis maxima, enituit, qua effecit, vt horrea locupletiores aperirent, egentesque haud grauate alerent. Byzantium insuper, & finitima ei Vrbi loca inusitatæ magnitudinis grando, non abla-

Naz. & Nis. sen. de Laud. Basil. Hier. chron. Naz. *Fames ac grãdo.*

tis modo frugibus, sed iumentis pariter, atque hominibus cæsis, vastauit. *de pla. grad.*

Nouus annus Augustos Fratres secundùm Cos. habuit. tum verò Valentiniani rescripto, Prætextati Vrbis Præfecti authoritate, pulso Vrsicino, schisma Romæ sublatum est, quod tamen haud semel posteà reuixit. Chri. Ann. 368.

Mogũtia direpta. Moguntia nobilis etiam tum Germaniæ Vrbs, suam, & ipsa, cladem experta est: quippe Ragalifrandi latronum Ducis fraude capta, Ciuibus promiscui sexus miserè trucidatis, rebus omnibus spoliata est. *Amm l. 27.*

Terræmotus. Sed & Oriens rursum terræmotibus latè concussus, Nicæa funditus euersa. erat eadem in Vrbe Cæsarius Nazianzeni Frater Quæstorem Principum agens, qui diuino planè miraculo, paucis ex Ciuibus superstitibus, cladem euasit. verùm qui terræmotui superfuerat, vim morbi postea non effugit. ea verò cum pietatis, ac sanctimoniæ fama decessit Vir alioquin Aulæ obsequijs, ac publicis Præfecturis implicatus, vt illius obitus memoria Ecclesiasticis tabulis adscripta annua celebritate recolatur. extant tanti Viri Dialogi de anima: alia præterea multa scripsisse author est Suidas. *Hier. Chr. Socr. l. 4. c. 10 Naz. de Laud. Cæsar.*

Donati obitus. Hoc tempore, Donato Carthaginensi Pseudoëpiscopo vita functo, eandem pestilentię Cathedrã ascendit Parmenianus, aduersus cuius in rem

Ca-

Catholicam deliramenta, Optatus Mileui apud Numidiam Episcopus stilum acuit. Ticonius quoque ex eadem Donatistarum disciplina, sed tamen haud paulò cordatior, in Parmenianum inuectus est, quem, datis ad eum prolixioribus literis, Parmenianus idē paternè quasi monitum voluit. itaque cum postea Diuus quoque Augustinus Parmeniani mendacia sibi impugnanda suscepisset, aduersus eaſdem præcipuè literas egit.

Chri. Ann. 369. Olibrio, Viro clarissimo, Vrbanam Præfecturam gerente, nouæ turbæ à seditiosis Vrsicini Assectis excitatæ sunt. igitur factiosi Homines nouo Principis rescripto intra vigesimum ab Vrbe lapidem conuentus agere vetiti; non parentes, graui mulcta coerciti sunt.

Hilar. cont. Auxent. Cæterum Valentinianus, Alemanico confecto bello, Mediolanum reuertitur. Hilarius Fidei zelo æstuans, veritus, ne Auxentius eius Vrbis Episcopus Arrianus religiosum Principem pestifero veluti afflatu corrumperet, quem iam propensiori in illum esse animo cognouisset, Mediolanum accedere, Augustumque coram de praua Auxentij doctrina admonere non dubitauit. audita igitur Hilarij accusatione, causæ cognitio Quæstori, ac Magistro demandata est. Auxentius Fidei libellum ambiguis conceptum

Valētinianus Mediolani.

Hilar. in Auxentiū accusatio.

verbis, atque sententijs ita concinnauit, vt rectæ Fidei assertor, quantumuis reclamante Hilario, & fraudem subesse demostrante pronunciatus sit, Hilario ipso veluti calumniatore excedere Vrbe iusso. *rem Author hic fusius eorundem Hilarij, atque Auxentij recitatis libellis, recenset: tum de Hilarij stylo, librisque editis non pauca addit.* Auxentius porrò arte, qua diximus, victoria de Hilario parta, in Eusebium quoque Vercellensem, ac Philastriũ Brixiensem Episcopos, aliosque, apud quos malè se audire sciret, gratia, qua iam apud Augustũ plurimùm pollebat, nixus, inuehi cæpit. res eò deducta est, vt Romani Pontificis authoritate opus fuerit. igitur Damasi iussu coacto Romæ Concilio, Athanasio quoque adnitente, Auxentius damnatur; eoque postmodum præiudicio, alijs quoque in Prouincijs Hæreticus appellatur.

Auxẽtius dãnatur.

Athan. ep. ad Afric.

Per idem tempus Ambrosio Romano Ciui spectatissimo, ab Anicio Probo Prætorio Præfecto, Insubria, Liguria, atque Æmilia, cũ Insignibus Consularibus traduntur regendæ. ferunt à Probo proficiscenti in Prouinciã Ambrosio, vaticinio veluti quodam, additum. *vade, age, non vt Iudex, sed vt Episcopus.* erat tum annorũ Ambrosius triginta sex, quinquennio post Episcopus factus, vt suo loco dicturi sumus.

Ambrosius Insubriæ præficitur.

Hoc

L. 20. quorũ appell. C. Th.

Hoc eodem anno, Augustorum ad Claudium Rescripto, Cronopius Episcopus, quod ab Episcopis in Concilio damnatus, ad sæculare Tribunal appellasset, pecunia pauperibus erogãda, mulctatur. cuius Sanctionis Ambrosius ad Valentinianum Iuniorem scribens meminit.

Episcopus ad laicũ Tribunal appellans mulctatur.

Ep. 32

Naz. ep. 21. et seqq. et ora. de Laud. Basil.

Sed iam quæ apud Orientem hoc anno sunt gesta prosequamur. obierat per idem tempus Eusebius Cæsareæ apud Cappadociam Episcopus; ergò omnium statim vota in Basilium propendent: Is Ciuium conspiratione animaduersa, fugam arripuit: ita tamen, vt anxia cura teneretur, ne eam Ecclesiam prauis moribus, aut doctrina quispiam occuparet. scripsit itaque ea super re ad Gregorium, qui, non tam quid Basilius cuperet, quam quid ex Ecclesiæ illius bono esset, animaduertens, Patris nomine, qui cum prouincialibus Episcopis Cęsaream vocatus, ægritudine, ac senio confectus, adesse haud poterat, literas ad Cæsarienses dedit, quibus Eos summoperè hortatus est ad Basilium eligendum; suum interim calculum in eius electionem conferens. veritus nihilominus, vt literæ satis essent, optimo Parenti Author fuit, vt vitæ quoque discrimine posthabito, Cæsaream Ipse ad Comitia accederet. Senis aduentu omnium animis confir-

Episcopatum Basilius fugit.

Basilius eligitur Episcopus.

matis, pulsoque metu, quem Prouinciæ Præses Arriani Principis veluti Interpres intentauerat, omnium cum plausu Basilius eligitur. eo in gradu collòcatus, quem in bonarum artium studijs, tum in Eremi secessu Socium habuerat Gregorium, curæ quoque pastoralis participem effecit.

Armeniæ Regis infortunium.

Hoc demum anno, redempta per Athanaricum pace, Gothicum bellum finem accipit. quo tempore Armeniæ Rex Arsaces, de quo alibi meminimus, Saporis Persarum Regis captatus insidijs, simulata pace, conuiuio adhibitus, per summam perfidiam effossis primùm oculis demùm trucidatur. *Amm. l. 27.*

Valentis persequutio.

Gothico perfunctus bello Valens, cum tertium vna cum Fratre iniisset Consulatum, diram in Catholicos Antistites persecutionem excitat. quippè, edicto promulgato, iubet Episcopos omnes à Constantio proscriptos, à Iuliano restitutos, iterum exturbari, quasi hoc pacto Illius Religioni æmulari, Huius se auersari impietatem, testatum vellet. eius edicti authoritate Ægypti Magistratus Athanasium pellere cum voluissent, Populi concursu facto, inhibiti, quod Is edicto comprehensus nequaquam videretur, cum Iuliani quoque temporibus exulasset. certior ea de re factus Valens, seu quod amplissimæ Vrbis seditionem pertimesceret, seu quod Athanasium Chri. Ann. 370. *Soz. l. 6. c. 12*

Populi in Athanasium studia.

nasium insignem pietate, ac doctrina Virum reuereretur, manere permisit. *aliorum compluriũ deportationes, quas Author stylo persequitur, apud eum require.* illud nequaquam est prætereundum; cum, legatione ab Ortodoxis instituta, octoginta Ecclesiastici ordinis Viri Tyrannum adiuissent, de Arrianorum vi, atque sæuitia expostulaturi, eius iussu, vt seditiosi, damnati, naui impositi, ac in altum delati, incensa naui, ad vnum omnes ambusti sunt. porrò de Arrianorum sæuitia, ac sceleribus testatur abundè Nazianzenus. At Valentis in Legatos facinus detestandum, sequuta est Orientis clades ex maxima annonæ caritate.

Soz. l. 6. c. 13 Socr. l. 4. c. 13

Legati naui incẽsa comburuntur.

Naz. orat. ad CL. Episcopos, & ad Arrian.

Catholicorum apud Orientem misertus conditionem Damasus Rom. Pont. Zenobium, qui postea Florentiæ Episcopus fuit, Constantinopolim misisse traditur. Is, patratis etiam miraculis, qualemcumque vexatis Ciuibus opem cum tulisset, ad Damasum reuersus, maioris id molis opus esse testatus est, quam vt obita à se legatione posset absolui.

S. Zenobius Florentiæ Episcopus.

Hier. in chron. Apud Sur. 25. Maij.

At Valens, qui Nicææ aliquandiu substiterat, Antiochiam petiturus, venit Cæsaream. hìc Basilium minis interritum, proscribere cum decreuisset, exilij sententiam subscribere, rupto non semel calamo, dextraque obrigente, nequaquam valuit, itaque &

Valẽs Cæsareæ. Subscribere in Basi-

Naz. de Laud. Basil. Theod l. 4. c. 17.

liũ nequit. Galates Valentis filius.

chartam laceraſſe traditur. ad hæc grauí ægritudine Filio Galate correpto, Baſilij opem volens nolens implorare coactus eſt. verum qui ad Baſilij preces conualuerat, accedentibus poſtea Arrianis, illumque ſacro Baptiſmate abluentibus, Puer interijt. *Socr. l. 4. c. 11*

Baſilij & Ephræm cõgreſſus.

Sub idem, vt putatur, tempus Sanctus Ephræm, ex diuina reuelatione Baſilium adijt. de quorum congreſſu, rebuſque tum geſtis ipſum S. Ephræm conſule. illud nonnulli addunt, eam tum Illum, Baſilij precibus, à Deo gratiam impetraſſe, vt, Syrus græci ſermonis infcius cum eſſet, græcè tamen loquentem Baſilium intelligeret. *Ephr. de Laud. Baſil.*

Aliam verò Baſilij cum Euſebio Auguſtæ Auunculo, eam Præfecturam gerente, concertationem Gregorius narrat, quem tu conſule. *Naz. de Laud. Baſil.*

Eadem porrò contentione, qua Cæſareæ Baſilium, Meletium Antiochiæ Tyrannus exagitauit, quem trigeſimo ab acceſſu in eam Vrbem die exilio mulctauit, ferunt, curru cum abduceretur, Præſidem, quo cum vehebatur, ſaxis à tumultuante Populo appetitum, à Meletio ipſo contectum pallio ægrè incolumen euaſiſſe. *Niſſen in fun. Melet. Socr. l. 4. c. 14 Sozom l. 6. c. 18.*

Permulti hoc tempore inſignes Viri, dicendi libertate, editiſque miraculis, Tyrannum à ſæuiendi in Catholicos ſtudio deterruerunt. Hi fuere, Aphraates, ac Iulianus Saba, ex Eremi cul-

Theod l. 4 c. 26. cultoribus, Flauianus, ac Diodorus, ex Meletij disciplina Clerici. aliorum verò nomina, atque res gestas, qui hoc eodem tempore, magna cum sanctimoniæ fama Syriæ solitudines incolebant, ex Theodoreto pete.

Socr. l. 4. c. 27 Soz. l. 6. c. 36 Ferunt Valentem furore in Catholicos percitum, Themistij Oratione ad eum habita, siuè, vt alij tradunt, libello ei nuncupato, ad meliorem mentis statum reuocatum; oratio sanè illa, aut libellus non extat, in eo tamen argumento eum versatum fama est, vt ad diuinæ maiestatis commendationem spectare diceret, si de Deo homines, quem mente assequi nequirent, diuersa admodum opinarentur. apud Ethnicos porrò longè plures de Dijs esse dissidentes inter se sententias, quam apud Christianos. *Themistij Oratio Valentē placat.*

Amm l. 29. Cæterum non tantum Catholici, verum etiam Ethnici, hi præsertim, qui Philosophi nomine censebantur, Valentis sæuitiam experti sunt. pertæsi etenim Christianum dominatum, curiosius, malis etiam artibus futurum Principem inuestigauerant: & iam se nomen magna ex parte assequutos euulgauerant; sortes quippè edidisse, hisce primis literis, seu elementis constare THEOD. igitur malo suo, ac aliorum fato ea deliria commenti sunt, diræ namque de His habitæ quæstiones sunt, mortique addicti huiusmodi *Philosophorum à Valēte vexatio.*

Admirandi generismul torum infortuniũ.

Coniectores tanto numero, vt Sozomenus scribat omnes propè Gentiles Philosophos fuisse extinctos; neque Hos tantum, sed ex His quoque complures, qui infausto tum quidem *Theodori, Theodoli*, aut ijs persimili nomine appellarentur, tanto omnium terrore, vt innumeri huiusmodi appellati nomine, illud mutauerint. porrò Theodorus quidam inter Principis Satellites forma, ac natalibus conspicuus, in quem tamquam Idolorum cultorem, Coniectorum, quos diximus, non tam fortes, quam vota respiciebant, Valentis iussu igni est traditus. Hunc Gallum genere fuisse Ammianus scribit. de alio Theodoro Siculo eadem ex causa supplicio affecto D. Chrysostomus meminit. tum de Theodosiolo Socrates, quod, patricij generis cum esset, Imperio idoneus videretur, ab vsque Hispania adductum, ac morte mulctatum tradit. de Theodosio postea Augusto, ac Patre, insigni vtroque Duce, opportuniùs infra sermo erit. Cæterum ex Philosophis inter fectis, celebriores fuere Maximus, de quo sæpius meminimus, Hilarius, Simonides, Patricius Lidus, Andronicus ex Caria. ab hac clade immunis fuit Themistius, quod Is solidæ philosophiæ sectator esset, à magicis verò artibus abhorreret. eadem ex causa magici omnes libri diligentius perquisiti,

L.6.c. 35. Amm. l. 29.

Ep. ad vid. Iunior Socr. l. 4. c. 15

Philosophi occisi.

Ad ann. Christi 373. Zosim l. 4. Eunap. in vit. Philos.

Libri magici cremati.

L. 6. & 8. de

Malef C. Th. fiti, crematique sunt. huc spectant leges hoc anno ab Augustis editæ, quæ in Codice Theodosiano leguntur.

Per idem tempus Athanaricus Gothorum Rex, Christianos, qui in ipsius ditione erant, aggressus diris supplicijs Fidei causa affecit, donec intestino exorto bello, regni parte à Phritigerne spoliatus est: qui tamen prælio ab Athanarico victus, auxilium à Valente petijt, quo impetrato, commissoque prælio, victoria potitus est. beneficij proindè memor, eam se maximam Valenti gratiam relaturum existimans Arrianam Fidem amplexus, eandem, vt subditi quoque sibi Populi reciperent author fuit.

Hier. in chron. Oros. l. 7. c. 7 Aug. de Ciu. Dei l. 18. c. 52.

Hoc eodem anno lata ab Augustis lex est, qua Clericis, ac Monachis hæreditates, donationes, ac legata percipere est vetitum, nisi ad eos iure sanguinis alioquin spectarent; earn porrò Damaso Ipso adnitente fuisse promulgatam, conijcere ex eo licet, quod Romæ in Ecclesijs lecta perhibetur. queruntur sanè Hieronimus, atque Ambrosius non tam de lege parum enimuerò æqua, quam de legis causa, hoc est de multorum auaritia, quorum culpa omni æuo factum est, vt iniquè admodum totus Ordo traducatur. sanè ab vsque Apostolorum temporibus inuenti sunt, qui ex Euangelio quæstum facerent, de quibus

L. 20. de Ep. & Cle. C. Th. Hier. ep. 2. Ambr ep. 31. 1. Cor. 9. 1 Tim. 6. 2 Tim. 3. Tit. 1.

Lex in Clericos, ac Monachos.

Paulus haud semel meminit.

Hac quidem lege Viduis, ac Pupillis consultum se voluisse Augusti testantur, honestius tamen per aliam id præstitum, qua à Plebis censu vtrique exempti sunt. *L. 6. de Cens. C. Th.*

Lex de disciplina Scholasticorũ

Inter laudabiles Valentiniani Sanctiones ea quoque numeranda est, qua eorum moribus, ac disciplinæ consultum voluit, qui Romam bonarum artium addiscendarum causa accederent. ad quam respexisse visus est Augustinus, dum se idcirco Romam Carthagini prætulisse ait, quod hìc fœda, ac intemperans Scholasticorum licentia vigeret, illic, ex legum præscripto, pacatiora essent omnia. *L. 1. de stud. liber. C. Th. Aug. Cõfess. l. 5. c. 8*

Cõmẽtũ de Valentiniani bigamia

Nunc quando de Valentiniani legibus sermo est, nequaquam dissimulare licet, quod Socrates tradit, Eum Iustinam, ex intemperanti libidine viuenti adhuc Seueræ Augustæ superinduxisse, lege insuper sanxisse, vt cuique liceret vxores simul duas habere. Sed hoc purum putum esse commentum, ex eo constat, quod apud Ammianum, ac Zosimum eius temporis Scriptores, & Christianis Principibus parum æquos, non solum ea de re mirum silentium, sed ab ijs potius Valentinianus à castitate plurimum commendatur. quod si eius legis author fuisset, nonne Caligula, Commodo, atque Heliogabalo turpior *l. 4. c. 26. Amm l. 30. Zosim l. 4.*

pior fuisset? passus ne vmquam fuisset Damasus Christiana ipsa præcepta hac lege violari? tacuisset de ea Theodosius, qui paucis post annis hoc Iudæis vetuit? sed & illud Socratis oscitantiam arguit; virginem enim Iustinam fuisse tradit, quam Magnentij Vxorem fuisse exploratum est.

L. 7. C. de Iudæis.

Chri. Ann. 371. Nouus annus Gratianum iterum, & Anicium Petronium Probum Consules habuit. Ampelium verò Vrbi Præfectum, Vicarium Maximinum, ad quos hoc anno duplex extat Rescriptum trium Augustorum de Vrsicini, qui in Galliam fuerat relegatus, reuocatione, vetito nihilominus ad Vrbem, ac suburbicanas (vt verba habent Rescripti) Regiones accessu.

Vrsicinus reuocatur.

L. 10. de Malef. C. Th. Ad eundem quoque aduersus Maleficos Senatores rescriptum est, qui Maximino Iudicum seueriſſimo, inuestigandi, puniendique sunt traditi.

Amm. l. 28. Basil. ep 12. & 52. Cæterum apud Orientem Athanasij, ac Basilij opera factum, ne Catholica omninò Fides pessum iret. adiumento quoque fuit Damasus Romanus Pontifex, qui receptis ab Athanasio, ac Basilio Legatis, paternè ad Eos rescripsit, collaudata eorum opera, ac Orientalium Ecclesiarum ferè omnium sollicitudine. Ecclesiæ tamen Hostibus id agentibus, factum est, vt Basilius calumnijs appetitus, apud multos, ipsumque adeò Damasum,

Athanasij, ac Basilij laus.

sum, in suspicionem parum sinceræ doctrinæ, initæque cum Hæreticis societatis, venerit. *rem ex Basilij ipsius literis, aliisque documentis fusè admodum ab Authore traditam, ex ipso petendam relinquimus.*

Basilij cũ Gregorio contẽtio.

Basilio interim, cum Gregorio quoque amicissimo sibi Homine, orta contentio est, Gregorio pertinacissimè Sasimorum Ecclesiæ Præfecturam à Basilio demandatam detrectante. *quam ad rem Author tũ alia multa, tum elegantissimos ipsius Gregorij Iambos, eodem metro latinè redditos, affert.* *Greg. Naz. in car. de vita sua. Theod l. 4. c. 16.*

Edesse norum in fide constãtia.

Sed iam ad Valentem redeamus, qui Antiochia Edessam cum venisset; ira pariter, ac mœrore affectus est vehementer cum cognouit eius Vrbis Ciues, Arriano à se dato Episcopo solitario destituto extra Vrbem, de rebus diuinis Conuentus agere frequentissimos; itaque & Vrbis Præsidem acriter, quod non vetasset, increpitum, pugno in os impacto, cecidit, & fustibus, ferroque disijci multitudinem à militibus imperauit. at animo concidisse ferunt, cũ Ei nunciatum est, Populum, qui conuenerat, ad militum incursum non solum non diffugere, sed alios insuper, qui tum aberant, quasi ad palmam, accurrere. proindè reuocatis, quæ dederat, mandatis, in Ecclesiæ tantum Ministros iram conuertit; octoginta ex His in Thraciam rele-

Socr. l. 4. c. 14 Soz. l. 6. c. 18

relegatis, quò dum abducerentur, ab Oppidanis vulgò obuiam prodeuntibus, vt Fidei Athletæ, honorificentissimè excipiebantur; qua etiam de re certior Tyrannus factus, iubet binos deduci, nec nisi paucos in Thraciam iam pelli, reliquos in extremos Arabiæ fines, ac Thebaidis Viculos seorsim amandari.

Hier. chron. & de script.

S. Eusebius Vercellensis moritur.

His Ipsis Consulibus Eusebius Vercellensis Episcopus celeberrimus nonagenario proximus moritur, martyrij titulo iure insignitus, quod non modò exilio, alijsque ærumnis Fidei causa vexatus à Constantio Principe fuerit, sed ex eo maximè, quod ad Tribunal raptatus, & per scalas sus, deque tractus, illiso capite, sanguinem fuderit, eoque lapideos gradus madefecerit, quorum fragmina cruore consperſa eius sepulcro illata dicuntur; quo factum videtur, vt lapidum vi martyrium subijsse sit creditus.

Hier. chron.

Luciferi Calaritani obitus.

Quo item anno obijsse constat Luciferum Calaritanum in Sardinia Episcopum, cuius schisma supra deplorauimus.

L. 9. de Malef et Mat C. Th. Ambr ep. 30.

At Valentinianus Symmachi artibus haud dubiè circumuentus, multa Ethnicis indulsit, illud in primis, vt aruspicinam, dum sine magiæ scelere, licitè exercerent. extat ea de re illius Sanctio Christiano Principe planè indigna. nam quoad Victoriæ Aram

in Capitolio ſtantem, Ambroſius Illum tamquam rei ignarum, ab infamia vindicat.

Arintheus. & Terentianus.

Qui ſequitur annus Modeſti, atque Arinthei conſulatu notatur, qui ex Valentis familia fuere ambo: Ille quidem Arrianus Principis ſæuitiæ præcipuus Adminiſter; Hic contrà, & Catholicus Ipſe, & Catholicorum inſigois Patronus militari quoque imperio, ac virtute clarus; quibus item laudibus clarus hoc tempore erat Terentianus, cui (vt Ammianus tradit) duodecim parebant legiones; de quo illud à Theodoreto traditur memorabile. cum inſignibus Victoriæ trophæis in Armenia erectis, ad Valentem reuertiſſet, eo ſuadente, vt debitum virtuti præmium, quod magis cuperet ab ſe expoſceret, ſupplici libello petijt, vt Eccleſiã rectæ Fidei Sectatoribus concederet; quo ex Viri ſtudio ſtomachatus Tyrannus, ſupplicem libellum lacerauit, iuſſitque potiora illum poſtulare. pius Dux collectis libelli particulis, *ſatis* (inquit) *ò Imperator accepi, Deus ipſe, an aqua expetiuerim, Iudex eſto. hic rurſum inſtitutam de Baſilio narrationem longius Author profert, ad quam remittere lectorem cogimur, quemadmodum & ad ea, quæ ſtatim addit, Hieronymi vitam, iniecta de eo mentione, ſingillatim recenſens.*

Chri. Ann. 372. *Baſil. ep. 5. & add. Amm. l. 27. in fin.*

Theod l. 4. c. 22.

Terẽtiani pietas.

Per

Greg. Naz. in fun. Patr. Per idem tempus Gregorius Nazianzenus Parentis obitu, qui eam Ecclesiam XL. amplius annos Episcopus rexerat, eiusdem se Ecclesiæ cura absoluit; &, ne Episcopus ipse crearetur, Seleuciam aufugit, eamque apud Vrbem ad Valentis vsque necem commoratus est. *Gregorius Nazianzeni Pater moritur.*

Item

Naz. de Laud. Athan. Pari fermè cum seniore Gregorio annorum spatio cum sedisset Athanasius, hoc demum, & ipse, anno vitæ exitum sortitus est. *Athanasius*

Theod l. 4. c. 18. Ruff. l. 2. c. 3. Pallad Lauf. c. 33. Athanasio vita functo, illius calculo à Catholicis Petrus eiusdem Ecclesiæ Presbiter ætate senex, virtutibus clarus, subrogatur. Arriani contra haudquaquam segnes, Lucium, quem iam tum à Georgij cæde cooptauerant, Euzoio deducente, Alexandrinis obtrudunt.

Socr. l. 4. c. 16 Soz. l. 6. c. 19 Paulin. ep. 10. Petrus Præsidis mandato iussus excedere, Romam contendit. sunt qui tradant carceri ab Euzoio mancipatum, fuga elapsum, conscensa naui, Romam properasse. vtcumque se res habeat, sequutæ sunt Alexandriæ tum ab Arrianis cædes, vincula, proscriptiones, tum à Gentilibus sacrarum Ædium contemptus, profanationes, incendia, quæque alia Nazianzenus deplorat, & Petrus extorris circulari ad Ortodoxos epistola, tamquam in scæna, exhibet miseranda. neque intra Alexandriæ fines stetit tyrannica Lu-

cij

cij vexatio, sed ad vniuersam Ægyptum, ac Thebaidem pertinuit, & ad ipsa Monachorum septa peruasit. peregrinationem apud eos per ea tempora instituerat Melania ex Romanis Matronis nobilissima, cuius Filius Romanæ Vrbis Præfecturam gerebat. cum Ea erat Ruffinus, qui rerum tum gestarum Testis oculatus fuit. Is testatur in Monachos, qui trium millium numerum excedebant, siue vt Paulinus tradit, quinque millium, equitatum, peditatumque, veluti in Barbaros, à Lucio missum, à quo rebus omnibus spoliati, disiecti, ac necessarijs alimentis interceptis, feratum more vagari, victum quæritare coacti sunt, quos tamen vtcumque coeuntes eadem Melania sumptu maximo enutriuit. Porrò cum Augustalis Ægypti Præfectus Valentis iussu, Lucio adnitente, præcipuos Monachorum Patres, atque Episcopos centum ferè numero Diocæsaream apud Palestinam relegasset, Melania, opem Illis, ac ministerium exhibitura, subsequuta est; Eos demum assequuta, mirum dictu, ne ab his, quorum custodiæ crediti Patres erant, prohiberetur, seruili veste sub vesperam vitæ illis necessaria afferebat. verum his demum restitutis, ipsa Hierosolymam perrexit, vbi condito à se Monasterio clausa cum Virginibus L. annos in eo quin-

Melania.

Proscripti à Valente.

que

que ferè, ac viginti manſit.

Cæterum dum Valens rectam Fidem pro viribus deprimere, &, ſi fas, delere contendit, eam Deus lætius

Ruff. l. 2. c. 6. Socr. l. 4. c. 29 Soz. l. 6. c. 38 Theod. l. 4. c. 2

effloreſcere, & latius propagari iubet. quippè Maurcia Sarracenorum Regina, Moiſe Sanctiſſimo Eremi, ex Hilarionis diſciplina, Alumno, ſuæ Gentis Epiſcopo expetito, Chriſtianam Religionem amplexa eſt ipſa, & recipi à ſubditis ſibi Populis curauit.

Saraceni Chriſtianã fidem recipiunt.

Hoc eodem anno mortem obijſſe Hilarionem ipſum ex Eremi cultoribus celeberrimum, Author eſt D. Hieronymus, qui illius Vitam perſcripſit, teſtatus eam ante non tam hiſtoricè, quam encomiaſticè deſcriptã ab Epiphanio, cui cum ipſo Hilarione neceſſitudo arctior interceſſerat. *hìc ſermone de Epiphanio exorto, multa de illius laudibus, rebuſque geſtis Author recenſet, quæ ex eo peti poſſunt.*

Hilarionis obitus.

Saba quoque Gothus, iubente Athanarico, martyrio affectus eſt prid. Id. Aprilis, quo die eius memoria Eccleſiaſticis tabulis adſcripta eſt.

Quibus item Conſulibus de curanda Byzantij Bibliotheca, Valens ad Clearchum eius Vrbis Præfectum reſcripſit.

L. 2. de ſtud. lib. C. Th.

Bibliotheca Byzantij.

Quartum Augg. Fratres Conſulatum inierant, cum Damaſus coacto Romæ Concilio, Apollinaris, aliorumque in Oriente hæreſes damnauit;

Chri. Ann. 373.

Concilium Romæ.

uit; *res in eo gestas. quamuis Acta ex-* Soz. l.
ciderint, ex Theodoreto, ac alijs ab 6. c. 25
Authore hìc recensentur; qui de Apol- Theod.
linaris quoque erroribus, ac editis ab l. 5. c.
eo libris multa addit. 11.

Basilij Zelus

Hæc non satis visa sunt Basilio ad Orientalis Ecclesiæ statũ erigendum. itaque cum Damasi auxilium sæpius iam anteà imploraſſet, rursus ad eum, ac reliquos Occidentales Episcopos scribit. Basilij votum erat, vt Viri pietate, ac prudentia conspicui Legati mitterenrur, qui vexatos Orientales ad tolerantiam, ad certamen hortarentur, nutantes in Fide confirmarent, spem pristinæ tranquillitatis facerent. Naz. ep. 1. ad Cle. Basil. ep. 1. in addit.

Firmi Tyrannis in Africa.

Per eadem tempora Firmus tyrannidem in Africa occupauerat; ad eum oppugnandum Valentinianus Theodosium seniorem, Theodosij postea Augusti Patrem cum exercitu miserat. Tyrannus vno, atque altero prælio victus, Episcopos aliquot cum obsidibus ad Romanum Ducem legauit, tum supplex ipse accessit, ac veniam impetrauit. Africa igitur, confecto bello, pacata. Valentinianus, cum adhuc in Gallijs ageret, Donatistarum Anabaptismum inhibuit, dato ad Iulianum Proconsulem rescripto. Cæterum Firmus, cum iterum sumpsisset arma iterum à Theodosio debellatus, melioris desperatione fortunæ, laqueo collo iniecto vitæ exitum quæ- Amm. l. 28. & 29.

Theodosius Theodosij Imp. Pater.

Anabaptismus inhibetur.

L. 1. de Sanct. Bapt. C. Th.

quæsiuit. Huius Frater fuit Gildo, qui collapsam Firmi tyrannidem erigens Romano tursum Imperio negocium faceſſit, Donatique parte in Catholicos ſuſcepta, maximo Africanæ Eccleſiæ detrimento fuit. At quid gratiæ redditum Theodoſio fuerit, libet ex Oroſio referre. *Poſt*, inquit, *cum ſenior experientiſſima prouidentia totam cũ capite Mauritania Africam meliorem priſtinis legibus reddidiſſet, inſtimulante, & obrepente inuidia, iuſſus interfici, apud Carthaginem baptizari in remiſſionem peccatorum præoptauit, & poſtquam ſacramentum Chriſti, quod quæſierat, aſſequutus eſt, poſt glorioſam ſæculi vitam, etiam de æternitate ſecurus percuſſori iugulum vltro præbuit*. hæc Oroſius. huiuſmodi infortunium tanto Duci vndè acciderit Authores non tradunt, par eſt autem exiſtimare Valentis id contigiſſe inſidijs, ex ea, quam de Succeſſore, vt diximus, ex ſuſpicione, formidine alebat. fuiſſe tum quidem Theodoſium Filium, quamquam prima lanugine pubeſcentem, Ducem aduerſus Sarmatas, Romani Imperij fines inuadentes, conſtitutum Ammianus affirmat. porrò Ipſum quoque tum ad necem quæſitum, diuina prouidentia periculum anteuertiſſe, D. Ambroſius indicat ea Oratione, quam in eius funere dixit.

l. 7. c. 33. *Theodoſius* *plectitur.*

Sup. ad an. Chriſti 370.

L. 29.

No-

Nouus annus sera quamuis Auxentij morte, Ambrosij electione, non Mediolano tantum, sed Italiæ vniuersæ optatissimus subit, quo, Arriana deterſa labe, Ecclesiæ Occidentalis facies nitidior deinceps apparuit. At de Ambrosij admirabili electione paulò diligentius exquiramus. Is eam Prouinciam quinquennio iam, vt diximus, administrabat, cum, sequuta Auxentij morte, Episcopis, qui conuenerant, dissidentibus, Mediolanensi verò Populo, ex factionum studio ad seditionem spectante, Ambrosius, pro credito sibi munere Ecclesiam, stipatus satellitio, ingressus est, Populi tumultum inhibiturus; audita tum Infantis vox est Ambrosium Episcopum insonans, ex qua, dissidentium statim sequuta concordia est, consensu miro Ambrosium inclamantium. Ille repentino euentu perculsus, vt primùm se colligit, Ecclesiam egressus, quò Populum à sententia deterreret, sæuum induens Iudicem, ascenso tribunali, vt Altaris ministerio, & pastoralis curæ indignus videretur, Reos adduci, palam torqueri, pœnis mulctari iussit; cum nihil proficeret, iam non sæuum modò, sed etiam impurum Hominem simulans, impudicas ad se Mulieres acciri, ac publicè adduci iussit. At hæc cum veluti in scęna fictè exhiberi Populus non ignoraret, proindèque ar-

Chri. Ann. 374.

Paulin. in vit. Theod. l. 4. c. 5. Ruff. l. 2. c. 11. Socr. l. 4. c. 25. Soz. l. 6. c. 24.

den-

dentiori adhuc ſtudio Ambroſium poſtularet, conſilio Is deſtitutus, quod reliquum erat, nocte intempeſta Ticinum fugam arripuit inſcius, aut tum
Prou. 16. immemor *non eſſe hominis dirigere vias ſuas*. cum enim Ticinum ſe peruenisſe exiſtimauit, nocturno itinere circumductus, Mediolanum ſe reuerſum animaduertit. tum verò incredibili admiratione, ac veluti ſtupore affectus, victum ſe fatetur, faſces deponit, Populi, imò Dei ſe ſubijcit voluntati. Populus ſimulationem adhuc veritus, ne rurſum fugam arripiat, cuſtodiam adhibet, dum Principis aſſenſum præſtolatur, quod, vt alibi indicauimus, lege cautum eſſet, ne Decuriones, vel publicis addicti miniſterijs in Clerum adſciſcerentur. Valentinianus certior de his factus magnoperè lætatus dicitur, ſibique gratulatus tales à ſe conſtitutos magiſtratus, qui Epiſcopatu digni haberentur. Probus quoque ſuum de Ambroſio prælagium impletum non ſine gaudio admiratus eſt.

Verum Ambroſius, dum miſſi ad Principem nuncij cunctantur, rurſum ſecum ponderis, quod ſubire cogebatur, grauitatem reputans, ſuos fallens Cuſtodes, fuga ſibi iterum conſulit, in Leontij clariſſimi Viri ſuburbano deliteſcens. vbi demum Auguſti aſſenſus auditus eſt, ipſo prodente Leontio, Mediolanum perducitur, ſacroque

initia-

initiatus Baptismo (nam Cathecumenus adhuc erat) post octo non amplius dies (nulla sacrorum Canonum ratione habita, quibus non modò Cathecumenos, sed ne Neophytos quidem Episcopos fieri cauebatur) Episcopus consecratur.

Interfuisse Ambrosij ordinationi Valentinianum ex Gallia reducem, Theodoretus tradit. Paulinus autem addit, ab eo aurum omne, atque argentum Pauperibus, atque Ecclesiæ collatum. ipsa quoque prædia, seruato germanæ Sorori vsufructu, Ecclesiæ pari beneficientia donata. Basilij porrò ad Ambrosium literæ ad sequentem pertinent annum. *Theod. l.4.c.6. Paulin. in Vita.*

Concilium Valentinum in Gallia

Celebratum hoc anno habetur Valentinum apud Galliam Concilium, cuius quatuor non amplius extant Canones, & perbreuis epistola de Ordinationibus legitimè faciendis.

Hoc ipso anno à Suedrorum in Pamphilia Ecclesia, binæ eodem argumento datæ literæ ad Epiphanium extant, quæ ante ipsius responsum, quod commentarij vicem obtinet, atque Ancoratum appellatur, leguntur.

S. Martini cũ Valẽtiniano cõgressus.

Interim Martinus Turonensium Episcopus recens creatus, Valentinianum adit: Is, quod Episcopum, ea petiturum cognouisset, quæ præstare Ipse nollet, arceri iussit. Martinus tum

Chri. Ann. 375. *Sener. l.1,c.6*

Venãt Fortu. l. 3. tum ad consueta confugiens præsidia, sex ipsos dies precibus, cibique, ac potus abstinentia, Numen placare, continenter instituit. septimo demum die, Angeli monitu, superbum iterùm Principem adit. patentibus ad eum foribus, nullo obsistente, accedit. Augustus Martinum conspicatus, infrendens, & cur se inscio, fuerit admissus, expostulans, nequaquam, vt par erat, assurgere constituerat; cum, mirum dictu, regium subsellium ignis corripuit. solio igitur excutitur, & sancto Viro, inuitus tum quidem, assurgit; mox propiore veluti afflatus Numine, Martinum complexus, nec expectatis eius precibus, prius omnia præstitit, quam rogaretur: colloquio deindè, ac conuiuio sæpius adhibitus, postremo reiectis, quæ offerebantur, muneribus, abscessit.

Amm l. 30. Socr. l. 4. c. 26 Post hæc Valentinianus in Quados exercitum ducens, dum maximè eorum Legatos audit, inque eos vehementius exardescit, vi sanguinis erumpente extinguitur: ætatis anno LV. Principatus XII. Gratianus Filius ante septennium Augustus appellatus cum Patruo Imperium prosequitur: haud ita multo post, Cereali Auunculo adnitente, Valentinianus Gratiani Frater tum quadrimus Augusti, & ipse, nomen, atque insignia consequitur. quod factum Gratianus licet incon-

Valẽtiniani mors.

Gratianus Valẽtinianus II. Imperator.

sultus, pro sua animi æquitate, ac lenitate, ratum habuit.

Valẽs Monachos ad militiam adigit

Valentiniano sublato, Valens plus aliquid sibi licere deinceps ratus, ad pristinam Catholicorum vexationem illud addere in animum induxit, vt Monachos, eo ocio, veluti Reip. minus proficuos, ad militiam adigeret, qua de re editam antea legem, Fratre superstite, vim habere neglexerat; iam verò missis in Ægypti, ac Syriæ solitudines militibus, cælestem in terris vitam agentes Viros innoxios, indè abstrahi iussit, renuentes fustibus ad mortem cædi. quæ tum scelera à militibus patrata, quæ vis adhibita, quæ cædes editæ, facilius est, quam stylo prosequi, mente concipere. solatus est miseros Basilius datis ad eos literis, *quas Author hìc recitat; qua etiam occasione eiusdem ad Ambrosium alteras addit*. manssisse autem mutuam inter Basilium, atque Ambrosium literarum consuetudinem, expetijsseque Hunc Illius lucubrationes, atque impetrasse, ex eo constat, quod inter Ambrosij opera nonnulla leguntur ab eo latinis tradita, quæ Græcis antea Basilius edidisset. cuiusmodi sunt de Spiritu sancto quod extat cõmentarium, & elegantissimæ in Exameron Orationes. sed & illud Basilij in Ambrosium pium officium intercessit, dum S. Dionysij Mediolanẽsis Episcopi,

Oros. l. 7. c. 33 Hier. in chron. L. 63. de Decur. C. Th. & C. Iust. L. 26.

Basilij ad Ambrosiũ literæ. Mutua inter vtrũque necessitudo.

scopi, ac Martyris Corpus, qui pro Fide exul obierat in Cappadocia, procurante Aurelio Episcopo, è Cappadocia Mediolanum translatum est.

Ambrosij electio ab omnibus probatur.

At non Basilius tantum Ambrosio, totique Ecclesiæ gratulatus eius electionem, Canone quamuis resistente, ratam habuit; sed cum Occidentalibus Orientales omnes catholicæ communionis Episcopi suo calculo comprobarunt. testatur hoc idem ipse Ambrosius dum ait. *Ordinationem meam Occidentales Episcopi iudicio, Orientales etiam exemplo probarunt.* porrò quod de exemplo dicit, de Nectario intelligendum est, qui, & ipse, Cathecumenus, & à Curia petitus Byzantij Episcopus constitutus est, vt suo mox loco dicturi sumus. quod idem, maximo Ecclesiæ bono vt iam tradidimus, in Hilario vsu venerat. Verũ enimuerò huiusmodi exemplo, ac licentia, nonnullos posteà fuisse abusos, Siricius Romanus Pontifex queritur, docetque, quod semel, aut iterum (hoc est in Hilario, atque Ambrosio) temporum ratio, aut necessitas suasit, nequaquam pro Lege habendum. *alia nonnulla de Ambrosij Vita Author hìc addit quam à se Sixti V. Pontificis iussu conscriptam, cumque ipsis Ambrosij operibus impressam testatur.*

Ep. ad Vercell. 82

Adam. Christi 381.

Ep. ad Orth.

Ambrosij Vita ab Authore conscripta.

Chri. Ann. 376. Cum Valente quintùm, Valentinianum Fratrem Consulatum inire, nouo

nouo appetente anno, Gratianus voluit. tùm Catholicæ Religionis ſtudio ab Hæreticis Conuentus agi, dato ad Heſperium Prætorio Præfectum Reſcripto vetuit. ad Epiſcopos quoque Treueris de Eccleſiaſticis Iudicijs reſcripſit. Quo tempore Hunni in Alanos irrumpentes, ab His repulſi, Gothos trans Iſtrum inuadunt, ac ſedibus pellunt. ex Horum Regibus Athanaricus in tutiora loca recipit ſeſe. Alaricus, ac Fritigernes per Legatos Valentem orant, vt in Thraciam cum ſua Gente migrare permittat, ſpondere ſe ſubditos futuros, ac Imperij fines à cęteris Barbaris tutaturos. hoc rogantibus permiſſo, adiunxere ſe His Nationes aliæ complures, quæ, Romanis licet inuitis, Iſtrum magno numero tranſiere. præ multitudine tum fame laborantes Thraciæ Oppida inuadere, prædas agere inſtituerunt. Lupicinus Romanus Dux perfidia, atque auaritia infamis, impar viribus, fuga ſibi Ipſe conſulens, Romanum exercitum, quem cunctando, intraque munitiones continendo, ſeruaſſet, Barbaris ad internecionem delendum obiecit. occiſorum inſtructi armis Barbari, quorum pars magna inermis erat, maiora deinceps audent, & Romanum culmen iam ſpe improba ſubigere ſe poſſe confidunt. ea clade excitatus Valens Antiochia Con-

Lupicinus Romanus Dux.

L. 4 de Hæret.
L. 13 de Epiſc. & Cler.
C. Th.
Amm. l. 31.

Constantinopolim proficiscitur. Subit cogitatio, quam æqua diuini iudicij lance, impius Imperator huiusmodi subire discrimina compellatur. ecce tibi qui haud ita pridem Monachos ad militiam intentata morte impellit, hostes, per quos pereat, incautus accersit; vt appareat nihil aliud esse Sanctis Viris negocium facessere, quam in se, ac Remp. hostes armare.

Chri. Ann. 377. *Socr. l. 4. c. 28* *Oros. l. 7. c. 33*

Tum Valens belli motibus territus, sera quamuis pœnitentia, proscriptos Episcopos permultos, cæterosque, qui eius iussu exulabant, restituit Igitur Populus Alexandrinus, recepto Petro, Lucium expellit. quamquam Petrus iniussu Principis, Damasi tantum literis, atque authoritate fretus, Sedem Episcopalem repetijt.

Valēs alter Pharao.

En tibi, Lector, nouum Pharaonem, non nisi potenti manu Dei cogente, Dei Populum dimittentem; quod si aquam ille vltricem sensit, Hic ignem impietatis vindicem expertus est. sed de eius nece mox dicendum.

Gratianus interim periclitāti Orientali Imperio suppetias læturus, Ricimerem strenuum Ducem in Thraciam validis cum copijs mittit, qui Valentis Ducibus iunctus, cladem maximam Barbaris intulit, viciſſimque à Barbaris recepit, donec aduentante Autumno ob nouos in Gallia motus, in Occidentem à Gratiano reuocatur.

Anabaptismus. iterũ inhibitus.

Rebaptizantes Donatistas edicto haud ita pridem Valentinianus inhibuerat. dicto audientes cum non essent, nouo ad Flauianum Vicarium Rescripto hoc anno Gratianum eos compescere oportuit, quo etiam Catholicorum, quas inuaserant, Ecclesiæ vindicatæ sunt. eodem edicto Manichæorum quoque conuentus veti- C. Th. ti, quos tum frequentasse Augustinum etiam num adolescentem, eorum iam quadriennio Auditorem ex eiusdem scriptis constat, qui & illud testatur piam Matrem de ipsius salute sollicitam multa egisse quò Filium Manichæorum erroribus irretitum exsolueret. *Supra ad an. Christi 373. L 2. tit. sanct. bapt. reit.*

Ambrosij libri de Virginitate & de officijs.

Hic ipse etiam annus est, quo S. Ambrosius, ipso die natali S. Agnetis, exordius de Virginitate sermonem protulit illum ad tertium vsque librum, cum vix biennio in Episcopatu egisset. ad Cleri quoque morum institutionem haud ita multo post egregios de Officijs commentarios scripsit. in eo quoque multus fuit, vt prauas consuetudines aboleret, eam in primis, qua Fideles complures, vt non sine admiratione, hactenus ex Annalium serie licuit cognoscere, vsque ad prouectiorem ætatem Baptismum differrent. Igitur quod se feciſſe impensè doluit, ab alijs ne in posterum fieret etiam, atque etiam hortatus est. quod

ipsum

ipsum in Oriente præstitit Basilius, atque Gregorij ambo Nazianzenus, ac Nyssenus, vt ipsorum de Baptismo editæ Orationes testantur.

L. 24. de Epis. & Cler. C. Th. Hoc item anno pro Clericorum immunitate Gratianus rescripsit.

Quibus pariter Cos. miro Augustorum studio, Symmacho Ethnico homini, maximæ tamen authoritatis Senatori, non Romæ tantum, sed etiam Constantinopoli, insignis vtrobique Statua collocata est; quo in tantam væcordiam elatus est, vt compescendus à Damaso, atque Ambrosio fuerit, à Theodosio verò etiam mulctandus, vt postea opportunius dicendum erit.

Symmacho dupl. statua erecta.

D. Basilij mors.

Chri. Ann. 378. Naz. Orat. de Laud. Basil. Nyss. ep. ad Olimp. Soz. l. 3. c 15

Nouo appetente anno ipsis Ianuarij Kal. Magnus Basilius moritur, cum nonum in Episcopatu annum ageret. funebri Eum laudatione exornarunt celeberrimi Patres Gregorius Nazianzenus, cognomento Theologus Gregorius Nyssenus Ipsius Basilij Frater, ac S. Ephræm, qui vno superstes mense, Kalendis Februarij Basilium sequutus est, quod in ipsa laudatione precatus ex eo fuerat. illud de multis Sancti Viri laudibus prætermittendum non est. cum aliquando Episcopum Illum eligere cuperent, & renuentem, per vim, vbi comitia habenda erant, adduxissent, Is periculum, quod existimabat, non alia ratione euadere se

s. Ephrem mors.

Paulinus s. Ephrem discipulus degener.

posse ratus, amentiam simulauit, in ea tamdiu perseuerans, quòad alius electus est. cuius exemplum vtinam sequutus esset Paulinus inter Sancti Viri Discipulos sacrarum literarum, ac declamandi peritia clarus. Hic ingenio inquies, atque indomitus, quantumuis à Magistro postremis præsertim verbis monitus, ne ingenio nimis fidens sublimia sectaretur; præsidendi, docendique libidine, multa suoptè commentus instituto, à recto Fidei tramite aberrauit.

Gratianus Ambrosiũ de fide consulit.

At Gratianus religiosissimus Imperator etiam tum Adolescens aduersus Gothos exercitum paraturus, libellum de Fide ab Ambrosio expetijt; Ambrosius eius pietate laudata, ita morem gessit, vt tres, qui extant, conscriptos à se eo argumento libros ad eum transmiserit, in quibus haud dubiam Ei à Deo Victoriam pollicitus est; & neutrum sanè frustratum constat; commisso etenim apud Argentariam prælio, cæsa sunt hostium quadraginta amplius millia, reliquis in deditionem receptis. *Amm l. 31. Theod l. 4. c. 29.*

Valẽs Constãtinopoli probris incessitur.

Per idem tempus Valens Constantinopoli cum esset, quod lentior in expeditione videretur, Barbaris ad Vrbis ferè mœnia excurrentibus, Populi probra, ac contumelias, & tantum non apertam seditionem expertus est. Vrbe cum egrederetur, ferunt *Socr. l. 4. c. 30 Soz. l. 6. c. 39*

Isa-

Isacium Monachum liberrimè mortem illi, atque exercitus amissionem prædixisse, ni sacros Ipse Antistites qui reliqui erant suis antea Ecclesijs restitueret. Porrò Melantiada Cæsarianam Villam cum peruenisset, de Victoria à Gratiano parta, deque ipsius Gratiani aduentu cum victore exercitu certior factus, per summam amentiam expectare Eum neglexit. Legationem quoque Fritigernis Christiani Gothorũ Regis pacem honestis conditionibus petentis, pari temeritate contempsit. Deo itaque in apertum Eum exitium impellente, manus conserit, cum exercitu profligato fugam arripit vulneratus; delatusque in agrestem casam, igne ab hostibus suppositò, incenditur. contigit ea clades quinto Idus Augusti, eiusdem Valentis L. ætatis anno, Imperij XV. tradit Nicephorus, illum ipsum Isacium Monachum Constantinopoli agentem, ea ipsa hora, qua Tyrannus malè perijt, diuino afflatum spiritu, palam dixisse, nunc Valens igne torretur, ingratum odorem nares sentiunt.

Valentis temeritas.

Valẽtis mors.

Nicephor. l. 11. c. 50.

Valentis interitu statim vulgato, Catholici Episcopi Gratiani Sãctione Ecclesiam quisque suam recipiunt. Hî prostratæ rei Orientalis statũ restituere cum maximè optarent, Antiochiæ conspiratione vnanimi conuenere. te-

Concilium

Antiochenũ ſtatur id in primis Nyſſenus qui interfuiſſe ſe ſcribit. hìc primò inueteratum Schiſma tollèndum fuit, quo ea Eccleſia ab vſque Iuliani temporibus laborabat, Meletio, ac Paulino Catholicis Epiſcopis, præter Euzoium Arrianum eam adminiſtrantibus. Arrianorum nulla iam ratio, eius ſectæ Patrono extincto, habebatur. inter Catholicos res ita tranſacta eſt, vt, qui alteri ſuperſtes eſſet, ſolus præſideret, nullo in demortui locum ſubrogando: ad quod præſtandum ſex præcipuos eius Eccleſiæ Presbyteros, qui ei gradui propiores viderentur, iureiurãdo adegerunt. ad hæc recta Fidei regula eſt recognita; tum Legationes ad Eccleſias inuiſendas decretæ: electi ad hoc opus præſtantiſſimi tum Viri Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus, Meletius Antiochenus, atque Euſebius Samoſatenus: quorum poſtremus cum Dolicam Oppidum, acceſſiſſet, tegula ab Arriana Muliere è ſuperiore loco deiecta, extinctus eſt; moriturus autem omnes, qui aderant enixe rogatos iure iurando adegit, ne de Muliere ſupplicium ſumerẽt. Conſtat porrò Nyſſenum in Arabiam, Nazianzenum Conſtantinopolim miſſum. quæ Vrbs, Arrianis cum eſſet refertiſſima, maximum Ei negocium exhibuit, eò vſque, vt lapidibus quoque impius Eum Populus impetierit.

Nyſſ. ad Olympi. Socr. l. 5. c. 5. Soz. l. 7. c. 3. Theod. l. 5. c. 3

Epiſcopi cædes à Muliere Arriana.

Nyſſ. de Peregr. Hieroſol.

Naz. Orat. ad Arrian. & in Vita ſua.

Per

Hier. ep. 60. 61. 77 125.

Per idem tempus Hieronymus Hierosolymis morabatur, quò, relicta Syriæ solitudine, concesserat, non tam, vt hebraicam ibidem linguam, quod præstitit, addisceret, quam vt calūnias eorum vitaret qui Eum, quemadmodum, & Paulinum Antiochenum, Sabellianum appellabant, & non alia vtrumque ex causa, ipsi Catholici, qui à Meletio stabant, tanquam hæreticum auersabantur, nisi quia cum Damaso, alijsque Occidentalibus satius ducerent sacrosanctam Triadem *Personis* distinguere, quam, græco vocabulo, *Hypostasibus*, quo nomine, non tam subsistentia quam substantia significari videbatur. Cæterum Hieronymus à Paulino Presbyter consecratus, à Ioanne Hierosolymæ Episcopo adduci nulla vi potuit, vt illi Ecclesiæ adscriberetur. ex quo argumentum desumi potest, neque Damasū id ab eo impetrasse; proindè hallucinari eos, qui Hieronymum Presbyterum Cardinalem à Damaso creatum affirmant. post hæc Byzantium cōcessit Nazianzenum auditurus, dein' Romam ad Damasum, rursum Hierosolymam, vt suo quæque tempore referemus.

Hieronymus solitudinem relinquit.

Hieronymus ā Cardinalis.

Chri. Ann. 379. Socr. l. 5. c. 2.

Syrmij cum esset Gratianus, Comitijs ibi habitis, cum Olibrio Consulem dixit Ausonium Gallum Præceptorem suum, cuius egregia extat gratiarum actio coram ipso Augusto,

Ausonius Gallus Cōsul.

& amplissimo Senatu ab Eo habita: mox Theodosium fortissimum Ducem Collegam assumit, Orientis Augustum pro Valente appellatum, summo Romani Imperij, ac Christianæ Reipub. bono: quo, omnium cum admiratione, Vaticinium illud impletum est, de Valentis Successore supra à nobis relatum. Hispanum Eum fuisse, ac Traiani non conciuem modò, sed etiam Gentilem omnes tradunt, præter Zosimum, qui Caucæ apud Galleciam natum scribit laudatur maximè ea ex electione Gratianus, qua non tam sui, quam Reip. rationem habuerit, partitus, & antea cum Fratre Orbis Imperium.

Aur. Vict. in Theod.

Sup. ad an. Christi 373.

Zosim l. 4.

Theodosius à Gratiano Collega assumitur.

His Syrmij peractis, Gratianus in Galliam reuertitur, Prouinciã ab Alemannis, qui eam iterum infestam habebant, tuaturus. Theodosius in Thraciam proficiscitur, haud ita multò post insigni ab vtroque parta victoria, Romanum Imperium in pristinam dignitatem restitutum est.

Zosim l. 4.

Gratiani, & Theodosij victoria. Gratiani pietas.

Constat hoc tempore Gratianum humanissimas ad Ambrosium literas dedisse, quibus Eum, post libros quos diximus, de Fide, de conscribendo, ad seque mittendo alio de Spiritu sancto Commentario summa cum pietate, ac Religione obsecrat. quod quidem Ambrosium non nisi biennio elapso præstitisse constat.

Apud Ambr. Ep. 25

Ad

Hier. ad Pãmach. Ad hunc annum spectat Hieronymi Constantinopolim ad Gregorium accessus, vt sacras ex eo literas addisceret; quo item anno Gregorius idem ad amplissimæ Vrbis Episcopatum vocatus, Maximi tamen Cynici Philosophi factione inferior tum fuit; mox vicissim Maximus Populi tumultu excitato, Vrbe pulsus, Theodosium adijt, quod sequenti anno contigit. *Hieronymus Gregorium Magistrum adit.*

Naz. i Max. & de vita sua.

Chri. Ann. 380. *Socr. l. 5. c. 6.* Octuagesimo sæculi anno, inchoati Imperij secundo, Theodosius ab Acolio Thessalonicæ Episcopo baptizatur, qua in Vrbe, post victoriam, antequam Constantinopolim accederet, morbo correptus, subsistere coactus fuerat. tum vero auream illam Sanctionem edidit, qua, Collegarum etiam authoritate, Arrianorũ Hæresim iugulauit, vesanos illos dementesque appellans. catholicam Fidem, sinceramque de sacrosancta Trinitate doctrinam à Petro Apostolo traditam, per Successores ad Damasum vsque propagatam custodiri iussit. quæ lex Thessalonicæ lata legitur tertio Kal. Martias. sequenti verò mense nouo ad Albucianum rescripto, toto Quadragesimalis ieiunij tempore, criminalium quæstionum cognitionem cessare iussit. *Theodosij sanctio de fide.*

L. 2. de fid. Cath. C. Th.

L. 4. de quæst. C. Th.

Naz. i carm. de vi-

Antequam Thessalonica discederet, Maximus Episcopatu, quem inuaserat, pulsus, suam, ac publicam,

ex

ex populi seditione, iniuriam expostulans, ad eum venit, à quo tamen reiectus, Alexandriam cum venisset, haud ita multò post in Apollinaris Hæresim lapsus est. *ta sua & in Maximum.*

Porrò lege quam diximus, Constantinopoli promulgata, perculsi Ariani, non propterea animos, atque audaciam posuere. Demophilus sanè, qui post Eudoxium Episcopus Arrianis præerat, iussus à Principe Ecclesiam Gregorio cedere, Vrbe excessit; furentis tamen Populi pertinacia factum est, vt Is non nisi post Augusti aduentum Ipsoque deducente, ea potiretur. neque hoc pius Imperator satis duxit, sed, quò Gregorij electio firmior esset, ac sanctior, vocati sunt Constantinopolim Episcopi Orientis, qui non nisi sequēti anno conuenere. *Theod l. 5. c. 8*

Ad hunc annum spectat Petri Alexandrini Episcopi obitus, cui Timotheus eiusdem Frater sublegitur. quo tempore Syrmij quoque Antistite apud Illiricum vita functo, Ambrosius illuc profectus est, vt Catholicum Vrbi Episcopum daret, quod ægrè demùm perfecit, Iustina Augusta Valentiniani Senioris olim Coniuge, Arriana fœmina, suis magnoperè patrocinante.

Vrsicini schisma sublatum videri potuit, Vrsicini schisma sublatum videri potuit, Ipso apud Coloniam Agrippinam relegato alijsque aliò, ex Illius Asse- Chri. Ann. 381.

Assecłis, amandatis; cum tamen, non *uiui-* sine Ecclesiæ detrimento, Præsidum *scit.* negligentia, ab His, qui Vrsicino studebant, adhuc illiciti haberentur Conuentus, opus fuit Occidentalis Imperij Augustus nouo Rescripto, prauorum Hominum audaciam compescere, simul ipsorum Iudicum, ac Præsidum segnitiem perstringere.

L. 6. de Hæret C. Th. Eodem ferè tempore Theodosius, Collegarum etiam nomine noua edita Sanctione, Hæreticos omnes, de Sacrosancta Trinitate, aliena à Catholica Ecclesia sentientes damnauit, ab Ijsque Conuentus quoscumque agitari vetuit.

Marcellin. Chrō. Amm l. 27. Zosim l. 4. Huius item anni initio Athanaricus Gothorum Rex, quo cum Theodosius fœdus pepigerat, Constantinopolim venit honorificè exceptus; cum verò mense nondum elapso decessisset, regia pompa Theodosij iussu, mirantibus etiam Barbaris, qui Regem sequuti fuerant, elatus est; quod sanè ad Gentem demerendam valuit plurimum. Persæ quoque Theodosij virtutum fama toto iam terrarum Orbe vulgata, Legatos ad Eum cum muneribus pacem orantes miserunt. *Athanaricì mors. Persæ Theodosiū colūt.*

Socr. l. 5. c. 8. Indicta superiore anno Synodus, mense Maio Constantinopoli celebrata est, interfuere Episcopi CL. cogendi causam præcipuam fuisse diximus, vt Gregorium, cui Regiæ Vrbis *Synod. Cōstā. tinopo. li.*

Epi-

Episcopatus fuerat iam anteà delatus, celebriori pompa consecrarent. ad hæc cum religiosissimus Imperator ardentius optaret Macedonianos ad Catholicam de Fide sententiam pertrahere, post assertam Gregorio Sedem, illud in primis dogma in disquisitionem vocatum; stabilitumque est Fidei Symbolum, quod posteà Occidentalis Ecclesia inter Missarū solemnia decantari iussit, additis nempè ad Nicænum, quæ de Spiritu sancto Macedonia hæresis addenda suaserat.

Cæterum quòd Alexandrinus Episcopus Maximum Cynicum ad se confugientem Constantinopolitanum Episcopum consecrare ausus fuisset, in hac Synodo cautum, quod & anteà Nicæni Patres statuerant, ne Alexandrinus extrà Ægyptum, alijue extra suæ Metropolis fines episcopalia munia exercerent. Hanc porrò Synodum Damasi authoritate indictam, ab Eoque confirmatam Oecumenicam fuisse constat. tradunt nonnulli in ea illud quoque decretum, vt Constantinopolitanus Episcopus post Romanum cæteris omnibus antecederet. *verùm additititium huiusmodi Canonem fuisse, aut certè à Damaso nequaquam suo calculo firmatum, pluribus Author demonstrat.* *Socr. l. 5. c. 2. Soz. l. 7. c. 8.*

Meletij obitus. Antequam Constantinopoli Patres decederēt, Meletius Antiochenus ibidem *Niss. in fun. Melet.*

dem

Soz. l. 7. c. 10 Naz. carm. de vita sua.

dem vitæ diem clausit extremũ, pompaque maxima elatus, Antiochiam ipsteà translatus est. tranfactum antea fuerat, quod alibi meminimus, ne Successor Ei daretur superstite Paulino. idemque hoc ipso tempore Gregorius, alijque pacis amatores suadebant; sed Flauiani Antiocheni Presbyteri ambitione, Orientalium superbia, atque inuidia factum, vt Paulini, cui, ab Occidentalibus instituto, Occidentales tantum, atque Ægyptij studebant, ratio nulla haberetur, quemadmodum, nec iurisiurandi initæ anteà pactioni interpositi. igitur Flauianum Meletio subrogant, Cuius electio à Synodo quoque Constantinopoli nondum peracta, quantumuis reclamante Gregorio, communi calculo approbata est. itaque Gregorius rei indignitate motus Concilio excessit. his vix dum peractis Byzantium accessit Timotheus cum alijs compluribus Ægypti Episcopis, cui etiam Macedones accessere. Hi omnes Paulini patrocinium cum suscepissent (qua in re idem cum Gregorio sentiebant) Flauiano vt Episcopatum abrogarent, Gregorij quoque electionem Ipsis absentibus, atque inconsultis peractam oppugnare instituerunt, quo ipso orientalibus, quos oderant, consentiebant; Hi namque Gregorij electionis pertæsi, quod suũ

Flauianus

Fla-

Flauiano suffragium negasset, & secessionem, quam diximus feciſſet, non inuiti eius abdicationi subscribebant. has inter veluti Symplegades deprehensus Gregorius; vt ne Ipse discordiarum causa videri posset, quasi alter Ionas, pro communi salute se deuouens, Episcopatu æquo animo cessit. Gregorij modestiam, atque animum rebus humanis celsiorem exosculatus Theodosius, Ipso adnitente, pacisque studio ægrè tandem Gregorij abdicationem ratã habuit. Rem indignam nonnulli etiam ex Episcopis senioribus, qui Gregorio ætate, ac moribus accedebant, detestati recesserunt. tum qui Byzantij perstiterant rem planè admirandam perfecerunt. Gregorio namque Theologo præstantissimo, Monacho religiosissimo, rei denique Ecclesiasticæ peritissimo, Nectarium Tarsensem Virum sanè nobilem, verùm è Curia petitum, ac planè profanum, & non tantum rerum sacrarum, sed profanæ quoque literaturæ imperitum, vno verbo nondum Christianum, nam Cathecumenus adhuc erat subrogarunt.

Nazianzenus Episcopatu cedit.

Nazianz. carm. de vita sua & Orat. 3. de pace.

Sozom. l. 7. c. 8. et seqq

Nectarius subrogatur.

L. 3. de fid. Cath.

Porrò Theodosius totus cum esset in catholica Fide propaganda, plures hoc anno eo argumento leges tulit.

Theodosij leges salutares.

L. 7. et 8. de Hære.

Per idem tempus, Gratiano annuente, celebratum est Aquileiense Concilium. conuenere autem Episcopi

Concilium

L. 1. de Apost. C. Th.

duo

duo tantum, ac triginta, Episcoporum Legati quinque. *horum nonnulli digno hic ab Authore elogio honestantur. Synodi acta (quòd extent) summatim tantum recensentur, quibus, & Synodalis ad Augustos epistola subnectitur.* *Aquileiēse.*

Theod l. 5. c. 9 Soz. l. 7. c. 11 Hier. ep. 16. & 27.

Interim Damasus certior de his factus, quæ Constãtinopoli gesta erant, generalis Romæ Concilij celebrandi consilium init, &, ne Orientales accedere detrectarent, Theodosij auxilium implorat; qui haud grauatè Damaso, quem enixè colebat morem gessit, datis ad eos literis, quibus, vt Romam accederent, significabat. sed non ante sequentem annum, accersiti Episcopi conuenere.

Seuer. l. 2.

Priscilliani hæresis

Nunc seruata temporum ratione, de exorta in Hispania Priscilliani Hæresi dicendum videtur. hæc à Gnosticis in Ægypto ortum duxit: Marcus eam quidam Memphi natus, ea Prouincia extorris factus, in Galliam primùm, tum in Hispaniam inuexit, vbi Mulierculis quibusdam veneno propinato, Priscillianum quoque opibus, atque ingenio pollentem infecit; tum vulgari veluti lue, Episcopi quidam tacti sunt. Hos Cæsaraugustæ coacta Synodus absentes damnauit. ex Synodi actis, *quorum, quæ extant fragmenta hìc Author recitat, hæresis ipsius dogmata licet cognoscere.*

At

At priscillianus, cum Instantio, & Saluiano eadem pice inquinatis, cumque fœminarum grege Romam profectus est. verum à Damaso, ne in conspectum quidem admissus, Mediolanum petit, vbi haud secius ab Ambrosio reiectus, Gratianum adijt; ab eo (Macedoniano officiorum Magistro nefariè patrocinante) Rescriptum extorsit, quo Hispaniam repetere permissu potuit; ad quam reuersus, cum iam impunè posset debacchari, Prouinciam vniuersam pudendis sceleribus contaminauit. *Hier. adu. Pelag. Aug. de error. Priscill. Leo. ep. 93.*

Concilium Romæ, & Constantinopoli.

Coactis iam Romæ Patribus Concilium, à Damaso indictum, celebratum est. cum Episcopis Hieronymus quoque, haud dubiè accitu Damasi, adfuit. ex Orientalibus præter Paulinum, ac Epiphanium, plerique omnes Constantinopolim accedentes Theodosio persuadent, è re christiana non esse, vt Ipsi vacuas Ecclesias tamdiu relinquant, Hæreticis expulsis pro foribus quodammodo excubantibus; satius proindè esse si Ipsi, quò iam conuenerant, Concilium celebrent, & ad Damasum Legatos mittant. acquiescéte eorum dictis Augusto, Gregorium sibi vocandum statuunt, vt eius authoritate, quem haud ægrè in suam Ipsorum sententiam se perducturos sperarent, firmiora essent, & Damaso facilius probarentur, quæ Ipsi decre- Chri. Ann. 382. *Hier. ep. 27. & 61. & lin Zac. c. 12. Theod. l. 5. c. 9*

decreuissent. at Gregorius, vrgentibus quamuis Augusti nomine Præfectis, corporis valetudinem causatus, adesse renuit. Episcopi tum Legatos Romam destinant cum literis, quæ à Theodoreto recitantur. in his, quæ superiore anno gesta fuerant, referuntur, nulla de Gregorio, nulla de Canone, quo primatus Constantinopolitanæ Ecclesiæ post Romanam tribuitur, mentione facta, vt appareat, aut Canonem posteà suppositum, aut clandestinis suffragijs concinnatum. Romani porrò Concilij Acta cum non extent, certi aliquid de eo affirmare vix possumus. illud pro comperto habetur Paulino Antiochenam Ecclesiam firmatam, ita vt, eo postea vita functo, Romanæ Sedis authoritate, Flauiano superstite, Euagrius Successor sit datus. illud quoque ex Damasi Actis exploratum est, Romano Concilio (hoc ne an priori incertum) decretum fuisse, vt Decimæ, ac primitiæ à Fidelibus præstarentur, qui detrectarent, Anathemate ferirentur: eadem quoque plectendos sententia, qui fœnori operam darent, quique maleficijs, augurijs, ac sortilegijs vacarent, Fœminæ in primis, quæ à Dæmone illusæ circumagi noctu se putant, & profanis ludis, ac commessationibus interesse. cautum & de Missis, Festis, alijsque diebus certis

Ambr. ep. 78.

Decimæ, ac Primitiæ.

tis horis celebrandis, canendisue: tum illud, vt in fine Psalmi cuiusque adderetur GLORIA PATRI, &c.

Hieronymi, atque Chrysostomi res gestas.

Post hæc Author Hieronymi res gestas toto, quo Romæ fuit, triennio, editosque eo tempore commentarios persequitur. tum ad Chrysostomum accedit, cuius dicendi vim maximam ex editis ab Eo lucubrationibus demonstrat.

Delubra ad Populi negocia.

Inter editas hoc anno ab Augg. Sanctiones, ea legitur, qua Ethnicorum Delubra, in quæ Populus negociorum causa confluere consueuerat, ad eadem negocia peragenda, non tamen ad Sacra obeunda, aperiri permissum est. *L. 8. de Pagã. C. Th.*

Manichaorũ Cõuentus inhibiti.

Alia quoque in Manichæos lata lex est, quorum clandestini Conuentus ita inhibiti, vt in eos diligentius inquiri ad cuiusuis delationem per Iudices, iubeatur. *L. 9. de Hæret.*

Validi mendicare vetiti.

Illud etiam sapienter edictum, ne, qui validi essent corpore, ac viribus, per segnitiem mendicarent.

Maximus Imp. acclamatur

Funestus Gratiano annus accedit, quo Maximus Eius apud Britanniam Dux, siue Is Britannus genere, siue, vt alij tradunt, Hispanus, ab exercitu imperator acclamatus, copias in Galliam transmisit, Treueri Imperij Sede collata. Hìc infensas Gratiano Legiones nactus ita sibi conciliauit, vt Illum ad summam rerum omnium despe- Chri. Ann. 383. *Aur. Vict. Y Grat. Zosim. l. 4. Socr. l. 5. c. 11*

sperationem adigeret. consilij itaque inops Gratianus Hunnos, atque Alanos in Maximum vocat, quorum pars Galliam terrestribus copijs, maritimis alia Britanniam inuaderet: Maximus interim deuictos Armoricos sedibus expulit, ac suorum illuc militum Britannorum Colonias deduxit. tum missa ad Cornubiæ Regem Legatione, ex eo Virgines ad illorum expetijt connubia: nihil visum est nouo Augusto denegandum, igitur pro colonorum numero, vndecim Virginum millia Londini coacta, nauigijs imposita in Armoricos soluunt: Harum Princeps, ac veluti Dux Vrsula fuit, quæ Dionoci Regis Filia Cõnano fuerat desponsa; Is Britannorum, qui sub Maximo merebant Dux erat. at Virgines vi tempestatis in germanicum litus delatæ, obuios habuere Melgam Pictorum, ac Gaunum Hunnorum Duces, qui pro Gratiano aduersus Maximum mare infestum habebant igitur libidine, atque sæuitia, inceſi Hostium fœminas adorti, obsistentes acrius, & mortem subire potius, quam virginei pudoris dispendium ferre, Vrsula in primis suadente pugnacissimè paratas, Barbari aliò properantes, blanditijs Virgines demulcere se posse spe omni abiecta, furore perciti, hostiliter ad vnam cædunt.

Gaufrid. de rebus Brit. Author in notis ad Martyrol. Marc. Vuelser. in fragm itiner.

Vrsula & sociarũ Historia.

At Gratianus veluti fax properè ex- *Gratianus*

tin-

mum Pontificatū deponit.

tinguenda, illustrius splenduit moriturus. abdicato etenim summo Pontificatu, quem, more maiorum, assumptum, nomine tenus, & sine christianæ pietatis dispendio gesserat; de rebus ad Gentilitiam superstitionem pertinentibus statuendi potestatem in Vrbis Præfectum transtulit: Vrbanam tum Præfecturā Gracco tribuit Christianæ Religionis studiosissimo, qui in deijciendis Idolis egregiam operam nauauit: Sacrorum quoque sumptus, ac Mystarum stipendia lege sustulit; quò Gentilium in Vrbe res mirum in modum collapsæ sunt. *Zosim. l. 4. Symm. l. 5. ep 11. Hier. ep. 7. Prud. adu. Sym. l. 1.*

Cæterum, Maximi potentia ad summum aucta, Gratianus proditum seiam à suis sentiens, fugam per Alpes in Pannoniā meditans, trecentis non amplius equitibus assumptis, Lugdunum peruenit; hìc ponte Rhodanum transmissurus, ab Andragatio Maximi Duce interceptus, occiditur VIII. kal. Septembris Principatus anno XVI. ætatis fere XXX. *optimi Principis laudes, ex Ambrosio, ac alijs, hìc apud Authorem habes.* Tyrannus tum Legatos ad Theodosium mittit, rogatque Collegam se admittere æquo animo patiatur. Is temporis rationem ducens, spe hominem diutius lactauit.

Gratiani cades. *Ruff. l. 2. c. 13 Aus. in Paneg. Ambr. ep. 27.*

Ambrosius Valen-

Porrò Valentinianus Adolescentulus, Maximi potentia territus, Ambrosium ad Eum legauit, qui pacem hone- *Ambr. in fun. Valēt.*

& ep. 33. honestis cõditionibus componeret, ac Tyrannum ab Italię inuasione arceret; quæ tum quidem Ambrosius, non sine omnium admiratione, impetrauit. *tiniani legatus.*

Socr. l. 5. c. 10 Soz. l. 7. c. 12 Marcellin. chron. Gratiano adhuc superstite Theodosius Arcadium Filium natu maiorem (nam Honorius sequenti anno natus est) Augustum dixit, tum ad Gratianum scribit enixè rogans, vti nouo Augusto insignem pietate, ac doctrina Virum Præceptorem quærat: Is ad Damasum ea de re perscribit, qui Arsenium Romanæ Ecclesiæ Diaconum ad id muneris delectum, Constantinopolim mittit. ferunt Theodosium cum aliquando ad Arsenium docentem accessisset, vidisseque Eum stantem, Arcadium Auditorem sedentem, indignatum, Augusti insignia Filio detraxisse, ac in posterum Arsenium docentem sedere, Arcadium stare, adeoque detecto capite præcepisse. *Arcadius Augustus à Patre dicitur* *Arsenius Arcadij Præceptor.*

Metaphr. 8. Maij. Sur. 19. Iulij.

Socr. et Soz. ibid. Hoc eodem anno iterum Synodus Constantinopoli celebratur, ad quam vocati sunt omnium ferè, quæ tum vigebant, Hæresum præcipui defensores, iussique doctrinæ suæ libellum, quisque exhibere. quibus ab ipso Augusto receptis, hi tantum, qui Sacrosanctam Trinitatem consubstantialem fatebantur, admissi, reliqui dilacerati; multi tùm resipuere: alij conuentus agere in posterum veriti, & Episcopos, ac presbyteros ordinare. *Concilium Cõstantinopolitanũ.*

L. 11. & 12. de Haret C. Th.

Constat etiam per idem tempus coactam fuisse Synodum Sydæ aduersus Massalianos, cui Amphilochius cum Episcopis XXV. interfuit. *Phot. in Bibl.*

Augustinus Roma. Augustinus interim annum agens XXIX. Romam profectus est, Rethoricam docturus, quod anteà Carthagine iam præstiterat.

Quo tempore fames ingens Vrbem, atque adeò Italiam vniuersam afflictauit. cuius causam ad ablata, vt diximus, Sacrificulis à Gratiano alimenta, cum Symmachus referret, ab Ambrosio non sine irrisione refellitur. *Sym. ad Valentin. Ambr. ep. 31.* Chri. Ann. 384.

Symmachus Præfectus Vrbis. Præfecturam Symmachus Vrbanam obtinuerat, cum, opportunam nactus occasionem, perturbatum Fratris cæde, Maximi tyrannide Valentinianum Puerum, totius Senatus nomine de restituendis profanis Sacris, publicisque ad ea sumptibus, ac Vestalium Virginum, aliorumque Sacerdotum stipendijs, interpellat. rem haud dubiè perfecisset, nisi Ambrosius haud minori eloquentia, obstitisset. *Ambr ep. 30. Prud. ī Sym.*

Damasi mors Hoc eodem anno Pōtificatus XVI. Damasus moritur, *de quo multa hìc apud Authorem habes.*

Augustinus Mediolani. At Augustinus Symmachi missu Mediolanum profectus est, Rethoricam Artem (quod Romæ præstare consilium fuit) ea in Vrbe docturus. bono eius fato id factum Idem Ipse testatur. Ambrosij enim eloquentia, ac morum *Aug. Conf. l. 5. & 6.*

sua-

suauitate principio illectus, tum vitæ sanctitate, ac rationum pondere motus, abdicatis Manichæorum delirijs, quibus hactenus imbutus fuerat, ac veluti fascinatus, catholicam Fidem, maximo Ecclesiæ bono, amplexus est: sed hæc non nisi sequenti anno acciderunt.

Naz. ad Nectar. L. 13. de Hæret. Quod ad res spectat Orientis, constat hoc tempore Gregorium, quamquam in secessu degentem, & Nectarium Pastorali curæ indormiscentem, datis ad Eũ literis excitasse, & Theodosium Ipsum officij admonuisse. hinc nouæ in Hæreticos, atque Iudæos editæ Sanctiones.

Chri. Ann. 385. *Aug.* Nouus Consul cum Arcadio dicitur Bauto, qui Magistratum Mediolani cum iniret, ab Augustino panegyrica Oratione ex more laudatur.

Conf. l. 6. c. 6. Auctus hoc anno Theodosius est altero Filio Honorio ex Placilla, vel potius sequenti, si Claudiano fides habenda sit, qui Consulem creatum tradit eodem, quo natus est, anno. *Donaturque tibi*, inquit, *qui te produxerat annus.* *Honorius natus scitur.*

Hier. apol. adu. Ruff. & ep. 27. Porrò, cum Damasi obitu Romana Sedes mense amplius vacasset, Siricius, non sine Vrsicini tumultu, sub rogatur pridie Idus Ianuarij. tum Hieronymus post triennij in Vrbe moram, Hierosolymam repetit. quò haud ita multò post, Paula quoque *Siricius Papa.*

cum Eustochio Filia nauigauit.

Priscillianus & socij supplicio affecti.

Interim aduersus Priscillianum, ac Socios Concilium Burdegalæ Aquitaniæ Vrbe cogitur. Homo nefarius, à Concilio ad Maximum prouocauit consilio nequaquam salutari. ab Illo enim Treuiri auditus, capitali supplicio vna cum Socijs affectus est; quo etiam tempore Vrbica ex eadem disciplina Fœmina, quæ Burdegalæ substiterat ob impietatis pertinaciam, per Populi seditionem lapidibus extincta est. tradit Seuerus B. Martinum, Treuiris cum esset, enixè Maximum orasse, vt sanguine infœlicium abstineret, cũ mali exempli rem esse intelligeret. *si Ecclesia causas Iudex sæculi cognoscceret*. cæterum Priscilliani supplicio, hæresis non solum extincta non est, sed potius propagata, quique eum viuentem sectati fuerant, mortuum vt Martyrem posteà coluerunt. *Prosp. chron. Seuer. l. 2.*

Per idem tempus Theodosius, contrà quam Maximus sibi arrogasset, peculiari ad Ægypti Præfectum Rescripto, vetuit Ecclesiasticas causas ad sæculares Iudices deferri. alijs quoque, eisdem Consulibus, editis Legibus, Aruspicinam iterum proscripsit, Fidicinas, ac Psaltrias, Ciuitatum pestes, sustulit. *L. 3. de Episc. Iud. L. 9. de Pagan L. 10. de scenic. C. Th.*

Obijt hoc eodem anno Placilla Augusta insignis pietate Fœmina, quam funebri Oratione laudauit Gregorius *Theod l. 5. c. 18.*

gorius Nyſſenus, cuius etiam egregias virtutes perſequitur Theodoretus.

Chri. Ann. 386. Nouus annus Honorij, atque Euodij conſulatu faſtis adſcriptus reperitur. fuit autem Euodius inter Maximi Clientes Galliarũ Præfectura inſignis, cui anno ſuperiore Priſcilliani cauſa demandata fuerat; ex quo haud dubiè conſtat hoc tempore pacis fœdera inter Maximum, ac duos reliquos Auguſtos interceſſiſſe.

Huius ipſius anni exordio à Siricio Papa Concilium Romæ coactum eſt Epiſcoporum LXXX. extat Synodalis epiſtola data VIII. Idus Ianuarij, in qua Concilij decreta recitantur.

L. 4. de fid. Cath. C. Th. Ruff. l. 2. c. 16 Eodem porrò menſe Valentinianus, Iuſtina Matre Arriana Fœmina haud dubiè adnitente, pro Arrianis reſcripſit. tradit Ruffinus Beneuolo Scriniorum Magiſtro huiuſmodi legis dictandæ curam demandatam, at Illum, quod Fdei catholicæ ſtudioſiſſimus eſſet, indignabundum renuiſſe, atque adeò Cingulum, dignitatis inſigne, ante pedes Auguſti, ac Matris abieciſſe. laudatur quoque Beneuoli facinus à S. Gaudentio Brixiano Epiſcopo, qui Philaſtro ſucceſſit, cuius ſub diſciplina egregiè inſtitutus fuerat. de quo illud memoratu dignum traditur; cum in Orientem, pietatis cauſa, peregrinationem ſuſcepiſſet, mortuo interim Philaſtrio, omnium ſuf-

Valentinianus pro Arrianis reſcribit.

Bibl. Sanct.

s. Gaudentius Epiſcopus Brixianus.

fragijs illi suffectum. quod cum Ipse audisset, redire in Patriam recusasse. ab eo igitur proposito dimoueri alia ratione cum nequiret, intentato ab Orientalibus Episcopis Anathemate, redire coactum.

Turba Mediolani.

Sed ad Valentiniani Edictum reuertamur. eo promulgato maximę turbæ Mediolani excitatæ sunt, Auxentio, qui & Mercurinus dictus est, post Seniorem Auxentium Episcopo ab Arrianis electo, Ecclesiam quæ Arrianorum anteà fuerat, reposcente, Ambrosio contrà viribus omnibus obnitente. ausus quoque Is est, Ambrosium ad publicam de Fide disputationem, Augusto Arbitro nequaquā detrectante, prouocare. Ambrosius indignum ratus Fidei iudicium laicis committere, non Auxentium modo, sed Ipsum quoque Valentinianum ea de re obiurgare non est veritus. *Ambr in Auxent. & ep. 32.*

Interim Treuiris coacta Synodus est, Itacio Hispano Episcopo, qui Priscilliani accusator fuerat, postulante. Is magnum famæ detrimentum passus, etiam apud Catholicos, fuerat, atque adeò à Theognosto Episcopo excommunicatione perculsus, B. Martino in primis exosus, quod pessimo exemplo, eam accusationem apud laicos instituisset. Maximi proindè gratia fretus, suæ factionis Antistites Synodo adesse curauit, à quibus, vt par erat *Sener. Dial. l. 3. & in vit. S. Mart. c. 23.*

cre-

credere, ea in Hæreticos animaduersione impollutus, atque innoxius pronunciatus est.

Horum Episcoporum communionem Martinus diutius cum vitasset, de sua tandem constantia decessit, sed statim resipiscens, maximum indè mærorem contraxit; cum præsertim vim sibi ea ex re aduersus Energumenos ademptam persensisset. Hoc tempore illud accidit satis peruulgatum. cum Martinus, à Maximo conuiuio exceptus, eo iubente, primus poculum accepisset, postquam ebibit, poculum non Principi, qui id honoris causa exoptabat, sed suo Presbytero porrexit. Augusta quoque, Fœmina religiosissima, summo sibi honori duxit, cum à Sancto Viro, vt eum prandio exciperet, impetrauit, quo cum tamen accumbere non est ausa, sed cibos anteà à se paratos mensæ apposuit, aquam abluendis manibus fudit, vinum miscuit, fragmenta denique diligentius collecta regijs epulis antepositit.

s. Martinus conuiuio à Maximo excipitur

Hier. ep. 65. & Proem ī Oseā. Item Apol ī Ruff.

Sed ad Hieronymum redeamus. Is superiore anno Hierosolymam summa hyeme cum reuertisset, Alexandriam indè perrexit, Didymum Cæcum insignem doctrina Virum auditurus, qui tamen Origeni plus nimio addictus, eius quoque erroribus imbutus erat. Eo haud diù præceptore vsus

Hieronymus Didymum audit.

Hieronymus, qui Orbem penè vniuersum Damasi nomine docuerat, lustratis Ægypti Monasterijs, Palestinam repetit apud Bethlehem mansurus, vbi Barrabanum Iudæum Hebraeæ linguæ interpretẽ magno, vt Ipse ait precio, ac labore audiuit, nocturnum Præceptorem, quod Is Iudæorũ offensionem pertimesceret. tunc Pauli epistolas interpretari aggressus est, eo ordine, quo ipse in præfatione epistolæ ad Ephesios, docet. totus autem licet esset in hæbraica lingua addiscenda, quam antea in Syriæ solitudine prægustauerat, in suscipiendis tamen peregrinis, Hierosolymam, pietatis causa venientibus, eisque fouendis intentissimus erat; quorum gratia quod supererat patrimonium, misso in Dalmatiam Paulino Fratre, distraxit. hìc nequaquam dissimulandum est extare Nysseni epistolam, quæ eo in argumento versatur, vt peregrinationes huiusmodi maximè improbet, quo factum est, vt multi eam pro germano tanti Viri opere non agnoscant, contra nostri temporis Hagiomachi obuijs manibus amplectantur. Nos quicquid sit de Authore, & Nysseni epistolam esse non inficiantes, illud monitum Lectorem volumus, eam ad Monachorum Præfectum, siue Abbatem scriptam, Monachorum, ac Mulierum peregrina- *Basil. ad Mo-*

Hieronymus hæbream linguam addiscit.

Peregrinos excipit Nisseni qua ratione peregrinationes damnet.

tio-

nach. lapsū. Hier. ep. 13. Ex Cod. Vatic. L. 1. de his, qui Relig. cōtēd. L. vlt. de sep. viol. C. Th. Socr. l. 6. c. 3.

tiones improbare, à quibus obiri cum laude vix possint. qua in sententia Basilius quoque Nyssenj Frater, ac Hieronymus Ipse, fuisse certum est.

Ad hunc eundem annum spectant Valentiniani de instaurando, atque amplificando Pauli Apostoli Templo Via Ostiensi, ac Theodosij aduersus Hæreticorum Conuentus, & de non distrahendis Sanctorum Martyrum Reliquijs, Rescripta. quo tempore Chrysostomus Sacerdotio initiatus traditur, & Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus exceſſit, Cui Ioannes non integræ Fidei Antistes subrogatur, qui Valente Principe pro Arrianis, ac Macedonianis stetit.

s. Chrysostomus Presbyter ordinatur.

Chri. Ann. 387. Vit. S. Ambr. Ambr. in Auxent.

Iustina interim Augusta infenso dudum in Ambrosium animo, cum occultè Illum perdere ex sententia non succederet, vi pellere adorta est. extorto itaque à Valentiniaao Filio Rescripto, quo Is Ecclesiam, ac Sacra vasa Auxentio tradere iubebatur, militari Eum manu intra ipsam Ecclesiam obsidet. tantus fuit Populi in Ambrosium amor, vt multis Illum, ipsamque Ecclesiam diebus, ac noctibus, excubijs militari more agitatis, tutati sint. mirum sanè videri potest Mediolanensem Populum, contempto Imperatore, Episcopo studuisse, sed magis adhuc mirum ipsos milites in Ambrosium immissos, Ipsius tutelam suscepisse.

Populi in Ambrosiū amor.

Gerua sij, & Pro thasij reli quia inuen- ta.

De impijs Valentiniani Edictis, atque illata Ambrosio vi certior Maximus factus, datis in id literis, paterna Eum quadam seueritate increpuit.

Sub idem tempus Ambrosius inuenta, Dei monitu, incorrupta Geruasij, ac Prothasij Martyrum Corpora, solemni pompa transtulit, decentius adseruanda; ad illorum contactum miracula complura sunt edita, quorum non Ambrosius modò, verum etiam Augustinus, cum Populo frequentissimo, Testis oculatus fuit. Sed ecce tibi qui modò Ambrosium hostiliter infectati Valentinianus, ac Mater, Regum Tyrannum appellabant, supplicater adire, Deo adigente, coguntur. Maximus Tyrannus Alpes iam iam transmittere, Italiam petere instructis copijs nunciatur: nullus ad Eum demulcendum Ambrosio potior habetur. in Eo igitur publicæ incolumitatis spes omnis reposita cum videretur, Legatus ad Tyrannum mittitur, qui Valentiniani, ac Matris diriorem Tyrannidem expertus fuerat, quique humano more ratiocinari si voluisset, Maximi dominatum magis è re sua esse statuisset. Igitur Ambrosius Maximi animum exploraturus, proficiscitur; profectionis tamen causam Valentiniani pietatem, fraternas reliquias repetentis, prudenter obtendit; ventum tamen ad futuri belli consilia exploranda: cumque

Tom. 1 ep. Ro. Pont. Theod l. 5. c. 10. Ambr. ep. 85. Aug. Conf. l. 9. c. 7 vit. S. Ambr.

Ambrosij secũda ad Maximũ legatio

Maxi-

Maximus Tyrannidem velare, iustasque belli causas prætexere niteretur, Ambrosius Illum Sacerdotali libertate ad pacem hortari, ab iniuria absterrere, incassum tamen, conatus est; vlciscente haud dubiè Deo Iustinæ impietatem Filij leuitatem. sanè Ambrosius ea epistola, qua Valentinianum de rebus à se cum Maximo transactis certiorem reddit, disertè monuit, ne Illi fideret pacis inuolucris bellum obtegenti. imprudens autem Adolescens oblatæ Pacis spe illectus, ad eam firmius stabiliendâ, Legatum alium Dominum mittit, qui ita deceptus est, vt honoris, ac præsidij specie Tyranni exercitus partem secum in Italiam duxerit, & non longe subsequentem Illum cum reliquis copijs non persenserit prius, quam Aquileiam aduentasse compertum est. turbatus improuiso eius aduentu Valentinianus tum demum Ambrosij monita intellexit. spe itaque destitutus omni, cum Matre fugam Tessalonicam arripuit, indeque ad Theodosium Legatos, de Maximi iniuria expostulaturus mittit: quo tẽpore Maximus quoque ad Eundem Theodosium legationem destinat; & Maximi quidem Legatos Theodosius nec admisit, nec repulit; ad Valentinianum autem cuius Sororem Gallam sibi matrimonio iunxerat, Tessalonicam se contulit, vbi de instruendo aduersus

Ambr. ep. 27.

Zosim. l. 4.

Valentiniani imprudẽtia.

Maximi in Italiã aduẽtus.

Valẽtiniani fuga.

Maximum bello deliberatum est. at post quam Barbarorum copijs Italiæ pars magna vexata est, Maximus omniũ sibi animos conciliare studuit. itaque de Fide à Siricio Papa per literas interrogatus, religiosè admodũ respondit, catholicam se Religionem profiteri, cum interim, & Gentilibus adempta per Gratianum Sacra restituerit, & pro Iudæis quoque rescripserit. *ep. Ro. Pont. tom. 1. pag. 48. Ambr ep. 29. Socr. l. 5. c. 14*

Antiochẽses Placillæ statuã de turbã.

Bellum igitur aduersus Maximum paraturus Theodosius, nouum Orientalibus tributum indixit. id Antiocheni ægrè ferentes, Placillæ Augustæ, quæ, ante biennium excesserat, Statuam, loco motam, cum ignominia raptarunt. Qua re Theodosius commotus vehementius, excidium Vrbi comminatus, Iudices cum militibus Antiochiam misit, supplicium de seditiosis Ciuibus sumpturos. Flauiani tamen Episcopi legatione placatus, Vrbi pepercit, rem gestam susè Chrysostomus narrat. quæ cum ante aduentum Theodosij in Italiam acciderint, erroris eos coarguunt, qui putarunt, legem ab eo, Ambrosij suasu postea latam, de producendis ad triginta post sententiam dies supplicijs, Antiochensibus saluti fuisse. Chri. Ann. 388. *Suid. verb. Placil. la. Themist. orat. 4.*

Theosij clemẽtia.

Cæterum Theodosius quanti ponderis esset susceptum bellum probè sentiens, diuinum sibi in primis Numen conciliare studuit. itaque præter

alia

alia pietatis opera, & vota summa cum Religione nũcupata, Legatos in Ægyptum mittit ad Sanctos ibidem magno numero Anachoretas in Eremis latentes, quos pro se precibus decertantes, præcipuos sperauit propugnatores. quorum Sanctissimus Ioannes haud dubiam Ei victoriam spopondit.

s. Aug. de Ciu. Dei. l. 5 c. 26. Ruff. l. 2. c. 32

Ferunt quoque accersitum ab Eo Senuphium, accedere quidem Constantinopolim renuisse, misisse nihilominus suum ipsius superhumerale, ac baculum, quæ veluti inuicti roboris arma, pium Principem magna fiducia ipso in prælio gestasse ferunt.

Euagr vit. ss. PP. c. 1

Illud quoque interim tanquam maximum belli præsidium non neglexit, vt hæreses, earumque Sectatores omni ope abolere contenderet. constat enim hoc anno multas hac de re ab eo Sanctiones fuisse editas.

L. 14. 15. & 16. de Hæret. L. 2. de his, qui sup. relig. cõtend. C. Th.

Theodosij leges, & Duplex Victoria.

His ità constitutis, Theodosius in hostem proficiscitur, quem in Pannonia obuium ingenti prælio fudit, atque Aquileiam repetere coegit. exin' Marcellinum Maximi Fratrem, alio cum exercitu apud Petauionem agentem non secùs deuicit. tum, nihil cunctandum ratus, Maximum Ipsum Aquileiæ obsedit, qui haud ita multò post à suis militibus vinctus Theodosio traditur, ab ijsque, quòd Theodosium ad parcendum propensum aspexissent, trucidatur. Andragasius Classis

Zosim l. 4.

Maximus obsidetur

Theodosio traditur.

fis Præfectus suorum conscius facinorum, audita Maximi nece, ne, & Ipse, Victori dederetur, fluctibus se Ipsum mersit. sequuta dein' est Maximi Filij etiam tum pueri, paulò ante Augusti à Patre appellati, cædes, quem Arbogastes, cum Matre in Gallijs relictum, confecit.

Theodosij clemẽtia.

Theodosius nón tam Victoria, quam Clementia clarus, duobus tantum, aut tribus Tyranni Lanistis, vt ait Pacatus, ad belli piaculũ cæsis, reliquos omnes materno veluti sinu complexus est. nullius bona publicata, nullius libertas mulctata, nullius dignitas imminuta. Ambrosius quoque ad Eum. *Inimici tui Filias reuocasti, nutriendas apud affinem dedisti: Matri Hostis tui misisti de ærario tuo sumptus.* Ambrosij porrò suasu, qui Aquileiæ tum erat, Theodosium victoria ita temperanter vsum constat Ipsius Ambrosij testimonio. illud quoque Theodosij virtutem commendauit maximè, quo summum laudis, ac gloriæ consequutus est, cum Occidentale ita à se partum Imperium Valentiniano restituit, quem & in recta Fide, à qua, impia Matre suadente, desciuerat, paternè instituit. Manfit hoc anno Theodosius Aquileiæ, ac Mediolani; sequenti, Romam profectus est.

Ambr. ep. 29.

s. Aug. de Ciu. Dei. l. 5. c. 26

Theodosij magnanimitas, ac religio.

Suid. verbo Valẽtinianus

Byzãtij in-

Antequam memorabili victoria Theodosius potiretur, Constantinopoli

Ambr. ep. 29.

Socr. l. 5. c. 13 poli Arriani, quorum è re erat, vt Ipse potius vinceretur, falso de Maximi Victoria nuncio euulgato, tumultu, ex eo, maximo excitato, Nectarij Episcopi domum incendunt, aliaque multa, vt in seditione, per vim patrant. mox, vero accepto nuncio, exterriti, Arcadium supplices adeunt, orantque enixè, vti ad Patrem pro ipsorum venia perscribat. Morem Arcadius gessit, Theodosius, Filij precibus, noxam Seditiosis condonauit. *multus ab Arrianis.*

Aug. Conf. l. 9. c. 6 et seqq. Hoc item anno, Paschali tempore, magnum Ecclesiæ columen Augustinus, Ambrosio ministrante, sacro Baptismate initiatus est; quo suscepto, in Africam reuersurus, Romam profectus est, ibique tamdiù perstitit, dum se mari committere tuto potuit. Romæ dum esset, multa, vt Ipse testatur, lucubrauit de Ecclesiæ, deque Manichæorum moribus libros duos, de libero Arbitrio tres, quos tamen in Africa perfecit. Dialogum item de Anima, cum anteà in Mediolani secessu adhuc Cathecumenus multa alia perscripsisset, pietatem maximè redolentia, in quibus soliloquia, & de Vita beata Commentarium. *s. Augustinus baptizatur.*

Aug. Retract. l. 1. c. 7 et seqq *Multa scribit.*

Vita s. Ambr. Theodosio interim Mediolani degente, Ambrosij apud Eum authoritas, & dicendi libertas magnoperè commendatur. acceperat Augustus quadam in Vrbe, Episcopo annuen- *Ambrosij libertas.*

te,

te, Iudæorum Synagogam incensam; igitur Episcopi sumptu instaurari Rescripto præcepit. id Ambrosius indignũ Christiano Principe ratus, Theodosium, vt Rescriptum reuocaret, priuatim primùm admonuit; cunctantem, publica in concione, Ipso audiente, increpuit; quem tamen prudẽter egisse quisque dixerit, cum constet idem posteà imperasse Gregoriũ Magnum. Is enim Panormitano Episcopo, qui Synagogam Iudæorum vi abreptam in Eccleſiam consecrasset, pretium vt persolueret, imperauit. sed & aliam Synagogam, in quam violenter Crux cum Imagine Dei Genitricis illata fuisset, his ablatis, reddi iussit. denique sæpius rescripsit, nullum Iudæis negocium facessendum à Christianis, sed eos benignitate potius alliciendos ad Fidem, quàm inuitos pertrahendos. sed hæc obiter de Gregorio dicta sint, quem æquè, ac Ambrosium, diuino Spiritu, *qui vbi vult spirat*, ductum existimabimus.

Ambrosij, ac Gregorij cõtrariũ iudiciũ.

Greg. l. 7. ep. 58.

Idem l. 1. ep. 34. & l. 11. ep. 15. l. 12. ep. 18.

Romæ Augustinus cum hyemasset, ad Ostia descendit Tyberina, in Africam inde soluturus, piæ tamen Matris ægritudo subsistere Eũ aliquandiù coegit; Ea nono ægritudinis die vita functa, ac debitis ei pietatis officijs persolutis, Augustinus cum Socijs Alipio, atque Euodio in Africam pergit: Carthaginem primò, dein' in Patriam Tha-

Augustinus Roma discedit. Matrẽ amittit.

Chri. Ann. 389. *Aug. Conf. l. 9. c. 8.*

Thagastem delatus, triennio Ruri moratus est, vbi librum de Magistro scripsit, duos verò contra Manichæos de Genesi: libros quoque de Musica anteà inchoatos absoluit. *In Patriã defertur.*

Sub Augustini in Africam aduentum, mense Maij Gregorius cognomento Theologus, Nazianzenus vulgò appellatus vitæ diem clausit extremum, *de cuius vita ratione, rebusque gestis multa hìc Author addit apud eum legenda.* *Gregorij Nazianzeni mors.*

Hier. de scr. Eccl.

Sequenti porrò mense Theodosius cum Honorio Filio Romam accessit, Communicatoque cum Valentiniano honore glorioſius triumphauit. cum Romanis quoque de abolendo Idolorum cultu transegit, seruatisque insignioris tantum artificij, ad Vrbis ornatum, illorum Statuis, reliquas confringi curauit. *Theodosius Romã, Eius zelus.*

Soz. l. 7. c. 14 Pacat. in Paneg. Prud. lib. 1. adu. Sym. Prosp. in chrõ.

Symmachus tùm, qui Maximum Panegyrica Oratione ornauerat, tempori seruiens, Theodosium quoque pro ea, qua pollebat, eloquentia collaudauit. verùm quod de Ara Victoriæ, deque alijs ad profanum cultum pertinentibus apud religioſum Principem mentionem facere veritus non fuerit, Eius odium incurrit, ac centesimo ab Vrbe lapide exulare coactus est. quamquam haud ita multò post Principis indulgentia est restitutus. *Symmachus pellitur.* *Restituitur.*

Paulino qui cum Flauiano, vt sæpius

pius meminimus, Antiochenam Ecclesiam bipartitò regebat, morte sublato, Euagrius sublegitur. igitur cum discordiarum nullus finis futurus videretur; Siricius (Theodosio ea super re frustra interpellato) Synodum Capuæ celebrandum indicit verùm cum adesse Flauianus renuisset, alijs nonnullis eo in Conuentu decretis, Euagrij, ac Flauiani causa Theophilo Alexandrino Episcopo demandatur; sed ne hac quidem ratione vetus discordia sublata est. *Theod. l. 5. c. 23. Socr. l. 5. c. 15 Soz. l. 7. c. 15 Ambr. ep. 79.*

Templũ Serapidis euersũ.

Septembris appetentibus Kalendis, Theodosius Vrbe discedens, Mediolanum reuertitur. quo tempore, eo iubente, celeberrimum Serapidis in Ægypto Fanum, aliaque ibidem ignobiliora passim Delubra, euersa sunt: quod, & alijs quoque in Prouincijs vsu venit. *Marcell. chron.*

Thessalonicẽsium à Theodosio lades

Immensam interim Theodosij gloriam Thessalonicensium clades decolorauit; mox expiatio illustriorem reddidit. res est omnium ore, ac scriptis vulgatissima. occiderant Thessalonicenses, per seditionẽ, Militarem Præfectum re ad Theodosium perlata, qui haud ita multò anteà Byzantij Ciuibus, Arcadio deprecante, Antiochenis, Flauiano, pepercerat, veritus, ne nimia indulgentia in perniciem cederet Reip. seditiosum Populum Circenses Ludos frequentissimè spectantem, Chri. Ann. 390. *Ruff. l. 2. c. 18 Vit. S. Ambr Aug. de Ciu. Dei l. 5. c. 25 Soz. l. 7. c. 24*

Theod l. 5. c. 17. Ambr. ep. 18 & in fun. Theod

tem, immissis inopinatò Legionibus, sinè delectu trucidauit. cæsa sunt Ciuium, vt perhibent, septem ferè millia, in quibus haud dubiè multi innoxij. insuetā Principis sæuitiam omnes detestati, Ambrosius memorabili exē plo vindicauit; accedentem etenim ad Ecclesiam Augustum, aditu, mira libertate inhibuit; at Is tolerantia, ac pietate, nescio an admirabilius, paruit, pœnamque publicè ab Ambrosio in dictam persoluit, octo ipsos menses Templis, ac Sacris excluſus, illustrior pœnitentia post lapsum, quam ante illum innocentia. Legem quoque, eodem Ambrosio suadente, promulgauit, qua cauit, ne capitales sententiæ Reorum supplicio ante dies XXX. ratæ haberentur. extat ea Lex tum in Theodosij, tum Iustiniani Codice. sed non est facilè affirmare, vnde error irrepserit, vt multos ante annos, Gratiano adhuc superstite, lata appareat. addit Theodoretus post latam demum Legem, ab Ambrosio in Templum admissum, humi se pronum abiecisse, illudque ex Psalmo multis cum lachrymis recitasse, *Adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundum verbum tuum.*

Ambrosij libertas.

Theodosij tolerãtia.

L. 13. de pæn. C. Th. L. 20. eod. tit. C. Iust. Psal. 108.

Hier. ad Pãmach. ep. 50.

Constat hoc eodem tempore Synodum Mediolani coactam aduersus Iouinianum, ac Sectatores, qui, Monachi cum essent Cœnobiorum transfugæ,

Synodus Mediolani.

Iouinianus

fugæ, Epicuri de grege, impuriſſimas leges euulgauerant. damnati itaque à Siricio Papa: Mediolani quoque eorũ cauſa diſcuſſa eſt, quò & Legati Apoſtolici, & ex Gallia quoque Epiſcopi ſe contulerant. ſcripſit poſtea aduerſus lutulentum tum ſermone, tum moribus Hæreſiarchã Hieronymus; cumque Theodoſij lege huiuſmodi Monachi in ſolitudines fuiſſent amandati, Iouinianus tamen extra Vrbis mœnia conſiſtere, & ſuburbanos Conuentus agere non eſt veritus; proindè longo poſt tempore Honorius ad Epiſcoporum querelam, ſeruili affectum pœna in Inſulam Eum Illyrici littoris relegauit. Iouiniani propè Vrbem mora diuturnior, flagitioſiſſimos inuexit mores, cumque his infandum Sodomitarum ſcelus quod lata hoc eodem anno lege, ac Traiani in foro publicata, Theodoſius igni vindicandum decreuit.

& aduerſ. Iou. Ambr. ep. 81. Siric. ep. 2. L. 1. de Monach. L. 53. de Hæret. C. Th.

Theodoſij in Sodomitas lex.

L. 6. ad leg. Iul de Adult.

Perſa Ambroſij fama Mediolanum veniũt

Per idem tempus, vt, poſt traditam Theodoſij pœnitentiam, narrat Paulinus, duo potentiſſimi, ac ſapientiſſimi Perſarum Satrapæ, Ambroſij fama permoti de Ipſius ſapientia, ac probitate periculum facturi, Mediolanum cum veniſſent, multis propoſitis quæſtionibus, ab hora diei tertia, vſque ad tertiam noctis cum Eo, per Interpretem, diſputarunt. tum, vt non aliam planè ob cauſam ſe adueniſſe teſtarentur; Theodoſio obiter ſalutato,

Vit. S. Ambr.

to, Romam petiere, Probi clariſſimi Viri pariter ſapientiam, ac magnificentiam exploraturi. Hic eſt Ille Anicius Probus Ambroſij promotor ad Remp. capeſſendam, longa, vt tradit Marcellinus, Prætorij Præfecturæ prorogatione laſſatus. *Anicij Probi fama.*

Socr. l. 5. c. 19 Soz. l. 7. c. 16 Hoc item anno Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diaconus nobili cum Fœmina, quæ Diaconiſſe munere fungebatur, diutius conſueuerat, ab Eaque ditatus fuerat; igitur à Presbytero Pœnitentiario crimine per ſummum nefas euulgato, maximæ concitæ ſunt turbæ; Presbyter à Nectario Epiſcopo gradu motus eſt. tum Lex à Theodoſio promulgata, ne Diaconiſſæ munere Mulier ante ſexageſimũ ætatis annum fungeretur, neuè Vidua quouis titulo Eccleſiæ, eiuſue Miniſtris bona relinqueret. ſed de hoc pluribus actum tomo primo; cum de Sacramentali Confeſſione diſputatio inſtituta eſt. At quoniam dum vltor ſceleris Theodoſius inſurgit, diuinæ Legis terminos tranſgreditur, Eccleſiaſticæ libertatis vindice Ambroſio intercedente, Idem Auguſtus, noua edita Sanctione, priorem abrogat ea parte, qua Eccleſia, eiuſque Miniſtri, à Viduis aliquid percipere vetabantur, quaque Eccleſiaſtica libertas diſpendium paſſa videbatur. *Diaconi, & Diaconiſſæ crimẽ. Theodoſius, Ambroſio intercedente, legẽ abrogat.*

Laudatur quoque à Victore, atque

Am-

Cõnubia inter cõsobrinos vetita.

Ambrosio Theodosij lex illa, qua, ignis pœna proposita, inter consobrinos connubia vetuit, quæ quidem non extat, extat tamen persimilis, quæ Constantio tribuitur. quo loco illud animaduertendum, Constantiũ, ac Theodosium aduersus Gentiles huiusmodi tulisse Legem, nam Christiani Religionis instinctu, ab ipso Christiani nominis initio, ab hisce connubijs abstinuere. sed & Gentilibus, non nisi recentiore iure, hoc apud Romanos permissum, Plutarchus Author est.

Aur. Vict. in Theod. Ambr. ep. 66. L. 2 de incest. nupt. C. Th. Plut. qq. Rom. quæst. 6.

Galla Augusta moritur.

Sub idem tempus moritur Constantinopoli Galla Augusta, vnica relicta prole Galla Placidia, de qua postea sermo erit.

Chri. Ann. 391.

Leges aduersus Idololatras.

Symmachus, quem Theodosij iussu Vrbe pulsum, haud diù exulasse diximus, nouo appetente anno Consulatum inijt Collega Tatiano. cæterum, ne tanto Patrono profana superstitio sese attolleret, nouis statim Rescriptis ad Albinum Præfectum Prætorio, tum ad Euagrium Ægypti Augustalem Delubra adiri, Victimas cędi, Sacra peragi quoquo modo Theodosius vetuit. insuper si qui Christianam Religionem amplexati, eam postea abdicassent, & à nemine hæredes scribi, & Ipsos intestabiles esse voluit; *exacturus*, vt ait, *eos procul, nisi pœna visum fuisset esse maioris, versari inter homines, & hominum carere suffragijs*, & ne videretur

Socr. l. 5. c. 14 Prud. l. 1. aduersus Symmm. L. 10. & 11. de Paganis. C. Th. L. 4. de Apost. eodẽ C.

retur Augustus huiusmodi Legibus errantem dumtaxat plebem voluisse
L. 5. de Apost. C. Th. coercere, noua edita Sanctione, in sublimiore quoque statu collocatos, eisdem subijci pronunciauit.

Socr. l. 5. c. 19 His à Theodosio peractis, Constantinopolim reuertitur, vbi Diuino Christi Præcursori Regio sumptu Templo extructo, sacrum eius Caput in eo decentissimè collocauit. *Theodosius Byzantij.*

L. 20. de Hær. C. Th. Porrò quod Ecclesiam Orientalem omni Hæreticorum labe purgatam cuperet; iterum eorum Conuentus inhibuit.

Inter ipsos interim Nouatianos schisma coortum est, *de quo pluribus hic Author.*

In vit. c 2 & seqq. Aug. ep. 109 et 225 Hoc eodem anno, qui tertius ab Augustini in Africam reditu numerabatur, Ipse à Valerio Hipponensi Episcopo Presbyter consecratus est, ætatis annum agens XXXVII. id Ei inuito contigit, Populo Illum nec opinantem rapiente, quod tum temporis haud rarò vsu veniisse compertum est. at Ille eo in gradu constitutus, Monasterium instituit quodam in Horto, saluberrimis eam in rem legibus editis, quod posteà cum Clericis quoque, ac sacratis Deo Virginibus egit. *S. Augustinus Presbyter ordinatur.*

Chri. Ann. 392. Zosim l. 4. Theodosio Constantinopolim profecto, Valentinianus tanto præsidio destitutus, haud diù superstes fuit. Arbogastes Francus, Eius Ducum facilè prin- *Arbogastis potẽtia*

ceps, gratia apud milites plurimum pollebat, adeò, vt Adolescentem Principem contemnere, iussa negligere, contraria insuper iubere non dubitaret. Valentinianus hominis arrogantiam concoquere cum nequiret, Regio solio conscenso, literas Arbogasti porrigit, quibus Ei militare imperium abrogat; his ab Eo perlectis, maiori, quā hactenus, fiducia, *nec dedisti Imperium*, ait, *nec auferre poteris*; tum discerptum libellum proiecit: denique militum gratia fultus, Valentinianum intra cubiculum confecit: vtque facti inuidiam declinaret, spontaneo Ipsum laqueo strangulatum, per Seruos vulgauit. cadauer ex Gallia Mediolanum translatum, Theodosij iussu, ab Ambrosio curatum. illud admiratione omninò dignum, Arbogastem non sibi, sed Clienti Imperium parasse. Is fuit Eugenius nulla alia re clarior, quam arte Rhetorica, quæ Illum Aulæ commendauit. Eugenius igitur Augustus à militibus appellatus, Legatos de Pace ad Theodosium mittit: Gentilibus Sacra, eorumque sumptus restituit. qua Illum de re Ambrosius Regum Censor, diuino intentato iudicio, interpellare non est veritus. sed & Theodosius, qua tum potuit ratione Tyranno profanum cultum restituenti obstitit, noua hac de re, post tot alias, edita Sanctione.

Ambr. in fun. Valēt. Hier. ep. 3. Ruff. l. 2. c. 31

Valētiniani cades.

Zos. l. 4. Ambr ep. 15.

Eugenius Imp.

Ambrosij libertas.

L. 21. de Haret. C. Th.

Post

L. 21. de Hæret. C. Th.

Post hæc Author de Hieronymi, atque Augustini Lucubrationibus, tum quo quæque tempore, quoue ordine scripta, atque edita ab ijs fuerint disserit, de ipsius quoque Hieronymi, atque Epiphanij cum Ioanne Episcopo Hierosolymitano contentione multa; vbi &, data occasione, de cultu sacrarum Imaginum plura subnectit; quæ paucis referri vix possunt.

Hieronymi, & Augustini opera.

Chri. Ann. 393. Ruff. l. 2. c 32 Soz l. 7. c. 20 Theod l. 5. c. 24. Euagr vit. ss. Patr. c. 1.

Theodosius, qui aliquot ante annos Arcadium Filium natu maiorem Augustum dixerat, tertio demum Consulatu Honorium quoque Augusti nomine decorauit: tum verò aduersus Eugenium exercitum instruit. implorato interim pijs vna cum Populo supplicationibus, ac ieiunijs diuino auxilio; tum Ioannem sanctissimum Anachoretam, cuius virtutem superiore, aduersum Maximum, bello expertus fuerat, de futuro belli euentu consulit, misso ad Eum Eutropio, qui postea sub Arcadio rexit Imperium. Ioannes porrò non de futuro tantum belli exitu, sed de proxima etiam Theodosij, post victoriam, morte vaticinatus traditur.

Honorius Aug. Theod in Eugeniũ bellũ parat.

At Eugenius, qui, quantumuis Christianus, propensior tamen in Gentiles videbatur, eorum votis, profanisque Sacris, atque inanibus vaticinationibus, certam, & Ipse, sibi victoriam spopondit.

Theodosij moderatio. Tributum in ipso bel li appa ratu re mittit.

Cæterum Theodosius, qui ad superioris belli sumptus nouum tributum indixerat, ex quo fœda, quam diximus, Antiochensium seditio excitata fuerat, hoc tempore, quod maximam Ei gloriam conciliauit, non à nouo tantum onere imponendo abstinuit, sed nuper impositũ à Tatiano Prætorij Præfecto remisit. insuper bona proscriptorum, quæ in Fiscum collata, aut alijs donata fuerant, ipsis, si superessent, Proscriptis, ijs verò capitale supplicium passis, Eorum Filijs, aut Propinquis, iterato Rescripto, restitui iussit. *L. 23. de An non & trib. L. 12. & 13. de bon. proscr. C. Th.*

Bona proscriptorũ restituit.

Monitio ad Principes.

Christianos hìc Principes monendos putamus, vt, tanti Imperatoris exemplo, dum bellicos instituunt apparatus, pijs ad Deum precibus, & munificis in pauperes largitionibus potius, quam eorum luctu, & acerbioribus exactionibus, victoriam sibi de hostibus parare studeant.

Theodosij rescriptũ mirũ.

Sed non hìc stetit optimi Principis iustitia, ac moderatio. nam & militum licentiam, ne Hospitibus iniurioſi essent, optimis legibus frænauit. illud verò prudentissimè hoc ipso tempore præter aliorum Principum morem, non sine omnium admiratione sanciuit, qui suum Principem in militari sago maximè philosophantem suspicerent. libet hìc Rescripti verba recensere. *L. 3. de Salgã. L. 18. 19. & 20. de erog. milit. ãnon. L. 4 de metat.*

Si

L. 1. si quis maled Imp. C. Th.

Si quis (inquit) *modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum fuerit, eum pœnæ nolumus subiugari, neque durum aliquid, nec asperum sustinere; quoniam si id ex leuitate processerit, contemnendum est, si ex insania miseratione dignissimum, si ab iniuria, remittendum. vnde integris omnibus ad nostram scientiam referatur; vt ex personis hominum dicta pensemus, & vtrum prætermitti, an exquiri debeat censeamus. dat. V. Id. Aug. Constantinop. Theod. Aug. tertiùm, & Abundantio V. C. Coss.*

In hunc planè modũ Magnus Theodosius, & Christianæ mansuetudini, & Imperatoriæ Maiestati consulebat: tantum enim abest, vt hac ratione seueritatis solueret disciplinam, vt eam potius arctius constringeret. sanè quis putet ista ex Præcone audientem, aut in albo Prætoris legentem, non statim maiore in Principem charitate affectum, aut certè grauiore metu perculsum iri, quod sciret quæcumque in Principem obloquutus esset, ad eius aures peruentura. hac itaque Sanctione ita sibi omnium animos conciliauit, vt tamen eorum, qui odium imbibissent, arctiore fræno audaciam coercuerit. laudatur hoc nomine

Theodosius à Themistio, magni nominis tum Philosopho, qui ab vsque Constantij temporibus maximè floruit, & Deo simillimus hac clementiæ laude appellatur.

Alipius. Hiero. cũ Augustino amicitiam conciliat.

Hoc eodem anno Alipius, Augustini, in vitæ instituto, Collega, Hierosolymam profectus, Hieronymum inuisit, cui, cum multa de Augustini doctrina, ac moribus indicasset, mutuam inter eos amicitiam conciliauit. regressus indè in Africam, Thagastensis, hoc est patriæ Vrbis, quæ Illi cum Augustino communis fuit, Episcopus consecratur. *Aug. ep. 8. & 9.*

Sub idem tempus Hieronymus libellum de vita Clericorum, Ipsius rogatu, ad Nepotianum scripsit, qui, militia apud Theodosium clarus, inter Clericos cooptari voluerat. eo in opere Hieronymus Nepotianum admonet, pullas vt vestes æquè, ac albas deuitet. ex quo nos quoque admonemur Clericorum indumentum olim atri, vt nunc est, coloris, nequaquam fuisse; colorem autem illum Monachorum fuisse peculiarem, paulatim verò in Clerum inuectum, cum Monachi postea magno numero, in Clericos, atque Episcopos transirent. porrò Clericorum proprium colorem violaceum tum fuisse, conijcere ex eo posse videmur, quòd maneat adhuc penes Episcopos, ac Summi Pon- *Hier. ep. 3.*

Clericorum olim indumẽti color. Item Monachorũ.

Hier. ep. 22.

tificis

tificis familiares, tum penes Clericorum Collegia, quæ Seminarij nomine appellantur. Porrò ex Suetonio constat, Romanos pullatos ab Augusto reprehensos, & non nisi albatos in Theatro sedere iussos. scimus quoque hoc ipso tempore Nouatianos al bas vestes deferre, seque puros, ac mundos appellare consueuisse.

Suet. in August.

Nouatiani albati

Chri. Ann. 394. *Soz. l. 7 c. 20 Theod l. 5. c. Zosim l. 4. Ruff l. 2. c. 33 Oros. l. 7. c. 35*

Nouus annus Augustis Fratribus Arcadio tertiùm, Honorio secundùm Cos. aperitur, quo, imminenti prælio, non de totius tantum Romani Imperij, sed etiam de Religionis summa agi videbatur. Eugenius itaque, vt primùm Theodosium cum exercitu Constantinopoli digressum comperit, Iulias Alpes præsidio muniendas duxit. præcipui eius Duces Arbogastes, & Flauianus, qui Præfectum Prætorio agebat; Hic, Deorum cultui addictissimus, Iouis fulminei, atque Herculis Signa exercitum voluit antecedere, proque Alpium munimento stare, minatus Mediolani Clericis, Ambrosius namque in Thusciam recesserat, stabulum se ex Vrbis Basilica effecturum, ipsosque Clericos sub armis probaturum.

Theodosij victoria.

Hostibus igitur Theodosius obuiam factus, auxiliares tantum Barbarorum copias in eos immisit, quæ obsistentiũ vi, multis desideratis, terga vertere coguntur; verũ instaurato mox omni-

bus cum copijs prælio, fusis anteà ad Deum precibus, Victoria pro Theodosio stetit, adducto ad Rum, reuinctis post terga manibus, Ipso Tyranno. scribit Theodoretus antè pugnam non Theodosio tãtum, sed militi etiam cuidam per quietem visos Ioannem, ac Philippum Apostolos, Duces se, exercitus, & Victoriæ sponsores præbuisse. rem testatam magis reddit numisma aureum *ab Authore visum, & hoc loco expressum*, quod Theodosij imaginem, volumen (haud dubiè sacrum Euangelium) dextra tenentem, sinistra hastatam Crucem gestantem ostẽdit, aduersa porrò ex parte Diuos, quos diximus, Apostolos, volumen, ac Crucem, & Ipsos, præferentes sacerdotali indumento, ac tonsura in coronæ formam, qua hoc etiam tempore apud nos visuntur Cœnobitæ. diuino autem auxilio partam Victoriam argumẽto est, prelio statim inito vehementiorem turbinem, atque iusperatã procellam Hostium tela in ipsos retorsisse: quod non Christiani tantũ Scriptores, sed Claudianus etiam Ethnicus Poeta elegantissimè his versibus cecinit.

Numismatis figura.

Theodosij Victoria nõ sine miraculo.

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis.
Obruit aduersas acies, reuolutaque tela.
Vertit in Authores, & turbine repulit hastas.

Claud in tertio Honorij Consulatu.

O ni-

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris.
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica Venti.

Illud quoque, ab alijs prætermissum, ab Ambrosio proditur. cum suos milites, atque ordines turbatos principio Augustus cerneret, equo desiliens, effœtis licet viribus, fide validissimus, *vbi est*, inquit, *Theodosij Deus?* quo viso, auditoque milites mirè excitati, nouis veluti resumptis viribus, ad certam Victoriam proruperunt. Arbogastes, tanti motus Author, biduo post prælium, cum nuspiam se tutum intelligeret, suo se ense confecit. Flauianus verò Arbogaste adhuc nocentior, in quem Theodosij merita haud vulgaria extabant, Principis inuictæ clementiæ fidens, spe, licet impudenti, frustratus non est. perduelles reliqui, eorumue Filij, Victoris iram metuentes, Eius tamen Religionis conscij, ad Templum confugientes, non modò incolumes seruati sunt, sed Principis clementiam, ac pietatem admirati, beneficijs insuper aucti, christiana Sacra, qui Gentiles anteà fuerant, susceperunt. cæterum veniam His, qui ad Ecclesias confugissent, Ambrosium impetrasse, Paulinus tradit: quod sanè Theodosij pietatis laudem, non tam minuit, quã illustrius

Ambr. in fun. Theod

Arbogastes se ipsũ occidit

Theodosius Ambr. pedibus aduolutum soluitur.

commendat, cũ præsertim constet, obuiam Ambrosio Aquileiæ factum, Eius pedibus aduolutum, Illius se precibus, meritisque acceptam Victoriam referre, testatum. illud auditu iucundum, cum equites præcursores ad disturbandam Iouis Fulminei statuam, solemni ritu in Alpibus, præsidio, vt diximus, collocatam, misisset, aurea, quæ cum ea Tyrannus fulmina dedicauerat, eis donauit, iocantibus militibus cæteris, cupere huiusmodi in se quoque fulmina intorqueri.

Militũ iocus de Iouis fulminibus.

Theodosij pietas.

Aquileiæ post hæc aliquandiù moratus Theodosius, Mediolanum accessit, vbi consueto pietatis instinctu, bello quamuis iusto confecto, quòd tamen in eo cædes patratæ fuissent, à Sacrorum participatione tam diù abstinuit, dum accersiti ex Oriente Filij adfuere. extat Canon pœnitentialis apud Latinos, vt, qui bello cædem feciſſet, quadraginta diebus à Sacris abstineret. apud Græcos verò Basilij Canon cæde pollutis, toto triennio Sacris interdicit. Moysis quoque lege huiusmodi homines lustratione indigebant; quod & apud Ethnicos vsu receptum constat; ita enim apud Virgilium Æneas.

Ambr in fun. Theod

Basil. ad Amphiloc. c. 23.

Num. c. 31.

Aen. l. 2.

Me bello è tanto digressum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

At

Plin. l. 15. c. vlt. Pallad. in Lauſ. Soz. l. 8. c. 17

At Plinius ſuffitu lauri luſtrationem peragi teſtatur.

Per idem tempus coacta Synodus Byzantij ob dedicationem Baſilicæ Principibus Apoſtolorum, à Ruffino Præfecto Prætorio Regio ſumptu excitatæ, ad quam præcipui Orientis Antiſtites conuenere; qui & Agapij, ac Gebatij cauſam diſcuſſere; vterque etenim Boſtrenſem Epiſcopatum ſibi vendicare magnoperè ſtudebat. eiuſdem celebritatis occaſione Ruffinus ſacro Baptiſmate initiari voluit, apud quem, Theodoſio præſertim abſente, totius Orientis poteſtas fuit. felix ſi intra eos terminos continere ſeſe potuiſſet.

Concilium Byzantij

Aug. in Creſcon. l. 3. c. 56

Eodem ferè tempore Adrumenti in Africa Synodus alia celebratur, & Bagai apud Numidiam Donatiſtarum conciliabulum frequentiſſimum. de cuius actis multa Auguſtinus tradit: *poſt hæc Author exortam inter Auguſtinum, & Hieronymum contentionem ab ouo, vt dicitur, exorditus, fuſè admodùm refert.*

Concilium in Africa.

Ambr. ep. 16. Aug. ep. 31.

Quo tempore Paulinus, Vir Conſularis ætatis annum agens XL. diuenditis ampliſſimis in Aquitania latifundijs, pretioque in pauperes erogato, vna cum Therasia Coniuge monaſticum amplexus inſtitutum, in Nolanum agrum, Roma admirante, ſeceſſit. *de cuius genere, ac Natalium ſplen-*

Paulinus ex Senatore Monachus.

dore, deque Adolescentia, Ausonio Praceptore, institutione, multa hic apud Authorem habes.

Seueri ac Tetradij conuersio.

Persimile exemplum hoc eodem tempore editum cōstat à duobus alijs Romanis Ciuibus præclarissimis, qui in Gallijs tum agebant. Hi fuere Seuerus Sulpicius, ac Tetradius; vterque ex D. Martini Turonensis Episcopi disciplina. *Paulin. ad Seuer. ep. 1. Greg. Tur. hist. franc. l. 2. c. 13.*

Florebant hoc eodem tempore in Gallijs Episcopi sanctissimi, quos, ex Paulini epistola, quæ desideratur, Gregorius Turonensis enumerat. laudantur, & alij à Sozomeno, quos apud eum require. *Soz. l. 7. c. 25*

Chri. Ann. 395.

Duo fratres Consules.

Nouus annus nobile par Fratrum Consules exhibet Olibrium, ac Probinum Probo V. C., de quo sæpius meminimus, genitos, quorum fasces elegantissimè, ex more, Claudianus celebrat. *de Gentis nobilitate multa hic Author ex Sanctis Patribus, ac veteribus monumentis congerit, quem tu consule.* *Paneg in Olibr. & Prob. Cons. Zosim. l. 4.*

Theodosij obitus.

Haud multùm processerat annus, cum, post Idus Ianuarias, Theodosius Mediolani moritur, XVI. Principatus anno expleto, ætatis L. Morti proximus Christianam in primis Religionem, vocato ad se Senatu, Christianis quidem Senatoribus commendauit, Ethnicos autem ad eam amplecten dam hortatus est; quod cum alijs Zo- *Aur. Vict. in Theod. Oros. l. 7. c. 36 Marcell. & Prosp. Chron.*

Gesta ante obitū.

simus

Ambr. in fun. Theod

simus Ethnicus Author testatur. tùm Filios Ambrosij, ac Stiliconis sub tutela reliquit; Huic Serenam Fratris Filiam in matrimonium collocauerat. Cadauer pollinctum, temporario conditum tumulo, tum Constantinopolim translatum, quò iam Arcadius præcesserat, paternæ mortis nuncium, ne quid turbarum interim oriretur, primus ipse allaturus.

Tanti Principis elogia non ex Ambrosio modo, Paulino, alijsque Christianis Scriptoribus peti possunt, verùm etiam ex Ethnicis, Victore præsertim, ac Themistio. vnus Zosimus iuratus Christianæ Religionis hostis, contra omnium sententiam, quasi bello tantum strenuum, pace imparem, & in otio solutum, mendacissimè Eum carpere non est veritus.

Libri IV. finis.

ANNALES ECCLESIASTICI CAESARIS BARONII S. R. E. CARD.

A LVDOVICO AVRELIO Perusino.

In totidem libellos breuissimè redacti, in quot magna volumina opus ab Authore digestum est.

LIBER V.

Respondens quinto Authoris Tomo.

THEODOSII morte, rerum summa ad Filios delata est, quorum natu maior Arcadius vigesimum agebat annum, Honorius decimum. Chri. Ann. 395. *Zosim. l. 5.*

Rufinus. Ruffinus, Is, qui hactenus potentia cæteros facilè superauerat, contemptum se, non à Theodosio tantum Stiliconis prælatione, sed, nouo Eudoxiæ matrimonio, etiam ab Arcadio, quem *Claud. in Ruff.*

Gene-

Generum ipse destinauerat, ægerrimè ferens; occulto cum Gothis inito fœdere, alijsque Barbaris aduersus Arcadium sollicitatis, Rom. Imperium in maximum discrimen adduxit.

L. 26. et seqq. de Hæret. & L. 10. de Pagan. C. Th.

Arcadij leges.

Antequam Ruffini consilia prodederentur; Arcadius, patrijs vestigijs insistens, optimis aduersus Hæreticos, ac Gentiles legibus diuinam sibi opem conciliauit, Rescriptis ad Ipsum in primis Ruffinum editis, qui Præfectum Prætorio adhuc agebat. Romanus tunc Exercitus, Stilicone militiæ Magistro, statiua apud Italiam habebat; quo tẽpore illinc Hunni in Asiam, hinc Gothi, Duce Alarico, in Europam irrumpentes, florentissimas Regiones populati sunt. adfuit Stilico Romanis cum copijs funestam Græciæ cladem vlturus. at Ruffinus, qui, antequam Hunni Gothis iungerentur, prælio aduersus alteros decernere è re sua nequaquam esse existimabat, sequestrem se pacis simulans, Arcadio Author fuit, vt Stiliconem redire in Italiam compelleret, parte interim copiarum Constantinopolim euocata. indignè id milites tulere. iam tum itaque Hominem proditionis arguentes, infenso in eum animo recessere; cum Ipse, vt sunt inania eorum consilia, quos cœcat ambitio, horum se maximè auxilio Imperium adepturum speraret. ita enim rem cum suis transegerat,

Hier. ep. 3. Soz. l. 8. c. 1.

Barbari in Rom. Imp.

Ruffini consilia.

egerat, vt accedentibus Byzantium militibus (Stilicone æmulo longè agente) liberali donatiuo deuinctis, initio a paucis, iam precio corruptis, facto, Augustus acclamaretur. res aliter omnino cessit quippè obuiã exercitui cũ Arcadio factus; dum Iuuenẽ, Augustum, vt se Collegam assumat, intentato etiam metu, maximè vrget, quasi Barbarorum arma auerti alia ratione haud possent; Militibus æquè, ac Principe rei indignitate motis, & iam palam proditionem conspicientibus, tumultu excitato, discerptus, malè auspicatæ proditionis pœnas dedit. ferunt militem Ruffini dexteram circumtulisse, eaque porrecta, stipem quæritasse, qua oblata, adductis mox neruis, dextræ digitis subindè contractis, quadam auiditatis specie Hominis auaritiæ illusisse.

Ruffini cædes.

Militis ludus.

Ruffini cæde, quamquam hac ex parte res in tutum positæ videri poterant; tamen haud quaquam summoti Barbari qui eò iam peruenerant, vt Rom. Imperij Prouincias quasi indigenæ incolerent.

Chrysost. ad Vid.

Honorius Ecclesijs cõsulit

Quod ad res pertinet Occidentis, Honorius peculiari sanctione priuilegia omnia sacrosanctis Ecclesijs à maioribus collata rata esse iussit, præfatus temporibus suis augeri potius, quam minui oportere.

L. 29. de Episc. & Cler. C. Th.

Valerius interim Hipponensis Epi-

scо-

scopus veritus, ne Augustinus, cuius opera in eius Ecclesiæ administratione vtebatur, ad aliam Ecclesiam regendam raperetur; se adhuc superstite illum Episcopum consecrari curat, Ciuibus quoque adnitentibus, qui, eadem metuentes, Eum diutius veluti sub custodia habuerant. porrò ex Augustini Monasterio multos interim, tum Episcopos, & inferioris ordinis Sacerdotes, tum aliorum Cœnobiorum Institutores prodijsse, præter alios testatur Paulinus, qui haud ita pridem omnium cum admiratione ob claritudinem generis, post amplissimorum Magistratuum administrationem Nolam, vt diximus, secesserat.

Aug. ep. 64. Possid. in vit. s. Ambr. c. 8

Apud Aug. ep. 35. Possid. in vit. s. Aug. c. 11.

Augustinus Episc. consecratur

S. Paulinus.

Chri. Ann. 396. Qui sequitur annus duorum Augg. Consulatu notatus habetur. Honorius Mediolani adhuc agebat, qua in Vrbe consueta edidit munera, Africanis belluis in Theatrum inductis. res tum accidit memoratu digna. Noxium quemdam, Stiliconis iussu, Milites ad pœnam petebant; Is ad Templum confugit, receptusque ab Ambrosio est, eiusque Clericis, &, vt fas, protectus: Illum tamen Milites nequiquam prensantem sacram Aram, & Ambrosij opem implorantem, adduxerunt. at enim haud ità multo post in Theatrum cum venissent, & tuto, vt videbatur, loco consedissent, ab immissis Pardis saltu maximo appetiti, foe-

Paul. in vit. S. Ambr.

Mirũ de Eccl. violatoribus.

fœdè discerpti, contemptæ Religionis pœnas dedere. Stilico Ipse perterrefactus noxium, exilio tantum mulctatum, supplicio exemit.

Marcomănorũ Regina.

Hoc eodem tempore Fritigil Regina Marcomanorum (qui nunc Moravi dicuntur Germaniæ Populi) Ambrosij fama permota, Legationem ad Eum instituit regijs cum muneribus, rogatque, Fidei ad se formulam mittat. Ambrosius, haud cunctatus, Epistolam ad Eam dat in modum Cathechismi, suadetque, vt Virum ad eandem Fidem, ac Romanorum amicitiam hortetur; quod & perfecit. sequenti porrò anno Mediolanum Ipsa accersit, quo tempore Ambrosius iam obierat. *Paul. in vit.*

Byzantium terrore affectũ

Ijsdem Cos. prædictum à Sancto Viro Constantinopolitanæ Vrbis excidium, populi ad Deum preces, & publicè acta criminum expiatio ità auertit, vt tamen, ne quis putaret Dei Seruum, aut deceptum Ipsum, aut alios decepisse; prædicta die omnibus, vnà cum Arcadio Vrbe excedentibus, ignea nubes aliquandiu Vrbi imminens visa sit omnia concremare: terra quoque interim horribili motu concussa, Populo in preces effuso inspectante, audienteque. territi itaque Ciues, & ad meliorem frugem perducti, in Vrbem, nube discussa, remeantes, illæsam eam, Deo miserante, repetere. rem testatam, præter *Marcell. & Prosp. chron.*

alios,

de exc. alios, fusius D. Augustinus tradit.

Vrb. c. 6. Paul. ep. 26. Per idem tempus S. Niceras Daciæ Episcopus, extra eam quoque Prouinciam Christi nomen longè latèque inter Barbaros propagauit; quodque mirum est magis, cũ ipsa Christi Fide Monasticam quoque disciplinam inuexit; quod sanctus quoque Victricius Rothomagensis Episcopus egregiè præstitit. *S. Niceras.* *S. Victricius.*

Chri. Ann. 397. Ad annum Christi CCCIIIC. spectat Melaniæ cum Ruffino ad Vrbem reditus, de quorum per Ægyptum, ac Palæstinam peregrinatione, ac diutina Hierosolymis mora, alibi meminimus. abfuere annos omnino XXV. Melaniæ laudes præter alios congerit Paulinus, qui illam hoc tempore in Patriam remeantem Nolano secessu hospitio excepit, donatusque ab ea est sacrosanctæ Christi Crucis frustulo, quo postea ingens patratum miraculum idem Paulinus eleganti carmine cecinit. cum enim oppleta fœno casa conflagraret, & iam vicinum Paulini hospitium vorax flamma peruaderet, Crucis ligno ab eo depromto, flammisque veluti ostentato, retroceſſere illæ primo, tum verò, materie adhuc suppetente, penitus extinctæ sunt. *Melania reditus.* *Ep. 11 ad Seuer.* *In natal. 10 S. Felic.* *Crucis miraculũ.*

Hier. & Ruff. & ep. 16. 66 & 71. At quis credat à Melania hæresim in Vrbem pænè inuectam? Origenis illa errores, Ruffino Institutore, in Hie- *Melania in fraudẽ*

pellecta. Hierosolymitano secessu ita imbiberat, vt summam pietatem existimaret his ipsis alios omnes imbuere. res Hieronymo per amicos, qui Romę erant, cognita, Ipsum mouit, vt acriter in Ruffinum inueheretur; Romanosque fraudis admoneret. mira autem Dei dispensatione factū videtur, vt à Fœmina vexillum impietatis erectum, pietatis tamen notatum charactere, à Fœmina in primis detectum deijceretur. Marcella ea fuit, quæ, pari nobilitate conspicua, pietatis tamen institutione præstantior, fraudem inter primos ex his, qui Romæ erant, odorata, omnem operam adhibuit, vt venenum antequam latius serperet, ac in Vrbis quasi viscera penetraret, extingueret. Prodierat sub ipsum Melaniæ in Vrbem aduentū latinitate à Ruffino donatum interpretis tamē nomine haudquaquam prodito Origenis Opus, περὶ ἀρχῶν, hoc est, *de Principijs*, erroribus refertissimum; multa enim in eo legebantur impia dogmata de Angelorum ruina, de Animarum lapsu, de Resurrectione, de Mundo, seu Mundis Epicuri, dequè omnium restitutione in æqualem statum, hisque adhuc deteriora; quamquam ea, quæ de Trinitate Origenes deliraverat, latina interpretatio non habebat. Is itaque liber cum iam per omnium manus circumageretur, exscribereturque, atque

Marcellæ zelus.

Origenis errores.

aui-

auidissimè legeretur, ad Hieronymum transmissus est, cuius opera, accedente etiam postea Anastasij Papæ, qui Siricio successit, authoritate, periculum discussum, tranquillitas restituta est.

Hoc eodem anno pridiè Nonas Aprilis Ambrosius Mediolanensis Antistes Vir eximius moritur, exactis in Episcopatu annis XXII. ætatis LXIII. prædixerat se vsque ad Pascha cum suis futurum; cumque ex Ipsius prædictione, ac morbi vi, Eius interitus certus iam apud omnes esset, Stilichonem dixisse ferunt, Ambrosio deficiente, Italiæ ruinam sequuturam. non vanum autem fuisse Vatem, miserandum eius Prouinciæ excidiū comprobauit. *Marcell. chron. Paulin. in vit. S. Ambrosij obitus.*

Scripsit Ambrosij Viram Paulinus, qui Ei à cōmentarijs erat, alius tamen ab Eo, qui Nolæ hoc tempore agebat, eius postea Vrbis Episcopo. scripsit autem hortante Augustino, cui non Mediolani tantum, sed etiam in Africa, quo se postea accessisse scribit, notus esse potuit. cæterum quod spectat ad huiusmodi Paulini commentarium, summa fide scriptum nemo dubitet, multa tamen in eo desiderari ex Ipsius Ambrosij, ac aliorum scriptis comprobatur. *quo factum est, horum vt Author Annalium multo auctiorem Ambrosij vitam ediderit, atque ipsius operibus præfixerit, quod alibi indicauimus.* *Ambrosij vita Author.*

Am-

Ambrosio Successor datus est Simplicianus effœta iam ætate Senex; nec ita multo post celebratum est Taurinense Concilium, ac, post illud, Carthaginiense, quod tertium à Collectore appellatur, qui multa alia ante Constantinum ibidem coacta prætermisit.

Cõcil. Taurinense, ac Carthag.

Huius ipsius anni initio Honorius optimæ indolis Adolescens priuilegia à Maioribus Ecclesiæ concessa, nouo ad Theodosium Præf. Præt. Rescripto roborauit. Subindè Arcadius, fraternam pietatem æmulatus, Apollinarium hæresis Doctores Vrbe expulit: Iudæos, qui criminibus, aut æri alieno obnoxij, quo Christianorum immunitate gauderent, Christianos se esse simulabant, recipi vetuit: Magistratus ambientes coercuit.

Augg. leges.

L. 30. de Epi sc. & Cler.

L. 43. de Hæret.

L. 2 de his qui de religi.

L. 1. ad L. Iul. de ambit.

Nectario interim Byzantij Episcopo vita functo, Ioannes Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, qui posteà Chrysostomus dictus est, eo in munere subrogatur. quamquam Eius consecratio non nisi sequenti anno peracta est.

Ioan. Chrysostomus

Honorio quartùm, atque Eutichiano Cos. Siricius moritur exacto in Pontificatu anno XIII. cui Anastasius sublectus est. Hic nihil prius sibi curandum statuit, quam vt reuocatos per Ruffinum Origenis errores Ecclesiastica censura notaret. Ruffinus sanè, vbi se proditum animaduertit,

Chri. Ann. 398.

Siricij Papæ mors. Anastasius succedit.

Vrbe

Vrbe cessit, mentitus anteà editum à se Origenis librum aliorum fraude fuisse adulteratum: tantaque conscientiæ vis fuit, vt damnari absens, quam præsens coargui maluerit. Interim Donatistarum apud Africam furore, qui Catholicorum Templa incenderant, Clericos quoque malè mulctauerant, factum, vt Honorius Aug in violatores sacrarum Ædium, ac Ministrorum capitalem pœnam, lege lata, constituerit. post hæc Synodus Carthagine bis coacta Iunio mense, ac Nouembri, quæ tamen præposterè à Collectore recensentur. in his de sacrorum Ministrorum continentia præceptum iteratum. tum vt Clerici, absque ministerij detrimento, Agriculturæ, alijue artificio operam dare possent: Episcopi consecrandi Fidei professionem emitterent, statutum est: sancituſque est Canon de Infantibus baptizandis. insuper decreta ad Principes Legatio impetrandis defensoribus, qui afflictis ditiorum potentia pauperibus ius dicerent, qua item Legatione, & illud actum, vt reliquiæ Idololatriæ in Lucis, alijsque profano cultui dicatis locis abolerentur.

Ruffinus damnatur.

Donatistarũ furor.

Aug. cont. lit. Petil.

L. 31. de Epis. & Cler.

Duplex Synodus.

Clericis continentia iniũcta.

Agricultura permissa.

At Honorius XIV. ætatis annum cum iniisset, Mariam Stiliconis Filiam Vxorem duxit: mox bellum in Gildonem mouit, qui Tyrannidem in Africa occupauerat, Eum que (quod mi-

Honorij nuptiæ.

Marcell. chron. Claud de laud. Stilic l. 3.

mirum videri potest) per Mascezilem Fratrem debellauit. porrò Mascezil-siue Stiliconis inuidia, seu, quod verius, Deo violatam paulo ante ab eo Ecclesiasticam immunitatē vlciscente, militum seditione occisus est. Superstes Gildoni fuit Filia Saluina, quæ Nebridio nupsit Augustorum affinitate clarissimo, sanctissimoque Adolescenti, Viroque citius orbata, Hieronymo hortante, viduitatem sanctissimè custodiuit, Honorius verò, qua erat pietate à teneris, vt aiunt, vnguiculis, imbutus, collatam ab Apostolo iudicandi, etiam inter Laicos, Episcopis potestatem, Constantini quoque legibus sancitam, at nescio quo pacto interceptam, Sanctione edita, restituit. Sane Augustinus hoc ipso tempore id sibi iurisdictionis ab Apostolo vindicans, dirimendis se litibus plus nimio distineri queritur. Possidius quoque testatur audiendis Eum non Christianorum modò, sed cuiuscumque Sectæ hominum controuersijs integros sæpè dies ieiunum insumpsisse.

& de bell. Gild.

Hier. ep. 9.

Episcoporum iudiciaria potestas.

L. 7. de Episc. Aud. C. Iust. Aug. & Psal. 118.

Chrysostomus.

Iam quod ad res spectat Orientis, Chrysostomus, quem Nectario suffectum diximus, cum sinè Populi tumultu abduci Antiochia vix posset, ab Vrbis Præfecto Rheda sublatus, quasi animi gratia extra portā vectus, Constantinopolim perductus, ac omnium cum plausu Episcopali in throno collo-

& de op. Mō. c. 19. in vit. c. 19.

loca-

locatus est. igitur inter prima noui muneris rudimenta seueriſsimam aduersus Hæreticos legem ab Arcadio ferri curauit: tum verò Clericorum mores deprauatos cernens, eorum in primis luxum, & cum sacratis Deo Virginibus contubernia sustulit; quam detestandam consuetudinē apud Occidentem quoque hoc tempore viguisse D. Hieronymus tēstatur. Nosocomia ex ipsis Ecclesiæ redditibus instituit, Episcopalis mensæ sumptibus imminutis.

L. 34. de Hæret. C. Th.

Hoc tempore Eutropius Eunuchus, summo apud Arcadium gratiæ loco constitutus, Aulæ Orientalis potens erat, sæuitia, atque auaritia insignis. huius impulsu lata lex est contra Ecclesiasticam immunitatem, qua confugientes ad Templa per vim extrahi iubebantur; cui tamen, ità Deo moderante, Ipse in primis obnoxius Eutropius fuit, quod ad sequentis anni res gestas referemus. Subindè alia quoque edita est Sanctio, qua Clericorum, ac Monachorum licentia coercita est. cum enim Constantini Magni edicto liceret Episcopis iniquas Præsidum sententias irritas facere, res eò venerat, vt Clerici, Monachique, quasi vi publica, Reos, dum in custodiam, vel etiam ad supplicium ducerentur, abriperent. cæterum Ambrosium, Augustinum, aliosque Sanctos

Eutropius Eunucus.

L. 3. de his qui cōf. ad Eccl. C. Th.

L. 16. de pœn C. Th. & L. 16. de Episc. aud. C. Iust.

Clericorum, ac Monachorum licentia.

Epi-

Episcopos Constantini lege ità non abusos nouimus, vt potius precibus apud Præsides, agere pro periclitantibus sub gladio Reis consueuerint.

Nono appetente anno ab Honorio Manlius Theodorus Vir natalibus, atque eruditione clarus: ab Arcadio, quem diximus, Eutropius seruili genere multorum inuidia, omnium odio laborans, Consules dicuntur; quamquam, Eutropio mox gradu deiecto, proinde Fastis quoque Consularibus expuncto, Manlium tantum vetera monumenta Consulem habent. Chri. Ann. 399. *Zosim. l. 5. Aug. de Ciu. Dei l. 18. c. vlt.*

Gainas. Gainas Asiani exercitus Dux, qui Ruffini cæde potentiam auxerat, inuidia in Eutropiũ æstuabat; nec æquo in Arcadium erat animo, quod Is Eunucho nulla re magis quam vitiorum labe conspicuo, plus nimio videretur obnoxius. igitur inito cum Tribigildo Barbarorum Duce fœdere, Asiam primò, tum reliquas Orientalis Imperij Prouincias ita infestas habere cœpit, vt Arcadium ad summam rerum omnium desperationem adegerit, iniquasque Pacis conditiones petendas; in his præcipua ea fuit, vt Eutropius dederetur. vocatus tũ ab Augusto Eunuchus, qui hactenus rerum moderator fuerat, Consulari dignitate exutus dimittitur, & rebus Ipse suis consulere iubetur. rei nouitate perculsus miser, consilij inops, ad Ecclesiam, cui im-

Eutropij casus.

munitatem nuper ademerat, confugit. concurrentibus ad Illum extrahendum non tantum Militibus, sed Populo, qui infenso in Eum erat animo, frequentissimo, Chrysostomus, conscenso suggesto, ita perorauit, vt furentem multitudinem non repressérit modò, sed etiam ad commiserationem inflexerit. Extat Chrysostomi Oratio ex tẽpore ea quidem habita, de more tamen, vt videtur, excepta, *quæ ab Authore hìc recitatur.* ea igitur sanctus Antistes effecit, vt Eutropij capiti, in quod omnes inclamabãt, parceretur, quod, ipso Populo suppliciter ab Augusto, ac rebelli exercitu expoſcente, impetratum est, satisque visa est, exilij pœna, qua in Cyprum Insulam est deportatus. sed nec antea à Chrysostomo traditus, quàm iureiurando Magistratu ipso obstricto de seruanda misero vita. quamquam, Gaina adhuc vrgente, ac extrema minitante, iusiurandum delusum est, quippè, eo veluti impleto, retractus Chalcedonem Eutropius securi percussus est. fuisse Illum à Christiana Religione abhorrentem, quod ex alijs non constat, S. Prosper testatur.

Chrysostomi dicẽdi vis.

Eutropij cades.

De præd. p. 3. c. 38.

Eutropij casu opportunè vsus Chrysostomus, Ciuium mores salubriter instituit. in obscœnos quoque ludos inuectus, author Arcadio fuit *Maiumæ* fœdi spectaculi, lege lata abrogandi.

L. 2 de Maiu. C. Th.

Maiuma.

Quod ad Occidentalem Ecclesiam spectat hoc anno Romam perlata est Hieronymi germana interpretatio Origenis Operis περὶ ἀρχῶν, qua vt illius errores, ita Ruffini fraus detecta est. Alexandriæ quoque, Theophilo indicente, coacta Synodus est, qua Origenis opera in disquisitionem vocata, Eiusque praua dogmata Ecclesiastica censura notata, damnataque sunt. datæ insuper non Synodales modo, sed & Paschales, ex more, literæ. Eodem fere tempore quo Alexandrina in Synodo, Romæ quoquè ab Anastasio Origenes damnatur. & Romæ quidem Origenis hęresis extincta omnino est, apud Ægyptum verò, quod in Monachorum quorundam mentibus radices altius egisset, subinde postea repullulauit.

Synod. Alex. Orig. errores dãnati.

L. 15. 16. & 17. de Pagã. C. Th. & L. 3. & 4. eod. tit. C. Iust.

Hoc eodem anno vtriusque Augusti iussu toto Orbe Idola prostrata sunt, Templa, quæ extra Vrbes essent, diruta, nam quæ intra mœnia erant, ne Vrbes ipsæ deformarentur, seruata sunt. *Hoc loco Author de Carthaginiensium Dea, qua Cælestis dicebatur, eruditè multa disserit.* porrò diuino factum consilio fateri cogimur, vt huiusmodi Idololatriæ veluti lethale vulnus in ea ipsa tempora inciderit, in quibus, ex falsis Ethnicorum vaticinijs, quod D. Augustinus tradit, Christiana Religio finem habitura dicebatur.

Idola, ac eorũ Tẽpla prostrata.

De Ciu Dei l. 18. c. vlt.

tur. Nec Gentiles tantum edictis compescuit, sed etiam Iudæos, ac nefarios Manichæos: tum pro Ecclesijs, ac Clericis, eorumque immunitate Honorius rescripsit. L. 14. de Iu. L. 35. de Ha.

Postremus quarti à Christo nato sæculi annus Consules habuit Stilichonem, atque Aurelianum, quorum Consulatui Sisinnij, ac Sociorum Martyrum Acta adscribuntur, qui non longè à Tridentina Vrbe à Rusticis Paganis interfecti sunt. historiam conscripsit Vigilius eius Vrbis Episcopus, qui & Ipse postea lapidibus obrutus, eandem martyrij palmam adeptus est. Chri. Ann. 400. Sisinnius ac socij mart. Vigilius E. pisc. & mart. Genn. de Vir. illustr. c. 37. Vit. S. Ambr. in fin.

Eisdem Cos. Honorius, & contra Donatistas rescripsit, & iudicio Episcoporum prospectum voluit, sanctione edita, ne, qui in Concilio Sacerdotum damnati, aut depositi fuissent, ad sæculare præsidium confugerent. L. 37. de Hæret. L. 35. de Episc. & Cler.

Prodiere interim à Ruffino in Hieronymum libri tres. his, quod non statim vulgati, seriusque ad Hieronymum perlati sint, biennio post Ipse egregia, quæ extat, Apologia prouocatus respondit. Scripsit tamen hoc anno Fabiolæ Epitaphium, ex quo nobilissimæ Matronæ vitæ sanctitas mirè illustratur. illud nequaquam est prætereundum de alia Eum Fabiola, quæ Iunior appellanda est, post decennium meminisse, quæ tum viue- C. Th. Epist. 30. & 8. Fabiola.

ret, cui se conscriptos in Ezechielem libros nuncupasse tradit.

Subinde, quod ad Orientis res spectat, Gainas immanis Barbarus iterum Arcadio negocium facessit, quippè accedens Chalcedonem Augustum Ipsum quasi pro imperio accersit. Ille, viribus impar, abnuere haud quaquam est ausus, quodque dedecorosum est magis, Clarissimos Viros Aurelianum Consulem, Saturninum Consularem, ac Ioannem, qui ipsi Arcadio erat à secretis, Tyranno ad necem dedere coactus est. Hi constanti, æquoque animo pro Principis, ac Reip. salute huiusmodi Fortunæ ludibrium subiere. at Fera Getica insitam sæuitiam ita est moderatus, vt deditios securi leuiter percussos, & tantum non exanimatos, exilio mulctare satis duxerit. neque hìc stetit Tyranni furor: Byzantium ingressus, Arrianus cum esset, Templum in Vrbe suæ Sectæ Hominibus expetijt; Chrysostomi tamen constantia, atque facundia factum est, vt ab inito consilio recederet: recessit verò etiam ab Vrbe, exercitus parte in ea relicta, ex insidijs postea, data suis tessera, rediturus. sed impij Hominis conatus subuertit Deus. qui enim intra Vrbem erant Gothi, cæsi à Prætorianis, ac Ciuibus ad vnum sunt. Gainas viribus imminutus, hostis publicus con-

Gaina tyrannis. *Zosim l. 5. Socr. l. 6. c. 6. Soz. l. 8. c. 2.*

Gothorũ cades.

cla-

clamatus, Vrbem Populo frequentissimam tentare haudquaquam ausus, in Thraciæ Oppida reliqua sæuitiam exercuit: missus ea de causa Legatus ad Eum Chrysostomus, honorificè à Barbaro exceptus est, effecitque, vt Is posteà à populationibus abstineret. tum vero Gainas copiarum partem in Asiam iterum transmissurus, ratibus impositis, quæ hostium impetu, ac vi procellæ dissectæ sunt. itaque iam malè tutus retrocedere coactus, in Rom. milites incurrit, à quibus victus, cæsusque, perfidiæ pœnas, quantumuis seras, dedit.

Soz. l. 8. c. 4. Theod l. 3. c. 32.

Gainà interimitus.

Contigit hoc ipso tempore Ægypti Monachos ex Nitriæ Monasterijs vtpote Origenis sectatores à Theophilo pulsos, rursumque è Palestina, quò confugerant, eiectos Constantinopolim accessisse. Hos Chrysostomus in Theophilum inclamantes, errorum autem nondum compertos pro insita humanitate fouit; ex quo conflata posteà in Chrysostomum inuidia, sequutumque indè exilium ortum habuere. Conuenerant tum temporis Byzantium Episcopi nonnulli, inter quos Eusebius quidam Valentinianopolitanus, Is, dato ad hanc rem libello, dira crimina Ephesi Episcopo intentauit, inter quæ & illud, quod Vxore dimissa, cum ea postmodum consuesceret, ac Filios ex ea suscepisset. ea

Monachi Origenista

Chrysostomus.

Pall. Dial. Socr. l. 6. c. 10 Soz. l. 8. c. 6.

occasione alij quoque variorum crĩminum postulati, ac comperti à Chrysostomo damnati, ac depositi sunt. Subindè Chrysostomus Byzantium reuersus, nam in Asiam ea de causa profectus fuerat, Arcadio author fuit, vt Hæreticos omnes Vrbe pelleret. eo factum est, eorum vt ipse odium incurreret, vtque multi, ne patria carerent, Catholicam Fidem simularent, & sacra Mysteria cum Catholicis perciperent. prodigium tum accidisse Sozomenus tradit. Arriana Mulier Sac. Eucharistiam cum perciperet, diuinam Hostiam vix labijs admouerat, cum eam lapidescere sensit. horrore itaque perfusa, Episcopo se Ipsam detulit, Eique lapidem ipsum dentium vestigia retinentem obtulit, qui eiusdem Sozomeni hæc tradentis tempore adhuc extabat.

Lib. 8. c. 3.

Eucharistia. miraculũ.

Chrysostomus interim Scythas, qui in Romanis castris militabant, Arrianæ hæresi obnoxios audiens, quò illos ad rectam Fidem traduceret, multos eius linguæ peritos sacris Ordinibus initiauit, quorum dein' sedula vsus opera Barbaros ab Hæresi reuocauit.

Theod. l. 5. c. 30.

Ineuntis fæculi annus primus Consules habuit Vincentium, ac Fraurtam, quo Anastasius Rom. Pont. Rufinum scriptis in Hieronymum libris petulantius oblatrantem, reum prauorum dogmatum pronunciauit.

Chri. Ann. 401.

Ruffinus iterũ dãnatur.

Car-

Carthagine hoc tempore Synodus habita est Aurelio eius Vrbis Episcopo indicente, missaque Romam ad Anastasium, Mediolanum ad Venerium, qui Simpliciano successerat, Legatio, qua Operarij pro Africana Ecclesia expetiti, ac impetrati. qnod verò hæc Synodus, Iunio Mense coacta, minus frequēs fuisset, alia postmodum, tres fere post menses, haud paulò frequentior ibidem cogitur ex omnibus ferè eius Prouinciæ Episcopis, in qua, hortante Anastasio, de Pace cum Donatistis, mittendisque ad Eos ea super re Legatis actum est, tum alij sanciti Canones, *quos Author hìc refert*. *Cõcil. Carthag.*

L. 36. de Episc. & Cler. C. Th. Hoc item anno Honorius Mediolani cum esset, pro Clericorum, ac Monachorum immunitate ad Pompeianum Africæ Proconsulem rescripsit.

Marcell. chron. Quo tempore Arcadius auctus est Filio, quem, ex Aui nomine, Theodosium appellauit. *Theodosius II. nascitur.*

Socr. l. 6. c. 6. Soz. l. 8. c. 4. Accesserat haud ita pridem Byzantium Porphyrius Gazensis Episcopus vnà cum Ioanne Cæsareæ eiusdem Prouinciæ Metropolis Antistite. veniendi causa ea fuerat, vt apud Principem de Gazensium Ethnicorum in Christianos iniurijs expostularent, &, si fieri posset, Templorum inibi profanorum euersionem impetrarent. res per Augustam acta est, quæ nonum iam ferè mensem vterum gestabat.

Episcopi ad Eius colloquium admissi, tum fausta Illi omnia precati sunt, tum mascula Eam prole augendam spoponderunt. Partu, ex Episcoporum vaticinio, fœliciter edito, Augusta gratificandi studio magnoperè incensa, Illos monuit, vt Puerulo recens nato, ac Augusto iam à Patre dicto, commodùm cum, sacro Baptismate initiatus, domum solemni cum pompa reuerteretur, supplicem libellum porrigerent, ab Eo, qui Puerum gestaret, ex Ipsius Augustæ monitu, recipiendum. res ex composito peracta: libello rescriptum est Infantis nomine, ex Episcoporum voto, allatusque ad Arcadium, qui, astu delectatus, præfatusque nouo Augusto refragari nefas esse, Episcopos voti compotes fecit. datum itaquè negocium Cynegio V. C. qui militari cum apparitura Gazam delatus, Idola ibidem omnia, publicas, priuatasque apud ædes euertit: Marnæ Templum celebetrimum incendit: tum, sumptus præbente Augusta, Ecclesias Christianis Sacris obeundis excitauit; res fusius à Marco, qui omnibus interfuit, Porphyrij Discipulo recensetur. *Apud Sur. 26. Febr.*

Eudoxia cũ Chrys. dissidium.

Hoc tum quidem Eudoxia eximiæ pietatis, ac Religionis specimen dedit; fœlix nisi, Chrysostomo infensior reddita, Iezabelem posteà reddidisset. sanè quem admodum Illius cum Elia, ita *Leo Aug. in vit. Chrys. Socr. l.*

Hu- *6. c. 10*

Soz. l. 8. c. 10 Nicephl. 13. c. 9

Huius cum Sancto Episcopo, ex ablata Viduæ cuidam suburbana Villa, contentiones ortum habuere. qua in re tanta in Chrysostomo primò lenitas, tum sacerdotalis seueritas enituit, vt Augustam Templi aditu, Augusto inspectante, arcere non dubitauerit. cum autem ex Mulieris Satellitio quidam vim inferrè conatus esset, arefacta statim manu, Chrysostomi genibus aduolutus, dexteræ sanitatem, vsumque recepit. ad hæc alia non pauca ab Eudoxia aut per auaritiam, aut per contentionem gesta, Chrysostomi constantiam illustriorem reddidere. porrò Mulierem auaritiæ, ac

Chryſ. ſeueritas.

Lib. 5. supra sexum arrogantię Zosimus quoque insimulat.

Chri. Ann. 402.

Secundus sæculi annus Augg. Fratribus V. Cos. inchoatur. quo tempore Origenistæ, quos diximus, Monachi à Theophilo Alexandrino, ac Epiphanio, Hieronymo quoque adnitente extorres acti, nequicquā Chrysostomo conciliandæ paci intercedente, libellum Arcadio aduersus Theophilum adeo grauibus refertum criminibus porrexere, vt Illius caput in discrimen adduxerint. hac eadem ex causa haud leuia inter Chrysostomum, atque Epiphanium orta dissidia. Hic etenim properè damnandos à Chrysostomo quoque Monachos existimans, cum per literas nihil se

Chryſoſt. & Epiphanij diſſidium.

perficere animaduerteret, Bizantium acceſſit; vbi cum adhuc cunctantem aſpiceret, Illius communionem deuitans, rem acrius apud alios, qui Byzantij erant, Epiſcopos vrgere inſtituit; verùm cum Eos non eadem omnes ſentientes cerneret, &, Origenis cauſa omiſſa, ſuper intentatis Theophilo criminibus, Auguſti iuſſu, diſceptantes; conſcenſa naui, Cyprum receſſit. obijſſe Illum antequam Inſulam attingeret, ex Chryſoſtomi præ-

Fabula de Chryſ. & Epiphan.

dictione quidam tradunt, qui, & illud addunt, Ipſum viciſſim Chryſoſtomo exilium prædixiſſe. *ſed hæc commentitia eſſe Author demonſtrat, & Epiphanij laudes, libroſque ab eo editos hic recenſet.* *Socr. l. 6. c. 13 Soz. l. 8. c. 15*

Anaſtaſij Papæ obitus.

Quinto Kal. Maij moritur Anaſtaſius Rom. Pont. expleto Pontificatus anno IV. cui ſublegitur Innocentius.

Innocẽtius ſuccedit.

Quo item anno Martinus Turonenſis Epiſcopus Vir laudatiſſimus deceſſit ætatis annum agens LXXXVI. Epiſcopatus alterum, ac trigeſimum. Martini res geſtas præter Seuerum, ac alios, carmine decantarunt Venantius Fortunatus libris quatuor: Paulinus ſex; ambo, quod mirum, ex oculorum

S. Martini obitus.

morbo à Martino ſanitati reſtituti. porrò Paulinum Hunc non Nolanum Epiſcopum, ſed illo recentiorem fuiſſe, *ex his quæ Author huc affert cõprobatur.* *Seuer. in vit. & Dial. l. 3. Greg. Tur. l. 10. c. 31.*

Sub idem tempus Milcui apud Nu-

Mi-

midiam generale totius Africæ Concilium celebratur, quod tamen, Collectoris incuria, cum alio ibidem quartum decimum demum post annum coacto, commixtum reperitur. *Concilium Milevitanum.*

Chri. Ann. 403. *Socr. l. 6. c. 14 Soz. l. 8. c. 16 Palla. Dial.*

Nouus annus Theodosij Aug. & Ruremodij Consulatui adscribitur; quo Theophilus, Arcadij accitu, vrgentibus, quos diximus, Monachis Byzantium delatus, suarum partium Episcopis compluribus, non ante discessum modo, sed etiam ex itinere coactis, Eos aut præmisit, aut secum adduxit. Is non in Monachos tantum infenso erat animo, sed etiam in Chrysostomum, qui studere illis plus æquo videbatur. sub ipsum Eius aduentum Chrysostomus, desumpto ex sacra Historia argumento, concionabundus in Iezabelem, ac Sacerdotes eius mensæ participes inuectus, Eudoxiæ, ac Theophili, aliorumque Ei studentium animos ità exulcerauit, vt non anteà desiterint, quam Illum altissimo dignitatis gradu deiecerint. enimuerò prò miraculo est habitum, Theophilum, vt Reum vocatū, Actoris, atque adeo triumphatoris partes egisse. Is igitur Eudoxiæ gratia fultus, Ipsiusque adeo Arcadij nimis sanè vxorij; Conciliabulum Episcoporum omnino XXXVI. in Ruffini Basilica ad Chalcedonem coegit; breuiculo tum ad Chrysostomum misso, Synodi Eum nomine tamquam

3. Reg. 16.

Chrysostomi libertas.

Reum arcessit; Chrysostomus, & qui maiori adhuc numero pro eo erant Episcopi (nam XL. fuisse Palladius, ex His vnus, testatur) ad Nicænum Canonem prouocarunt, quo erat cautum, ne Alexandrinus extra Ægyptum, neue alij extra suam Diœcesim ius dicerent, aut Conuentus agerent. quo loco monendus est Lector, si ante hæc tempora Constantinopolitana iam Sedes prima post Romanā fuisset (quod ex supposititio Canone Græci autumant, vt alibi indicauimus) futurum vtique, vt, qui Chrysostomo studebant. Episcopi, ad Illum potius Canonem, quam ad Nicenum prouocarent. *In Dial.*

Nicenus Canon.

Chrys. facundia.

Interim Chrysostomus concionandi munus haud quaquā intermittens, auditores frequentes adeò habuisse dicitur, vt Opifices officinas, agros Rustici, Nautę nauigia certatim desererent; nec interdiu modo, sed etiam noctu pro Eius securitate excubarent. *hoc loco Authorem, ex Photij Bibliotheca, calumniarum in Chrysostomum congestarum aceruum reuoluentem consule.* ad catalogum verò huiusmodi addit Ipse Chrysostomus ad Ciriacum scribens, accusatum se, quod non ieiunos ad sacram Communionem reciperet, hoc Ipse sub imprecatione diuinæ vltionis, contra Ecclesiæ morem feciisse se negat; quamuis Christus Dominus post cęnam Apostolos sacra- *Chrys. Hom. de sui expuls. to. 5.*

Calūnia in Chrys.

Ieiuni comunionē percipiunt.

Eu-

Eucharistia refecerit. illud quoque à Palladio additur, crimini Chrysostomo fuisse datum, quod Populum moneret, vt à Sacra Synaxi aut aquam, aut pastillum degustarent, ne contra voluntatem vna cum saliua, aut pituita quicquam Sacramenti excrearent. sanè apud Occidentalem Ecclesiam antiquo receptum est more, vt, post sumptam Eucharistiam, vinum aqua mixtum Fideles accipiant. illud demum ex eodem Chrysostomo addendum est. cum enim audiret consuetudinem quoque cum Muliere sibi obiectari: *exuite me*, inquit, *& inuenietis membrorum meorum mortificationem*: cæterum Sanctus Episcopus quantumuis insons, defensionem se nequicquam instituere cum videret, damnationem æquo animo passus est; quæ statim, Arcadio quoque subscribente, subsequuta est; haud tamen ex Aduersariorum sententia, qui Eum, quasi Maiestatis Reum, ob iactata, vt ferebant, in Augustam maledicta, ad necem petebant. quippè Arcadius exilio Eum mulctare satis ducens; noctu, ad tumultum deuitandum, a militibus ad Nauigium deductum, in Nicomediensis agri Emporium Prætenum appellatum relegauit. sequuta nihilominus Populi seditio est maxima, ac Aduersarijs, Ipsique Principi metuenda. ad hæc diuino prorsus miraculo

Potus post cõmunionem.

Chrys. continẽtia.

Dãnatur.

Exilio mulctatur

Populi seditio

Prodigium. raculo noctu, terræmotu excitato, Ipsius Augusti, ac Coniugis cubiculum, terrore maximo, ita concussum, vt ex parte etiam collaberetur. itaque haud cunctandum rati Sanctum Epi- *Reuocatur.* scopum iteratis Legationibus reuocant. renuentem, & quietis desiderium causantem legati ideo perpulere, quod sanctè deierarent, ni petentibus morem gereret, periculum Vrbi haud dubiè imminere. mira res: vulgato Pastoris reditu, nauigijs mare oppletum est. in littus postquam exscendit à Populo inibi frequentissimo accensas cæreas faces præferente excipitur, ac veluti de hostibus, atque adeo de inuidia triumphans deducitur. Theophilus interim, & Collegæ, nulla de Origenis erroribus disquisitione habita, extorres Monachos tumultuariè in Concilium admissos, & veniam vtcumque petentes, in communionem recipiunt. posthæc, Populi odium metuentes, fugientibus similes, Ecclesiam quisque suam repetunt. tradit Sozomenus, Theophilum, ex itinere, Geras, paruam Vrbem, vi tempestatis eiectum, Vrbis Episcopum, Philammonem Solitarium Populi tum forte suffragijs electum, consecrare voluisse. Vir bonus, qui in Ædicula, extra Vrbem obstructo ostio degebat, causatus oneris sibi imposiri grauitatem, ad illud subeundum adigi nul-

Pall. Dial. Theod. l. 5. c. 33. Soz. l. 8. c. 18.

Cum pompa deducitur.

Mirũ de Philãmone.

c. 19.

la

sa ratione poterat. instanti enixè Theophilo, *oremus*, inquit, *Pater, vt Dei voluntatem exploremus*. annuit Theophilus, & Ipse in preces procumbens. verum cum Philammon orandi finem nullum facere videretur, & iam neque vocatus responderet; deiectis, qui portam obstruebant, lapidibus, Illum mortuum reperere, sepulchro itaque constructo, Templum quoque Ei posteà Indigenæ excitarunt. porrò non apud Geras modo, sed in Ecclesia vniuersa Eius memoria publicis tabulis consignata est. quo sanè exemplo docere nos Deus visus est, quam non sit Episcopalis cura ambienda, vt mors potius optanda videatur. *Mors Episcopatu potior.*

At Chrysostomus, vt diximus, restitutus, Arcadium sæpius obtestatus, vt Ipsius authoritate liceret sibi, legitima indicta Synodo, ab obiectis sec criminibus purgare; voti compos fieri haudquaquam potuit. restituti quidem cum Eo sunt Ipsius quoque partis Episcopi, ac Clerici, qui cum Eo pariter electi fuerant.

Apud Lipom & Sur. 26. Febr.

Elapso à Gazensis Templi, de qua diximus, euersione anno, mira res Gazæ accidit, quam Marcus idem Porphyrij Diaconus recenset. Accesserat Gazam Iulia magni nominis Fœmina Antiochena Manichæorum hæresi addictissima. veniendi causa ea fuerat, vt Gentiles, quos ad Christi Fidem *Iulia Manichæa facinus.*

era-

traductos inaudierat, ad suam sectam pelliceret. Fœminæ facinus indignati multi, Porphyrium, vt Eam vi pelleret, hortabantur. Is alia ratione agendum ratus, Mulierem haudquaquam detrectantem ad publicam disputationem inuitat; constituta die cum adfuisset, deducto ad multas horas certamine, cum iam Sanctus Episcopus Fœminæ auersaretur audaciam, blasphemias exhorresceret. *Deus*, inquit, *qui fecit omnia, quique in Trinitate colitur, tuam percutiat linguam, & obstruat os tuum, ne loquatur blasphema.* sententiam sequutum supplicium. Fœmina muta, ac immobilis diutius cum permansisset; denique expirauit. qui cum Ea erant, miraculo attoniti, ad Episcopi genua prouoluti hæresim statim abiurarunt: Gazenses in Fide confirmati Porphyrium, ac in Eo Christum Dominum summis laudibus extulerunt.

Iuliæ interitus.

Synodus Carthag.

Ijsdem Cos. celebrata est ex omnibus Africæ Prouincijs generalis apud Carthaginem Synodus, cui, cum cæteris, Augustinus interfuit. in ea, quod anteà non semel, Donatistarum reconciliatio frustra tentata. Catholici Episcopi qui, ex Concilij decreto, pacem huiusmodi seorsim curarunt, à Donatistis fastidiosè auditi: nonnulli malè etiam accepti. *Aug. 1 Cresc. l. 3. c. 46. & cõt. lit. Pet. l. 2 c. 88*

Alaricus.

Interim Alaricus Gothorum Rex exer-

exercitu maximo comparato Italiam cum inuasisset, apud Pollentiam Liguriæ Vrbem à Stilicone vincitur; cuius tum metu Vrbis mœnia instaurata fuisse non ex Claudiano tantum constat, sed ex veteri etiam inscriptione, quæ super Portuēsem Portam adhuc visitur. in ea quidem ipsius Stiliconis nomen, quo curante opus extructum dicitur, deletum apparet, ita tamen, vt legi adhuc vtcumque possit. cur autem id factum, infra erit dicendum. porrò de instauratis hoc tēpore Vrbis mœnibus Paulinus quoque Nolanus Episcopus cecinit. tum de parta à Stilicone Victoria Prudentius; ex quibus erroris arguitur Cassiodori Chronicon, vbi superiori hæc anno contigisse dicuntur: tum, inuersa sententia, Stilico ab Alarico victus dicitur.

De 6. Honor Cōsul.

Vrbis mœnia instaurātur.

Ad ann. Christi 408.

In Natal. 8.

S. Fœlic. l. 2 adu. Symm

At Stiliconis dolo factum, vt Alaricus incolumis euaderet, resumptisque viribus prosperè cum Romanis pugnauerit, iusta fuit omnium eius ætatis Scriptorum querela. illud quoque magnopere in eo improbatum, Sauli Barbaro, ac Pagano Duci belli summam fuisse commissam.

Stiliconis nota.

Chri. Ann. 404. *Claud de 6.*

Nono apperente anno Honorius VI. cum Aristoneto Collega Consulatum init; &, non sine Christiani nominis nota, sæculares ludos, ante annum ferè centesimum à Constantino abro-

Sæculares ludi.

Gladiatores. abrogatos, celebrat. sanè tot Christianorum Principum legibus vetita Gladiatorum munera his temporibus rursum exhibita Prudentius in primis testatur. immane piaculum, quod mox Deus Romano sanguine Gothorum gladio expiatum voluit. *Hon. Cons. Hymn l. 2.*

Chrys. iterũ pellitur. Decimus fermè à restitutione mensis effluxerat, cum Chrysostomus iterum Vrbe pellitur, non absimili ex causa. cum enim argentea Eudoxiæ Statua erigenda esset, ea ante Ecclesiam profano ritu, clamore, ac licentia Populi maxima, indignis Istrionum spectaculis, ac Saltatorum motibus erecta est: denique non solum in sueto Christianis more, verum etiam contra præscriptam hac de re à Theodosio legem. cum igitur non sinè Idololatriæ scelere, atque Ecclesiæ contumelia id peragi videretur; acerrimus Religionis Vindex vehementi ad Populũ declamatione in huiusmodi spectacula, atque adeò Eudoxiæ ambitionem inuectus est, quæ eò dementiæ peruenerat, vt alijs quoque in Vrbibus, ac Prouincijs Statuas non erigi modo, sed etiam, non secus, ac olim Cibeles, circumferri, aut iusserit, aut permiserit: quo nomine Arcadium, quoque à Fratre reprehensum constat literis ad Eum datis, *quas Author hìc recitat*. *Marcell. cheon. Socr. l. 6. c. 16 Soz. l. 8. c. 21 Pall. Dial. L. 1. de Imag. Imp. C. Th. Eudoxiæ ambitio. Int. ep Rom.*

Chrysostomi libertatem impotens *Pont.*

Mu- *to. 1.*

Mulier nequaquam ferens, Viro quoque indignè annuente, Episcopos Ei aduersantes, Theophilum in primis accersiri curat. Hi, haud cunctati, tumultuario Conuentu habito, exilij iterum sententiam in Chrysostomum ferunt. Is igitur ipso die Sabbati sacræ Hebdomadæ postremo, non sine maximo Populi tumultu Vrbe eijcitur: Arsacius Nectarij Frater sublegitur, quem ita Populus est auersatus, vt multi, in Eum obloquentes, carceri addicti, quæstionibus admoti, varijsque pœnis affecti sint. neque ex Plebe tantum, sed etiam ex honestioribus, tum ex Clericis. atque adeo ex Episcopis. Magistratuum porrò sæuitiam auxit excitatũ statim post Chrysostomi discessum in Ecclesia incendium, ex quo, non illa tantum, sed Senatoriæ etiam Ædes haud parum dissitæ conflagrarunt. quæstiones proindè acerbissimæ de multis habitæ; resciri attamen certi aliquid haudquaquam potuit, vtriusque interim factionis hominibus sese inuicem insimulantibus. Sanè multis diuinitus excitatum incendium visum est; ab ipso enim suggestu in quo Chrysostomus conciones habebat, in Templi medio, initium factum, quo occultè admoueri ignis in tanta Populi frequentia vix potuit. tum illud mirum, qua vi flamma ex medio, imoque Templi, ad ipsum

Arsacius Chrysostomo sublegitur.

Incendium excitatum.

sum statim fastigium peruaserit, mox spatio haud modico interiacente, quas diximus, ædes corripuerit.

Quo tempore Chrysostomus cogitur exulare, Flauianus Antiochenus Episcopus moritur, in cuius Successore eligendo Antiochiæ pariter turbæ maximæ excitantur. cum enim omnium studia in Constantium Diaconum Virum optimum propenderent, Porphyrius eiusdem Ecclesiæ Presbyter, nequaquam Constantio comparandus, ambitu, ac malis artibus Episcopatum inuasit, seque, dum Populus ad Daphnem extra Vrbem ludis publicis intereſſet, omnibus inscijs, consecrari curauit. id vbi rescitum est, Populus Porphyrij ædibus ignem admouit. tum ille fuga saluti consulens, Ducem exercitus, qui, ad Isauros compescendos, Seleuciam missus fuerat, adit: Illumque muneribus pellectum, ab Isauris reuocatum, Antiochiam perducit. Eius aduentu tumultus longè maximus excitatus; inermis tamen Populus loco cedere, coactus est.

Pall. Dial. Soz. l. 8. c. 23

Tumultus Antiochiæ

Arcadius interim, à Chrysostomi Aduersarijs veluti fascinatus, edixit, vt qui Arsacio non communicarent, siue Hi Clerici, siue Episcopi essent, proscriberentur: qui verò proscriptos reciperent, eandem pœnam subirent. quo factum, vt multi ad Innocentium,

L. 6. de his qui pro religione contend. C. Th.

tam-

tamquam ad communem omnium Parentem Romam confugerint, quos Ille benignè admodum excepit; tum de huiusmodi eius Ecclesiæ perturbationibus ad Constantinopolitanum Clerum, Ipsumque Chrysostomum scripsit.

Chrys. ep. 8. et seqq.

Sed iam Chrysostomum Ipsum Cucusum, Ciliciæ, siuè Armeniæ Oppidum, proficiscentem prosequamur, qui eo itinere, quamquam à Militum Præfecto, qui Eum deducebat, reuerenter habitus, à febri nihilominus, ac stomachi solutione alijsque incommodis assiduè vexatus fuit. rursum piorum hominum, quorum vbique examina habebat obuia, occurrentium salutationibus, ac commiserantium lachrymis haud mediocriter recreatus est; Cæsareæ in primis diuersa admodum est passus, Episcopo aduerso, Ciuibus omni humanitatis genere prosequentibus. at Cucusum postquam peruenit, & Episcopum, & Ciues beneuolos expertus est, & verò etiam morbum æquiorem sensit.

Chrysostomi iter.

Pall. Dial. Socr. l. 6. c. 14 Soz. l. 8. c. 16 Nicephl. 13

Chrysostomi exilium sequutæ Aduersariorum calamitates, quæ à Palladio, ac alijs recensentur. Eudoxiæ in primis licet non ante biennium, quæ, vterum cum gestaret, extincto ante partum fœtu, quatriduo parturiens, eniti illum cum nequiret, acerbissimis cum doloribus conflictata,

Vltio ĩ Chrysostomi Aduersarios.

eo

eo in cruciatu animam efflauit, quam Arcadius florente adhuc ætate, haud diu superstes, subsequutus est. inusitatæ magnitudinis grando Byzantinum vastauit agrum, quam calamitatem Sancti Episcopi eiectioni ex eo Populo nemo non tribuit. *Mar. cell. & Prosp. chron.*

Synod. Carthag. Noua interim Synodus Carthagine celebratur, in qua decreta est ad Honorium Legatio, petitumque vt Donatistæ, qui pacis condiciones nullas reciperent, quietè agere iuberentur. annuisse autem Honorium, ex Eius Rescriptis sequenti anno datis exploratum habemus. *Aug. ep. 80.*

Augustini disputatio. Quod rursum ad Africanã Ecclesiam spectat, huic anno tribuenda est Augustini cum Fœlice Manichæo per biduum disputatio, in qua Hic demum, licet audacia insignis, manus dedit, ac hæresim abiurauit. *Possid. in vit. c. 16.*

S. Paulæ obitus. Quo etiam tempore obijsse S. Paulam Hieronymus tradit, quæ annos ipsos XX. apud Bethleem vitam egerat planè innocuam.

Noui Consules Stilico secundùm, atque Anthemius fuere. tum, quod Cucusum Latrones Isauri infestum haberent, qui Chrysostomi custodiæ impositi fuerant, Eum Arabissum Armeniæ Oppidum munitum magis, transtulerunt. Chri. Ann. 405. *Chrys. ep. 131 et 135 Pall. Dial.*

Conc. Rom. Hono- Coacto interim Italiæ Antistitum Romæ Concilio, Hõnorio flagitante,

ter-

tertiò Is iam ad Fratrem de cogendo Thessalonicæ Vniuersali Conuentu, deque Chrysostomi iterum causa discutienda, scribit. Legatorum, qui Honorij, ac Innocentij literas ferebant, Constantinopolim aduentum, Arsacij, quem Chrysostomo sublectum diximus mors antecessit.

rius pro Chrysostomo sollicitus

L. 4. de sacr. Bapt. L. 38. & 39. de Haret. L. 2. de Relig.

Sub idem tempus Honorius à Carthaginiensis Synodi Legatis de donatistarum furore, ac seditionibus certior factus, multiplici eos Rescripto insectatus est. harum porrò legum seueritate, magna ex Donatistis ad Catholicam Ecclesiam acceßio facta est. qua ex causa Concilium Carthagine iterum cogitur, nouaque ad Honorium pro gratiarum actione Legatio destinatur.

Conc. to. 1.

Quo etiam anno Concilium Toletanum primum coactum legitur, in quo multa ad Ecclesiasticam disciplinam spectantia decreta sunt viginti regulis definita.

Conc. Tolet.

Chri. Ann. 406. *Marcell. chron. Oros. l. 7. c. 37*

Sexto Patris Consulatu Anicio Probo Collega, Theodosius Quinquennalia edidit. quibus item Cos. Radagaisus Scytha cum ducentis amplius Barbarorum millibus Italiam inundauit tanto omnium terrore, vt serui ar mandi, stipendia ingenuis augenda fuerint. extant ea de re Honorij ad Prouinciales Rescripta. nec minor interim ab ipsis Conciuibus Idololatris

Radagaisus Italiã inuadit.

timor

timor erat, qui rebus ſuis melius consulcum exiſtimantes ſi Ethnicus Barbarus rerum potiretur, Et iam nequaquam diſſimulanter ſtudebant; quo magis Chriſti in ſuam Eccleſiam, ac pium Principem opem agnoſcamus. ſed, & ſequuta poſteà ab Alarico Vrbis, atque Italiæ direptio, diuinam prouidentiam adhuc magis commendat. Is enim, Chriſtianus cum eſſet, quamquam vaſtitatem maximam Vrbi intulit, Chriſti tamen Fidem, vt non labefactauit, ita Ethnicorum priſtinæ recuperandæ gloriæ ſpem improbam amputauit. cæterum Radagaiſus, dum barbarico planè impetu ad Vrbis excidium inconſultò properat, Feſulanis montibus à Stilicone interceptus, exercitu iam fame enecto congredi cum Romanis coactus, interfectione deletus eſt. mirum planè dictu, audituque, quodque, niſi Auguſtinus tantus Author, tum ſuperſtes, teſtaretur, fidem apud poſteros inuenire vix poſſet. Cæſa ex Barbaris dicuntur ſupra centum millia, ex Romanis ne vnus quidem vulneratus, nedum deſideratus eſt. Dux Ipſe cum Filijs captus. qui ſuperfuere Barbari magno numero quaſi pecudes ſingulis aureis venundati referuntur.

L. 18. & 17. de Tyron. C. Th.

Vincitur.

Mira Romanorum Victoria.

Arſacio, vt diximus vita functo, quartum fere poſt menſem, Atticus, qui, ex Monacho, in eius Eccleſiæ

Cle-

Clerum cooptatus fuerat, subrogatur. quo tempore Romani Legati Byzantium cum peruenissent, Chrysostomi aduersarij, Vrbis Eos ingressu inhibitos, Arce quadam maritima concluserunt, vna cum His, qui è Chrysostomi partibus ad Innocentium antea Legati Byzantium eadem, cum Romanis, naui repetebant; & seorsim quidem quasi captiuos nullo seruorum ministerio, aut hospitij commodo attributo: tum quas deferrent literas ab eis petunt. negantibus Illis Augusti literas alij, quam Fratri, se reddituros, eas cum reliquis ità per vim auferunt, vt pollicem Episcopo fregerint accessere dein' Alij ad Legatos, simul vt Eos lenirent, simul in fraudem pellicerent. oblatis namque tribus millibus nummum, orant, vt cum Attico communicent, de Chrysostomi causa reticeant. abnuentes, & redire ad suos saltem, vt liceret flagitantes, in laceram coniecti nauim, datoque, vt vulgatũ est, Nauarcho, vt Eos perderet, precio, eius perfidiæ, marisque fluctibus committuntur. diuina tamen ope, quod pro miraculo est habitum, seruati, incolumes Romam peruenere.

Pall. Dial.

Constantinopolitani porrò Legati, quos eandem coniectos in Arcem diximus (erant Hi Episcopi quatuor) in Regiones non Byzantio tantum, sed

longè inter se quoque dissitas relegantur. *extant ad vtrosque Chrysostomi litera ab Authore hìc relata.* *Chrys. ep. 148 136.*

Episcopi præterea alij, quos Palladius recenset, numero non pauci, fama non vulgares, quod à partibus Chrysostomi constanter starent, quà carcere, & cruciatibus, quà exilio mulctati, persequutionem planè tyrannicam perpessi sunt. Fratris socordiam, ne dicam sæuitiam, æquo animo Honorium non tulisse par est credere; infidum tamen cum iam Socerum experiretur; alijsque Reip. premeretur incommodis, dissimulatione vtendum Ei omnino fuit.

Innocentij Papæ zelus.

At non perindè Innocentius tot scelera inulta esse voluit. quod enim licuit, Theophilum pariter, atque Atticum præcipuos Tyrannidis administros, anathemate perculsos piorum cœtu indignos pronunciauit.

Hieronymi scripta.

Sed iam demum Hieronymum reuisamus; Is hoc anno graui æquè morbo, ac diuturno vix superstes, tremen- *Præf. in l. 3. sup. Amos.* tibus adhuc, vt ait, digitis, Commentarios in Prophetas Zachariã, Oseam, Ioelem, Amos, & Malachiam elaborauit. tum Vigilantium, qui ante biennium impia dogmata effutire cœperat, acriori confodit stylo; de Cuius sordibus, ac delirijs Ipsum Hieronymum, *siue Authorem hìc Illum referentem consule.* compressa tum quidem

Vigilãtius Hæresiarcha.

dem hæreſis fuit, & ad noſtra hæc ferè vſque tempora ſiluit; non Hieronymi tantum rationum pondere, verum etiam Barbarorum in Gallias, vbi maximè vigebat, incurſione, quam vna cum corruptis tum Gallorum moribus Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus deplorat, alter ſui temporis Hieremias.

Saluianus Maſſilienſis.

derect. Iud. l. 6.

Oroſ. l. 7. c. 38 Proſp. chron. Nicephl. l. 1. c. 11.

At dum maximè Vigilantius Sanctorum Reliquijs cultum adimit, ampliori eas gloria Deus affecit. Arcadij etenim iuſſu Samuelis oſſa, hoc ipſo tempore, è Paleſtina Byzantium tranſlata, Templo inibi regio ſumptu excitato, collocantur.

Samuelis Reliquiæ.

Chri. Ann. 407. L. 40. de Her C. Th.

Honorio VII. ac Theodoſio II. Augg. Coſs. nouo Hæretici Edicto proſcribuntur. Synodus Carthagine iterum cogitur. Chryſoſtomus, ærumnis confeſtus, ad cæleſtem coronam vocatur.

Synod. Carthag. Chryſoſtomi obitus.

L. 4. eod. tit. C. Iuſt. Pall. Dial.

Piſyuntem ad Euxinum Pontum, haud ita pridem tranſlatum, tertiò iam Illum exilij locum mutare coegerant, non alio planè conſilio, quam vt laborioſis itineribus circumductum, quam citiſſimè conficerent: cõmercio inſuper literarum Ei interdixerant, non modico Eccleſiæ detrimento os illud aureum veluti obſtruentes, ac ſtylum gemmeum, è ſacris manibus detrahentes.

Chryſoſtomi audita morte Inno-

Arcadius ac Vxor excommunicatur.

centius Rom. Pont. dilatam diu in Arcadium Coniugem Anathematis sententiam protulit, quamquam Illa extremam iam diem obierat: tum ad Augustum Ipsum acriori stylo scripsit. *extant Innocentij ad Arcadium litera, vicissimque Arcadij ad Innocentium ab Authore huc allata omninò legenda.* *Theod l. 5. c. 34.*

Ad hunc annum spectat Galliarum clades maxima. hæc Scriptorum omnium testimonio Stiliconis proditione accidit, qui sequenti demum anno pœnas dedit.

Arcadij mors. Rex Persarũ Theodosij Tutor.

Basso, ac Philippo Cos. Arcadius Aug. Kal. Maij morbo extinguitur, trigesimum ætatis annum haud multum excedens. quod autem sciret Honorium Fratrẽ iure in se commotum; Theodosium Filium Ildegerdis Persarum Regis tutelæ fœlicius, quam prudentius commendauit. Is animo nequaquam barbaro Augustum Puerum omni deinceps studio, ac ope tutatus est. Honorius quoque aliorum omnium immemor, officij memor, ex insita benignitate, paternè Puerum amplexatus est. Chri. Ann. 408. *Marcell. & Prosp. chron.*

Fœdus Rom. cum Persis.

Cæterum cum inter Romanos, ac Persas fœdus ad annos centum sanctum fuisset non Imperij tantum securitati prospectum est, sed etiam propagandæ apud Persas Fidei ianua patefacta.

Res

Oros. l. 7. c. 38 Zosim l. 5. Marcell. chron.

Res interim Occidentalis Imperij Stiliconis fraude magnoperè perturbantur. Is enim. vt Imperium Eucherio Filio pararet, Barbaros non modo ex Gallia, atque Italia non expulit, sed initis clam fœderibus retinuit, ac stipendijs auxit: Portus quoque, ac littora custodijs clausit, nè ex Oriente annona, atque suppetiæ haberi possent. Eo demum Romam accedente, atque in Senatu coram Principe sententiam dicente, decreta sunt Alarico pro redemptione Pacis quatuor auri librarū millia reclamantibus Lampadio, atque Olympio, alijsque nonnullis Senatoribus, eamque non tam pacis redēptionem, quam seruitutis indignam pactionem esse affirmantibus. Senatus fermè reliquus Populusque Romanus, atque adeò Honorius Ipse veluti proditionis scœna patefacta, grauiter in Stiliconem commoti, Eius partis nonnullis interfectis, Rauennam Eum aufugere coegerunt; vbi dum suorum quoquè Ducum, ac militum alienos à se animos cerneret, & iam se ad mortem peti animaduerteret; in Ecclesiam confugit; à qua tamen abstrahi se sponte passus, à Militibus custodire se Augusti iussu, non occidere Ipsum debere affirmantibus, nouis statim ab Honorio acceptis literis occisus est decimo Kal. Decembris. Filio interim Eucherio fuga elapso. edicto tum Stiliconis

Stiliconis fraus.

Romani Pacem à Gotis redimunt.

Slilliconis fuga.

Cædes.

ſtatuæ deiectæ, abraſumque ex publicis monumentis nomen, quod adhuc non vno in marmore Romæ ſic obliteratum viſitur.

Dei Prouidẽtia.

Magna hac ipſa in re Dei eluxit prouidentia. quippè Eucherius, Paganus cum eſſet, in maximas haud dubiè difficultates Rem Chriſtianam conieciſſet, ſi, ex paterna deſtinatione, ac perfidia, rerum potitus fuiſſet. *L. 20. de Pan*

Proſcripti quoque alij permulti perfidiæ vtcumque participes, in quos Reſcripta extant complura. *L. 20. 21. 22 de bon. proſcr.*

Synod. Carthag.

His ipſis Coſs. quod Donatiſtæ pariter, ac Pagani turbas iterum apud Africam concitarent, Carthagine Epiſcopi bis coacti, Legatos ad Honorium ea ſuper re decernunt, à quo nouæ in Eos leges promulgatæ ſunt. *L. 1. de litt. & Itin. cuſt. L. 43. et ſeqq. de Her*

Sub idem tempus moritur Porphyrius, qui Antiochenam Sedem, dolo malo occupauerat. tum demum communi omnium conſenſu, electo Alexandro, diuturnum inter ipſos catholicos Schiſma ſublatum eſt, quod ab vſque Iuliani temporibus, electis hinc Meletio, illinc Paulino, initium duxiſſe diximus ante annos ſex, ac quadraginta: niſi potius ab Euſtathij eiectione illud repetamus. *L. 19. de Pag.*

Schiſma Antiochia ſublatum.

ſup. ad ann. Chri. 362.

Vaticiniũ de Italiæ clade.

Hoc eodem tempore Melania ex vaticinio quodam, vt ait Palladius, ante annos quadringentos edito, proximam Vrbis, ac Italiæ cladem ſentiens, *In La. uſ. c. 33.*

tiens, diſtractis ampliſſimis latifundijs, Hieroſolymã cum Albina Nuru, eiuſque Filia item Melania, ac Piniano iunioris Melaniæ Viro proficiſcitur, vbi poſt dies non amplius quadraginta extincta eſt.

Chri. Ann. 409. Nouus annus Conſulatu Honorij octauo, Theodoſij tertio inchoatur. quo ab Alarico Gothorum Rege Vrbs obſeſſa, cum fame, alijſque incommodis premeretur huiuſmodi conditionibus auertere Illum cogitur. perſolutæ ſunt Regi Barbaro Auri libræ quinquies mille, Argenti tricies mille, ſericis cum tunicis quater millibus, coccineis pellibus tribus millibus, totidemque piperis libris. porrò quod ærarium exhauſtum, priuatorum opes tantam auri, argentique vim perficere haud poſſent, in eam ſententiam itum eſt, vt aurea, atque argentea Idolorum ſimulacra conflarentur, ornamenta Templorum reliqua auferrentur. Hìc tu diuinum conſilium Lector expende. Deo enim haud dubiè moderante factum fateri cogimur, vt quod tot Chriſtianorum Principum edicta perficere haudquaquam potuerant, Rex Barbarus præſtaret. mirum ſanè videri poteſt ſuperfuiſſe tum Romæ aurea, atque argentea Deorum Signa, Templorumque ornatus precioſos, poſt tot eorum euerſiones imperatas, ſequutaſque direptiones.

Alaricus Vrbẽ obſidet.

Mirũ Dei cõſiliũ.

Alarici perfidia. At non idcirco ex Hoste Barbaro pax impetrata; cum enim recessisset, atque Ariminum pro fœdere sanciendo peruenisset, inter pacis condiciones eas addidit, vt auri vis magna quotannis daretur: annona, quæ satis esset, præstaretur: præter Dalmatiam, ac Noricum, Italiæ quoque pars non modica, quam incolerent, traderetur: obsides darentur: Rex ipse Alaricus vtriusque Romanæ militiæ Dux esset. Romano Senatu haudquaquam assentiente, Vrbs iterum obsidetur.

Roma iterũ obsessa

Melania interim Hierosolymam, vt diximus nauigatura, apud Africam diuerterat. placuit autem Hipponem ad Augustinum inuisendum proficisci. hìc dum esset cum reliquis à nobis recensitis, Pinianus Melaniæ Iunioris Coniux, quod sacro Ministerio idoneus maximè videretur (vt eorum temporum mos ferebat) à Populo per vim raptus, Augustino Presbyter consecrandus traditur. (id Ipsi quoque Augustino, vt diximus, vsu venerat) quod non Ipse tantum Pinianus, sed cum alijs Albina in primis Socrus indignè cum ferret, in Ipsum quoque Augustinum facti inuidia redundauit; quamuis Ei plurimum fuerit enitendum, vt Populo persuaderet, ne consecrare inuitum cogerent statim haud dubiè discessurum; nec

tamen

tamen ita persuasit, vt Eum prius dimitterent, quam ab Illo iusiurandum extorquerent, Presbyteratum alia se in Ecclesia, quam Hipponensi non recepturum.

Prosp. et Cas. siod. Chr. Dum Vrbs à Gothis secundò, vt diximus, obsidetur, Vandali, atque Alani Pyrenei claustra perrumpentes, Hispaniam inuasere: tum verò Prouinciam vniuersam inter se partiti, eam deinceps quasi indigenæ incoluere. *Hispania à Barbaris occupatur.*

Chri. Ann. 410. *Zosim l. 6. Oros. l. 7. c. 42 Soz. l. 8. c. 8.* Obsessa Vrbs Honorio Rauennæ agente, Consulem dicere aut nequijt, aut neglexit. itaque Varane tantum apud Orientem renunciato annus inscribitur. quamquam haud ità multo post Prisco Attalo tum Vrbis Præfecto Augusti nomen inuadente, Tertullus ab Eo cum Varane Consul creatur, cuius tamen nomen, Tyranno extincto, è Fastis deletum est. *Attalus Priscus Tyrannus.*

Attalus ipso in primis Alarico suffragante, Gentilibus qui in Vrbe erant promouentibus Augustus acclamatur. tum Ariminum non Romanis modo, sed etiam Barbaris deducentibus accedit terrorem Honorio incussurus. & Hic quidem paratis ad fugam nauibus, ad Tyrannum tamquam ad Augustum Legatos mittit spondens se Illum æquo animo Collegam agniturum. tanta fuit Tyranni arrogantia, vt Legatis, Ipsoque Honorio contemptui habitis, id demum *Attali arrogãtia.*

se passurum denunciauerit, vt Honorius viueret, depositis tamen Augusti nomine, atque insignibus, aliquam sibi Insulam exilio optaret. rem indignam Superi, atque homines auersati sunt. itaque Tyranni res in deterius statim labi cœperunt. Honorius suppetijs receptis ex Oriente confirmatur: Heraclianus, qui Africam pro Honorio administrabat, de Tyranni Ducibus victoriam refert. Alaricus Ipse, qui Hominem euexerat, superbiam pertæsus, Arimini vterque cum esset, extra Vrbem productum, totius in conspectu exercitus diademate spoliat, Purpura exuit: denique apud se cum Ampelio Filio manere iussum, ad priuatam vitæ conditionem redigit. Imperij insignia ad Honorium missa, quo cum iterum de pacis conditionibus agi cœptum. Attalus inane Augusti simulacrum, qui Ethnicis spem certam antiquæ restituendæ Religionis fecerat, quique cum Occidentali, vt sibi videbatur, iam parto, Orientale quoque Imperium spe improba deuorauerat, sic depositus, diutius ad ludibrium circumductus, Honorio demum exhibitus, exsecta dextera, vitæ relictus est; hæc verò post annos aliquot accidere.

Attalus deponitur.

Tyranno itaque deiecto Honorius illius Sectatoribus pepercit, His verò, qui in fide permanserant multa largitus est.

Con-

Consternati planè sunt animo Deorum Romæ cultores, cum res Attali collapsas viderunt, de quo mira ex Oraculis, ac inanibus vaticinijs mente conceperant. *Sed, humiliati, non sunt compuncti*. itaque diuina planè vltione factum est, vt quos in patrocinium Barbaros aduocauerant, scelerum experirentur vltores.

Dum Alaricus de Pace cum Honorio ageret, Sarus Honorij Dux natione Barbarus, egregiè tamen à belli artibus instructus, Alarico ob veterem simultatem infensus, iniri cum Eo ab Honorio fœdus indignè ferens, occasione arrepta, in Alarici castra irruens, multos ex Barbaris interfecit. Alaricus tum metu simul, atque ira percitus, Romam iterum petit, eamque proditione statim capit, ac diripit. quo factum est, vt Honorius, inopinato accepto nuncio, cum alia omnia par esset credere, de Gallo cui nomen *Roma*. dictum accepit; quod Eius socordiæ, plerique omnes tribuentes, in maximum Illi dedecus vertunt, ac planè exibilandum existimant.

Roma ab Alarico capta. Honorij nota.

Prosp. chron. Capta Vrbs est IX. Kal. Septembris Attali amicorum proditione, quo factum est, vt cessione Attali potitum Vrbe Alaricum quidam scripserint.

Oros l. 7. c. 39 Illud memoria, ac commendatione dignum, Barbarum Regem, graui in-

Alarici in res sa-

erasre uerentia.

dicta pœna, edixisse, ne quis Eorum qui in sacras Ædes, Apostolorum in primis Basilicas, confugissent, violaretur: tum illud non sine admiratione refertur inuentam apud quãdam Deo dicatam Virginem sacræ supellectilis vim maximam, Alarici iussu solemni pompa, ad Apostoli Basilicam, vnde ablata fuerat custodiæ causa, ab ipsis Barbaris fuisse relatam. *Cassiodor. Var. ep. 20. l. 12.*

Addunt quoque alij multos extra Martyrum ædes deprehensos, Christi aut Sanctorum nomine vsurpato, hostium furorem mitigasse.

Gothi Vrbe excedunt.

Tertia porrò die, siuè, vt alij tradunt, sexta, quam ingressi Vrbem fuerant Barbari, sponte discedunt. contra quam olim Gallos fecisse constat, qui incensæ à se Vrbis cineres anni fere spacio protriuere. quod sane mirum; cum perquirendis, exhauriendisque Romanis diuitijs vix triennium, ne dum triduum satis futurum videretur. *Oros. l. 7. c. 42 Marcell. chron.*

Alaricus victoria vti nescit.

Cæterum Alaricus præter spem omnem decedens Vrbe nullum in ea suorum militum præsidium reliquit; neque Honorium Ipsum aggressus, quo superato, rerum potiri haud dubiè potuisset; sed auerso in Campaniam itinere populabũdus, Victoriæ sibi Ipse, ac Gloriæ cursum præcidit.

Romæ clades

Antiqua hinc Ethnicorum in Christianos querela, vt cum maximè, ex audie-

audiebatur. itaque Christiani Antisti- *Chri-*
tes aduersus illam pro concionibus *stianis*
disserere vbique coacti sunt. Augu- *tribui-*
stinus præ cæteris in eo versatus ar- *tur.*
gumento, huiusmodi ex causa locu- *s. Aug.*
pletissimos *de Ciuitate Dei* commen- *scribit*
tarios elaborauit. *libros*

Aug. Dum Italia his fluctibus agitatur, *de Ci-*
ep. 122 Africanam Ecclesiam tranquilla frui *uit.*
pace Donatistæ, ex veteri instituto, *Dei.*
nequaquam sinunt. itaque Horum
Conc. causa Concilium Carthagine iterum *synod.*
Afr. cogitur, cuius non nisi præfatio, ea- *Carth.*
c. 75. que obscura admodum extat. constat
sanè missos à Concilio ad Honorium
L. 51. Legatos noua aduersus turbulentos
de Hær schismaticos rescripta impetrasse.
L. 9. de Hoc eodem anno Sarraceni, alij- *Sarra-*
Relig. que ex Oriente Barbari Palestinam, *ceni.*
C. Th. atque Ægyptum latrocinijs infestas
Hier. habuere. Monasteria ab His complu-
ep 82. ra direpta, Monachi ipsi magno nu-
mero interfecti.

Hìc, quod hoc ipso tempore Synesius, *Syne-*
ex Philosopho Episcopus euaserit, ab *sius E-*
Illius primordijs Author multa de re- *pisc. et*
bus ab eo praclatè gestis recenset. *Philos.*

Chri. Vndecimus huius sæculi annus nullo
Ann. Occidentalis Imperij notatur Con-
411. sule; apud Orientem verò vbi tran-
Soz. l. quillior esset rerum status, Theodo-
9. c. 12 sius Aug. quartum inijt consulatum,
quo Alaricus dum traijcere in Sici- *Ala-*
liam parat, Cosentiæ repentina mor- *rici*
te *mors.*

te extinguitur. Eius Cadauer (si explorata Miscellæ Author tradit, quem non suo nomine Paulum Diaconum appellant) intra ipsum Basentij fluminis alueum, deriuato captiuorum labore fluuio, mox restituto, multis cum opibus Barbari condunt; captiuis conscijs, ne quis proderet, interfectis; tum Regem sibi constituunt Athaulfum demortui affinem, quo cum Romam, vt quidam tradunt, reuertentes, prædæ, si quid reliquum fuit, abradunt. *Lib.* 13.

Athaulfus succedit.

Hic sibi Gallam Placidiam Augusti Sororem, magno Reip. bono, matrimonio iungit; quippè, Ea suadente, quantum à suis Barbaris Ei licuit, omni postmodum ope curauit, vt Romanæ Restitutor gloriæ diceretur.

Collatio Carthag.

Hoc tempore Carthagine Synodus diutius exoptata celebratur, quæ Collatio est appellata, quod ei Catholici pariter, ac Donatistæ interfuerint. *Eius Acta ex Augustino Author fusè admodum refert, quem require.*

Constãtinus Tyrãnus.

Honorio Gothorum armis agitato, Constantinus quidam in Britannia, auspicio tantum nominis, Imperium inuaserat, dein' Gallias occupauerat. cæterum, extincto Alarico, Eius auxilio destitutus, acceptaque à Constantio Honorij Duce insigni clade, vitam cum Imperio amisit. *Aug. in Breuic Prosp. chron. Soz. l. 9. c. 12*

Pelagius se prodit.

Pelagius interim apud Ægypti Monachos diutius commoratus, Romam *Hier. ad*

se

Ctes. Aug. ep. 99. se contulit vbi, quæstionum prætextu, nouæ hæresis veneno multos infecit, vt Hieronymo pariter, atque Augustino aduersus Illum stylum acuere opus fuerit, tum Romano Pontifici Anathematis Eum sententia ingulare.

Rursum hìc Author, data occasione, de Synesio plura, deque Illius eruditione, ac scriptorum monumentis.

Chri. Ann. 412. Aug. ì Gaud. l. 1. c. 19. & ep. 50. L. 52. de Har C. Th. De Imag. l. 3. in fin.

Duodecimus sæculi annus Honorio IX. Theodosio V. Augg Coss. extinctis diuina ope Tyrannis, fœliciter inchoatur. cuius initio Honorius, post habitam, de qua diximus, Collationem, Donatistarum pertinacia cognita, nouo Eos Rescripto insectatus est.

Ijsdem Consulibus Theophilus Alexandrinus vitæ diem clausit extremũ, de quo hæc Damascenus, cum morti esset proximus, diutius cum anima colluctatum, agere eam non prius valuisse, quam, allata Chrysostomi imagine, quem viuentem damnauerat, eam supplex veneratus est. elapso dein' triduo Cyrillus, Theophili ex Fratre Nepos, eadem in Sede collocatur.

Mirũ de Theophili morte. Cyrillus Alexãdr.

Chri. Ann. 413. L. 13. de infit. his quæ sub Tyr.

Qui sequitur annus Lucij tantum Consulatu inscribitur, quòd Lucij Collega Heraclianus apud Africam Tyrannidem occupauerit, qua de causa Fastis Cõsularibus expungi meruit, Imperio postmodum, ac vita spoliatus, quod sequenti anno cõtigit.

Hoc ipso tempore Demetrias Romana-

Demetrias

arias Rom. Virgo.

manarum Virginum nobiliſſima, Sponſo, cui iam fuerat oppignerata, abdicato, monaſticum vitæ genus amplexa eſt tanta cum omnium admiratione, vt de Ea nullus eius ætatis Scriptor cum facinoris commendatione non meminerit. *Hier. ep. 8. Aug. ep. 179 Proſp. chron.*

Burgũdiones

Burgundiones quoque per idem tempus ad Chriſti Fidem traductos, plerique omnes teſtantur.

Apud Orientem porrò Theodoſius Eunomianos, alioſque Hæreticos ſæpius damnatos, nouis Reſcriptis exagitauit. *L. 6. & 7. ne ſanct. C. Th. et Iuſt.*

Egregiè nauata à Conſtantio Reip. opera in Tyrannis pariter, ac Barbaris depellendis, huius anni Conſulatum Illi, ac Conſtanti Filio peperit. At verò Athaulfus Gallia, quò conceſſerat, pulſus in Hiſpaniam ſeſe cum exercitu recipit hìc dum vires ex accepta reparat clade, Barcinone, ſuorum dolo, ſex cum Filijs interimitur, dum maximè componere cum Romanis Pacem ſtudet. Chri. Ann. 414. *Ambr. moral l. 41.*

His Coſs. nouum aduerſus Donatiſtas Honorij Reſcriptum promulgatum legitur, quo & hæreditates capeſſere, & teſtari ſunt vetiti. tum Eorum Antiſtites facultatibus exuti, deportari iuſſi. his auditis coacto properè eius Sectæ Epiſcoporum Cœtu omnium calculo decretum eſt, deportationes, & ſi quæ alia à Præfectis *L. 54. de Hær C. Th. Aug. ep. 61. et 204*

Donatiſtarũ inſania.

in-

ingruerent, morte voluntaria anticipanda.

Chri. Ann. 415. Marcell. chron. Nicephl. 14 c. 9.

Cos. Honorio X. ac Theodosio VI. Stephanus Prothomartyr cum Fidelium olim plausu humatus, ex diuina reuelatione, maxima cum lætitia exhumatus, miraculis rediuiuus apparet. *Lucianus, cui reuelatio facta est, & ex eo Author hic refert.*

S. Stephani reliquiæ.

Inuenta cum Stephani Reliquijs, Gamalielis quoque ossa, ac Nicodemi. tum Zachariæ Prophetæ non longè ab Eleuteropoli, quod Sozomenus tradit; qui & illud addit Prophetæ corpus incorruptum, ac quasi viuum repertum cum Puero Regio, qui Ioæ Filius fuisse dicitur, consepulto.

Item Gamalileis, & Nicodemi.

l. 9. c. vlt.

Aug. retr. l. 2. c. 47 Prosp. de Ingrat.

Diospoli, quæ Vrbs olim Lidda apud Palestinam, hoc ipso tempore coacta Synodus prouincialium Episcoporum Pelagium, qui adfuit, prava dogmata abiurare coegerat, quo factum est, vt à Ioanne Hierosolymitano Episcopo, alijsque ex Synodo recedentibus, & inuentio ipsa, atque exhumatio testibus innumeris fieret, & summa cum celebritate translatio. *Porrò quæ Pelagij fuerint dogmata, ab Ipso met, ne damnaretur, damnata, ex Augustino, ac alijs, apud Authorem hic habes.* cæterum versutum Hominem Synodi Patres decepisse, ac veluti personatum in scœnam histrionem prodijsse, quæ in Eum posteà Hieronymus

Synod. Diospoli. Pelagius hæresim abiurat. Pelagij dogmata.

mus atque Augustinus scripserunt, demonstrant.

Itaque, & ipse Rom. Pont. Innocentius, nec culpare se testatus est Episcoporum iudicium, nec probare. tum Ioannes Hierosolymitanus, quod Pelagium non in communionem modo, sed etiam in arctiorem amicitiam recepisset, malè apud Occidentales audire cœpit. *Aug. de pec. orig. l.2.c.8*

Contigit hoc ipso tempore Orosium, Augustini missu, in Palæstinam profectum, Hieronymum adiuisse, multaque cum Eo contulisse, arduasque Ei quæstiones ingessisse. tum in Occidentem reducem Sancti Protho-martyris Reliquias secum retulisse; quamquam reditus ad sequentem annum spectat.

Iudai Alexãdria pulsi. Tumultus inde maximus Monachorũ facinus.

Per idem tempus Iudæi, qui Alexandriæ magno numero erant, ob seditiones subindè in Christianos excitatas à Cyrillo Vrbe exturbantur. rem iniquo animo cum ferret Orestes eius Vrbis Præfectus, quod è re publica, non esse diceret Populi frequentiam minui, multorum odium incurrit, in primis Monachorum, quorum quingenti amplius Nitriæ Montem, suaque inibi Monasteria deserentes, Alexandriam ingressi, Oresti rheda circumuecto obuiam facti, quasi Paganum, contumelijs Illum incessunt. nec satis Ei fuit Christianum se esse, & ab Attico *Socr. l. 7. c. 13*

tico baptizatum, exclamare; nam saxis quoque impetitus capite vulnus excepit, dilapsisque metu Apparitoribus, extremum vitæ periculum adijt. rem indignam Populus auersatus, in Monachos irruit, Eosque in fugam vertit, subsistente Ammonio, qui Præfectum, cæteris audacior, vulnerat. Is igitur comprehensus, ac quæstionibus admotus, in ipsis cruciatibus extinguitur. neque hìc stetit seditio. erat Alexandriæ Hypatia Virgo omnium cum admiratione Philosophiam publicè docens, ad quam audiendam ex vniuerso ferè terrarum Orbe homines discendi, visendiue cupidi confluebant, quamque eius ætatis Philosophi suspiciebant; Synesius verò, quo de meminimus, Magistram, ac Dominam appellare consueuit; Illam, quod Oreſtis esset familiaris, summaque apud omnes authoritate polleret, Viri pacis, vt videbantur, cupidi, idoneam putabant, quæ diffidia inter Præfectum, ac Cyrillum componeret; hoc cum negligi ab Ea animaduertissent, efferati ad Ecclesiam curru deturbatam pertrahunt, immanique inibi contumelijs discerpunt, discerptam denique comburunt. quis iam Alexandrinos Ciues seditionibus infames à Scriptoribus vulgò appellatos, satis pro meritis laudatos dixerit? porrò

Hypatoa in signis Virgo.

Hypatiæ exitus miserabilis.

quid

quid Theodosius aduersus seditiosos rescripserit, ad sequentem annum spectat.

Pulcheria Augusta dicitur.

Hoc sanè anno idem Augustus, nouo exemplo, Pulcheriam Sororem natu maximam annum tamen XVI. non excedentem Augustam appellatam, Imperij Consortem adlegit magno Reip. bono. *Socr. l. 7. c. 22 Soz. l. 9. c. 1.*

Ataulfo, vt diximus, conspiratione Militum interempto, Sigericus Successor futurum datur; qui tamen haud diu superstes fuit, pacem etenim, & Ipse, cum Romanis firmare studens, à suis pariter, seu pacis odio, seu alia de causa perimitur. tum Vualha ex Athaulfi Liberis superstes (quod sanè mirum) ab ipsis Patris, ac Fratrum interfectoribus Rex creatur. Hic diuino potius iudicio, quam decessorum Regum casu territus, quod popularium suorum duplici, in Siculo, ac Gaditano freto, naufragio pauci admodum superfuissent, composita cum Honorio pace, Gallam Nouercam honorificè hactenus apud se habitam, Eidem reddidit.

Vualia Gothorũ Rex.

Vrbis direptorum exitus

Opportunè hìc Lector admonendus est, vt secum reputet, quemadmodum hoc tempore Barbari, qui Vrbem diripuerant, duplici naufragio magna ex parte periere, ità id aliàs sæpius, superiori præsertim sæculo, post Borbonicam Vrbis direptionem

(quod

(quod Paulus quoque Iouius animaduertit) contigisse.

Chri. Ann. 416. tom. 1. Conc. tom. 1. ep. Rō. Pont.

Nouo appetente anno Theodosius Augustus septimum init Consulatum Collega Palladio; quo tempore tum Carthagine, tum Mileui apud Numidiam aduersus Pelagium, qui vtrobique damnatus est, duplex Synodus celebrata est: datæque ad Innocentium Synodales literæ, ex eoque vicissim receptæ.

Synod. Carthag. & Mileui.

Orosius interim Hierosolymis redux, antequam in Hispaniam appelleret, apud Africam diuertit. ibi sacrarum, quas secum deferebat, Reliquiarum Augustino, alijsque Episcopis, parte relicta, summa sacros Antistites lætitia affecit, qui & Templa ijs decentius asseruandis excitarunt, & sacras, solemni ritu, Processiones instituerunt, quo tempore omnium ore, ac scriptis testata miracula per Sanctum Protomartyrem sunt edita.

Orosij reditus.

Aug. serm. 32. 33 & ep. 103.

Hoc pariter anno Innocentius Rom. Pont. certior factus, immeritos vulgò apud Africam ad sacros Ordines promoueri, pro vniuersali Ecclesiæ sibi cura demandata, acriter ea de re ad Aurelium prouinciæ Primatem, scripsit; acrius adhuc tamen ad Ioannem Hierosolymitanum cuius negligentia factum audierat, vt nefarij homines sacrarum Virginum apud Bethleem Cœnobium, in quo Eustochium,

ep. 29. & 30.

ac

ac Iunior Paula erant, diriperent, qua de re ad Hieronymum quoque, qui apud Eum pariter expostulasset, perscripsit, testatus si delinquentium nomina, ac genus, remque ipsam gestam peculiarius rescisset, confestim se causæ cognitores, ac Iudices delegaturum. diuino porrò consilio factum videtur, vt Ioannes non huic tantum affinis culpæ, diem hoc anno claudens extremum, iustissimo Dei Tribunali sisteretur.

Rom. Pont. authoritas.

Auth. in append. ad hũc tom.

His Ipsis Cos. inquit Marcellinus, Atticus Episcopus egregium de Fide, ac Virginitate librum ad Reginas scripsit. Hæ fuere Theodosij Sorores quatuor, Pulcheria, Placilla, Arcadia, ac Marina, quæ concordibus inter se votis dicata Deo Virginitate, in Aula, perindè, ac in Cœnobio vitam sanctissimè duxerunt.

In chron.

Theodosij Sorores Virgines.

Legitur, & hoc anno datum ab Augg. Rescriptum aduersus Gentiles, quo à militia pariter, ac publicis muneribus excluſi sunt; iusto sanè Dei Iudicio qui iniquè Attalo Tyranno studentes, ad pristinam se dignitatem restituendos putarunt.

L. 21. de Paganis. C. Th.

Rursum Theodosius certior de Alexandrinorum seditione factus, ad eam reprimendam, atque in futurum præcauendam, opportunam, edidit sanctionem.

L. 42. de Epi sc. coll.

Chri. Ann. nouus 417.

Honorio XI. Constantio II. Cos.

Aug. de pec. orig. c. 17. & 21. & de grat. Chri. l. 1. c. 30.

nouus annus aperitur, quo Pelagius cognito suam in palæstina Synodo abiurationem ab Innocentio non probari, literas ad Eum fallaciæ plenas dedit: insuper, & pro se ad Eum scribi à Ioannis Successore Proylo curauit. porrò literæ Zosimo, qui Innocentio interim successerat, sunt redditæ. Obijt Innocentius V. Kal. Aug. cum annos sedisset paulò amplius XV. cuius natalis dies Ecclesiasticis quoque tabulis annua memoria celebratur.

Pelagij artes.

Innocentij Papæ obitus.

Zosimus succedit.

Nec Pelagij tantum literæ ad nouum Pontificem peruenere, verum etiam Cælestius Ipsius Pelagij Antesignanus, qui cum Magistro, & Ipse, apud Africam damnatus, ad Sedem Apostolicam prouocauerat. Hunc Zosimus lucrari cupiens, benignè excepit, datoque ad resipiscendum tempore, ad Episcopos interim Africæ de illius causa perscripsit, vtque intra bimestre, qui accusatorum partes agerent duo saltem Romam ex Africa accederent imperauit.

Prosp. chron.

Vndecimo hoc suo Consulatu Honorius triumphali pompa Romam inijt, Attalo currum præeunte, quem Lipare posteà exulem viuere permisit.

Attalus triũphatus.

Chri. Ann. 418.

Tum, nouo subeunte anno, XII. cum Theodosio Consulatũ gerit, quo tempore Carthagine CCXVII. Episcorum Synodo celebrata, perlatisque ad Zosimum Synodalibus decretis, ab

Synod. Carthag.

Eo-

eoque probatis, Pelagiana hæresis profligata est. Episcoporum Iudicium sequutum est Honorij Rescriptum, *quod hìc apud Authorem habes.*

Decretũ de sacr. ordinibus.

Sub idem tempus Zosimus ad Gallos, Hispanos, atque Afros Decretalem epistolam dedit aduersus eos, qui ad sacerdotium confestim ascendunt nulla præuia in singulis Ordinum gradibus ministratione, definiens quantum temporis in quolibet ordine quis debeat ministrare. quod alijs, hoc eodem anno, ad Hesychium Salonitanum datis literis repetijt. *tom. 1. ep. Rõ. Pont.*

Iudæorũ conuersio.

Accidit hoc ipso tempore mira Iudæorum ad Christi Fidem conuersio apud Minoricam, quæ altera est ex Balearibus. *rem fusius Author recenset ex prolixiori Seueri Epistola, qui eius Insulæ Episcopus fuit.*

Zosimi PP. obitus. Bonifacius succedit.

Sub anni finem Zosimus moritur Pontificatus anno vix dum expleto. Huic Bonifacius sublegitur, non tamen sine Populi dissidio, Eulalio quoque aduersus Bonifacium electo. re ad Honorium perlata, de Episcoporum, quos consuluit, sententia, Pontificatus Bonifacio adiudicatus est, quod sequenti anno contigit.

Valẽtinian. III. nascitur.

Hoc tẽpore ex Placidia Honorij sorore, ac Cõstantio, qui Cæsar iam fuerat appellatus, nascitur Placidius Valẽtinianus, qui postea Augustus dictus, tertius hoc nomine appellatus est. *Marcell. chron. Soz. l. 9. c. 16*

Vnde-

Chri. Ann. 419. Vndeuigesimus sæculi annus Cos. habuit Monaxium, ac Plintham, Rom. sanè Ecclesiæ ob conflatum à Clero schisma nequaquam lætus. qui Eulalio fuerant suffragati, Symmachi Præfecti patrocinio fulti, potiores erant, cuius etiam relatione, ac suasu factum, vt Honorius pro Eulalio tum rescripserit, supplici postmodùm libello, ex his, qui Bonifacio studebant, recepto, ambos Rauennam accersir: tum Episcopos complures causæ cognitores adesse iubet. antequam dissidium Episcoporum sententia dirimeretur, Eulalius in se Ipse sententiam tulit. quippè Vrbem iniussu Principis (qui Paschalia interim festa per Spoletanum Episcopum peragi imperauerat) ingressus, ingenti eam tumultu miscuit vt Ipsi adeo Magistratus, qui compescere Eum curauerant, lapidibus appetiti, furentis Populi iniuriam vix euaserint. *rem gestam ex Authore, hìc eam ex Actis fusius referente pete.* ea de causa & deiectus Eulalius, & Bonifacius restitutus est.

Schisma.

Tumultus Romæ.

Pelagiana interim hæresis Hydræ instar, noua subindè capita attollebat. itaquè & Augustinus nouis quotidie, eam libris excindere nitebatur. & Augustus iteratis Rescriptis amputare. sanè hoc anno literis ad Aurelium Episcopum datis, non in Pelagianos tantum pœnam constituit, sed

Pelagiana hæresis.

in Eos quoque, qui Illos recipere, aut diſſimulanter fouere cõperti fuiſſent.

Zoſimo adhuc ſuperſtite, Cæleſtius, vt diximus, Pelagij Aſſecla apud Africam damnatus, ad Rom. Sedem appellauerat. hoc idem hand ità multo poſt Apiarius quidam Africanus Presbyter alijque nonnulli factitauerant. ea de cauſa miſſi à Zoſimo Legati fuerant. His imperioſius Legationis munus peragentibus, viſi ſunt Africani Epiſcopi aliquot Romanæ Sedis authoritatem voluiſſe conuellere. ex his, quæ tum ea occaſione geſta, aut ſcripta ſunt impij Nouatores hiſtoriam ita concinnarunt, vt dicerent tùm primum à Zoſimo Eccleſiæ primatum ſubripi tentatum, & non ſinè ſcelere quidem, Nicæno Canone falsò ſuppoſito itaquè fraude detecta, Romani Epiſcopi cauſam funditus exciſam. *his Author, enucleatius re excuſſa, ita occurrit, vt Aduerſarios mentiri impunè haudquaquam ſinat.*

Nouatorum mẽdacium. *Cẽtur. Magd t. 5. 1238. & Defenſ. Molinei.*

Moritur hoc anno Euſtochium Virgo ſanctiſſima Paulæ Filia, qua de ſæpius meminimus, exactis in Bethleemico Cœnobio annis XXXV. Quo tempore Palæſtinæ Vrbes complures collapſæ vehementiori terræmotu dicuntur. Chriſtus verò Dominus in ipſo Oliueti Monte multis ſe viſendum exhibuit pellucenti nube circumſeptus. ad hoc aliud oſtentum prodi-

Euſtochiũobitus. *Hier. ep. 27.*

Marcell. chron. *Prodigia apud Paleſtinam.*

tur;

tur; in recens baptizatorum vestibus Crucem diuinitus impressam perspicuè visam. hinc factum, vt multi, ex sacris vaticinijs extremum metuendi Iudicij adesse diem, & putarent Ipsi, & pro concionibus, & familiaribus vbique sermonibus inculcarent.

Aug. ep 79. 80.

Chri. Ann. 420. Quadringentesimum, ac vigesimum Christi annum Theodosius IX. Constantius III. Consulatu auspicati sunt; quo Constantius Ipse Augusti nomine, atque insignibus ab Honorio est auctus, cuius Rescripto Cælestius iterum proscribitur.

Constantius. Aug.

Marcell. chron. Aug. de Civ Dei. l. 18. c. 12. Socr l. 7. c 21 Theod l. 5. c. 34.

Perpetuum vt videbatur, inter Romanos, ac Persas sancitum fœdus, superiori anno rescissum fuerat, ergò ingens in Christianos persecutio excitata est; siuè eam Ildegerdes Ipse, qui Theodosij Tutor fuerat, siuè, quod alij tradunt, Ildegerdis Filius Bararanes instituerit. cruciatuum genera quibus affecti sunt, qui Fidem constanter retinuere Theodoretus, non sine horrore, enumerat legenda, aut audienda. bellum porrò fœliciter à Theodosio gestum, biennio peractum est. eo vigente cum ex Persis septies ferè mille captiui apud Romanos essent, summaque alimentorum inopia laborarent, Acacius Amidæ Episcopus sacra vasa in Illorum redemptionem impendit. cuius effusa charitas ipsis hostibus admirabilis, conciliandæ inter vtram-

Persequutio in Persside.

que Gentem paci adiumento fuit.

Saraceni ad Christũ conuersi.

Eiusdem ex causa belli Christianæ Fidei aditus apud Sarracenos patefactus. id quo pacto acciderit, quidque diuini prædicatione Verbi effectum fuerit, Cyrillus refert.

S. Hieronymi obitus.

In hunc annum incidit Hieronymi eximij Ecclesiæ Doctoris exitus pridie kal. Octobris, ætatis fere octuagesimo, quod ex Ipsius scriptis haud dubiè colligitur. multi sanè, sed perperàm, ad centesimum Eum accessisse tradunt. missis igitur quæ de tanto Viro leguntur elogijs, ac librorum Ipsius qui extant, catalogo prætermisso, eos tantum referre sat erit, quos excidisse compertum est. hi sunt de Hæresibus, & de carnis resurrectione. In Lucæ Euangelium Homiliæ XXX. in Psalmos tractatus septem. de Iudicio Salomonis. in omnes Prophetas adnotationes pro Tyronibus præter copiosiores, quæ extant, explantationes in quatuor Euangelia: denique in Apocalypsim. præter ea, quæ ex Græcis Authoribus latinitate donauit. *Porrò quæ de Hieronymo inconsultè admodum circũferuntur in Eius Vita ab imperito quopiam concinnata singillatim hìc Author refellit, quem require.*

Invit. S. Eut. apud Surd. 20. Iã. Prrsp. chron.

Hier. de scr. eccl. in fin. Aug. ep. 261 & de Har. in fin. Cassiod. instit. div.

Chri. Ann. 421. Argicola, atque Eustathio Cos. Constantius in ipso Imperij limine moritur. tradit Nicephorus, bellum

Theo-

Prosp. chron. Theodosio inferre meditatum, quod suam Ipsius imaginem Constantinopolim ex more allatam, recipere Ille noluisset.

Marcell. chron. Socr. l. 7. c. 21 Theodosius interim puber factus Athenaidem Leontij Philosophi Filiã, liberalibus discliplinis apprimè excultam, Vxorem duxit, quam Baptismo ab Attico Episcopo initiatam, Eudociam in posterum dici voluit. hæc in Viri laudem egregium de bello Persico Poema scripsit, quo in argumento alios quoque versatos tradunt. *Athenais quæ & Eudocia Theodosij Vxor. Poema scribit*

L. 6. de sacr. Eccl. & L. 35. de Episc. & Cler At vero Theodosius rei Ecclesiasticæ ignarus Attici suasu, doloque malo Illyrici Ecclesias Constantinopolitanæ subiecit præfatus hac in re antiquos se Canones restituere, quos commenticios Illi Atticus haud dubiè proposuit illud insuper addens Constantinopolitanam Ecclesiam Romæ Veteris prærogatiua gaudere, quod Augustorum sancitum legibus, Reip. statum spectat, non autem Ecclesiæ. Huic porrò Sanctioni Romani Pontifices, Leo in primis, numquam acquieuere, de quo infra erit dicendum.

Chri. Ann. 422. Nouus annus vtrumque Augustum Cos. habuit, quo Bonifacius aduersus Patroclum Sedis Arelatensis Inuasorem, causæ cognitionem Hilario Narbonensi demandauit; ex quo praxim frequentibus firmatam exemplis agnosce supremæ in omnes Episco-

Rom. Pont. Authoritas.

pos Romani Pontificis potestatis.

Bonifacius Africa Dux.

Militaribus hoc tẽpore copijs apud Africam præerat Bonifacius Vir æquè pius, ac strenuus. Huic cum Augustino amicitia non vulgaris intercedebat, tum literarum commercium, *quarum nonnullas Author hic recitat.*

Arriani Augustinũ provocãt.

Hoc sub Duce Gothi quoque stipendia faciebant; qui, Arriani cum essent, Arrianos quoque Ministros secum habebant. in His Maximinus Episcopus fuit qui Augustinum ad disputationem de Fide lacessere non dubitauit; quod & Pescennius Comes rerum Fiscalium Exactor, itidem Arrianus, est ausus. *Aug. ep. 37. Possid. in vit. c. 13.*

Honorij mors.

Mariano a que Asclepiodoro Cos. adscriptus annus funestus illuxit Honorij morte quæ Augusto mense contigit. imperauit à Theodosij Patris obitu annos fere vndetriginta, decem amplius vixit. Romæ Illum decessisse, & apud Vaticanũ porphyretico conditum monumento, Paulo Diacono tributa historia testatur. Paucis ante obitum mensibus Gallam Sororem, cum duobus Filijs Valentiniano, atque Honorio, ob suspicionem Vocatorum Hostium, in Orientem amandauerat; quo factum, vt cum nullus apud Occidentem esset qui iure cognationis Imperium susciperet, Ioannes quidam, qui tum Prætorio Præfectus, antea inter Augusti Scribas fuerat, Imperium Chri. Ann. 423. *Marcell. & Cass. chron. Socr. l. 7. c. 23* *Ioannes Tyrãnus.*

perium inuaderet. Hic ſtatim Legatos ad Theodoſium mittit per quos Illum orat, vt ſe in Collegã adſciſcat. Theodoſius, Legatis cuſtodiæ traditis, Patrui morte haudquaquam vulgata, Ardaburium, quo Duce bello Perſico fœliciter vſus fuerat, in Ioannem conſcribere exercitum iubet. *Ardaburius Theodoſij Dux.*

L. 60. & 61. de har. L. 22. & 23. de Pag L. 27. de Iud C. Th.

At nouus Imperator inter prima Principatus rudimenta Eccleſiaſticam immunitatem omnem decreto ſuſtulit, quod quam malè conſultus fecerit, ſuo mox damno expertus eſt. Theodoſius viciſſim auitum ſectatus morem, bellum ab ipſa Hæreticorum aliorumque Chriſti hoſtium inſectatione auſpicatus, complures, quæ extant, hac de re edidit Sanctiones.

Honorium haud ita multò poſt ſequutus Bonifacius Pontifex, moritur VIII. kal. Nouembris cui ſublegitur Cæleſtinus. Huic ex Eulalij factione nonnulli quemadmodum ſeſe opponere non ſunt auſi, ita Illius communionem diutius eos vitaſſe conſtat, quod Valentiniani edita poſtmodum Reſcripta declarant. *Bonifacij Papa obitus Cæleſtinus ſuccedit.*

Chri. Ann. 424.

Qui ſequitur annus Caſtinum, ac Victorem Coſs. habet, quamquam Ille Conſulatu motus, conſularibus quoque Faſtis expunctus eſt.

Oppidanis quibuſdam Hipponenſis anteà Diœceſis Epiſcopum, Auguſtinus, petentibus dederat paulò iunio-

rem sui Monasterij Alumnum; Hunc posteà criminum haud leuium compertum, Oppidanis certatim deferentibus, Augustinus deposuerat. Is appellatione ad Apostolicam Sedem interposita, Romam perrexerat: nactusque Cælestini aures faciliores, quam speraſſet, apud Africam accusatoribus suis insinuari curauit propediem se victorem Cælestini sententia rediturum. vulgatum insuper est non sine satellitio Romani Pontificis adfuturum. hæc non Augustini tantum, atque Oppidanorum animos exulcerarunt, sed alios quoque Africę Antistites commouerunt adeò, vt iactare quidam ausi fuerint nefas esse Africæ Episcopos transmarinam opem implorare, cum præsertim haud ità pridem Zosimi quoque Legati paulo acerbius cum Ipsis egissent.

Nouatorum calumnia. hinc Nouatorum, quæ diximus, mendacia, non ante Zosimum Romanos Episcopos in alios omnes potestatem vsurpasse. Augustinus sanè literis ad Cælestinum datis, quamquam animi perturbationem professus ex sui Alumni, quam metuebat, scelerum impunitate, summam haud secius aduersus Cælestinum reuerentiam præ se tulit, Sedis verò authoritatē maximè agnouit, nec nuperam dixit, tantum abest, vt iudicium subterfugerit. annuisse porrò Cælestinum Augustino, cognosci *ep. 161*

sci ex eo potest, quod mutua deinceps se beneuolentia complexi fuerint. tum illud æquè exploratum est, Africanos Episcopos reliquos, non tam Rom. Pontificis sententias, quam illarum exequutiones, quæ non rarò cum militari apparitura peragebantur, ægrè tulisse.

Ioannes interim copiarum parte in Africam transmissa, Prouinciam à Bonifacio militiæ inibi Præfecto repetit. Is tyrannidem simul, atque impietatem auersatus, re antea cum Augustino collata, Illiusque ad Deum precibus, & causæ bonitati fidens, armis decernere satius duxit, quod & feliciter præstitit. *Ioannis Tyranni conatus.*

Ardaburius Theodosij Dux Salonas cum exercitu delatus, dum illud Aquileiam transmittit, in littus vi tempestatis eiectus, in Tyranni potestatem venit, Deo ita moderante, ne humanis consilijs fœlix belli exitus tribueretur; de quo in sequentis anni rebus gestis sermo erit.

Theodoretus superiori anno ad Cyri Vrbis Episcopatum euectus cum ampliſſimam Diœcesim (octingentas Parœcias habebat) Marcionitis refertam nactus esset, in illis ad rectam Fidei semitam pertrahendis vi maxima incubuit: quanto verò cum pietatis prouentu, Ipsemet tradit. *Theodoretus.*

Ep. 81. & hist. de Sãct. c. 21.

Theodosius XI. Consulatus Colle-

Valentinianus. III.

gam assumit Valentinianum consobrinum, quem hoc eodem anno post dejectum Tyrannum adhuc impuberem Occidentali præfecit Imperio. Tyranni porrò exitium mira Dei prouidentia contigit. Rauennam cum exercitu se receperat, Vrbi, qua parte palude inaccessa putabatur, custode nullo imposito. ergo Ardaburij, quem captum à Tyranno diximus, Filius Aspar collectis vtcumque Romanis copijs, non tam maris fluctibus quam Ducis infortunio dissectis; dum omnia circumspicit, vt Remp. simul, ac Patrem in pristinam vindicet libertatem; Angelo, vt Socrates, alijque tradunt Pastoris specie per inaccessam alioquin Paludem deducente, Rauennam peruenit, Vrbis portas patentes reperit, factoque impetu Tyrannum opprimit; admirabili sanè, absque vllo suorum detrimento, parta Victoria, quam vno omnes ore Theodosij pietati tribuere; quæ sanè fuit eximia tum in rebus alijs peragendis, tum in hoc ipso diuino munere agnoscendo. cum enim circensibus ludis interesset, insperatæ victoriæ nuncium allatum est. religiosus tum Princeps ad populum, qui aderat frequentissimus; quin, inquit, ludis relictis, gratias Deo suppliciter acturi ad Ecclesiam properamus? excepta Augusti vox est omnium cum admiratione, ac plausu, neglectisque spe-

Theodosij pietas.

Chri. Ann. 425.

spectaculis, Eum omnes solemni veluti pompa in Templum deduxerunt. vnum de Theodosij religione, quod Theodoretus, & alij tradunt nequaquam est reticendum. Vir quidam Monasticũ viræ genus excolens, cum ad Eum sæpius, rei cuiusdam petendæ gratia, accessisset, nec Eius alloquendi potestatem nactus fuisset, per summam temeritatem Ei Sacris interdixit. pius Princeps re intellecta, ac Monacho diligentius conquisito, nec reperto, ad Episcopum, pro impetranda absolutione, quemdam ex domesticis ablegauit; negante Episcopo absolutione opus esse, cum temere Monachus eam sibi potestatem tribuisset, haudquaquam acquieuit, testatusque cibum se non percepturum antequam vinculo solueretur, Monacho iterum perquisito, ab Eo demum facinus erubescente solutus est.

Theod l.5. c. 36. Nicep h.l. 14.c.4

Mirũ de Theodosij religione.

Post Tyranni necem Barbari, quos Ille acciuerat, in Thraciam irrumpentes, diuina & ipsi ope disiecti sunt. eorum quippè Dux Coylas fulminis ictu interijt: reliqui procellis, rerum inopia, alijsque incommodis confecti, vulgari demum lue absumpti sunt.

Soer.l. 7.c.42

L.5.de spec.

Multæ hoc anno ab vtroque Augusto editæ Sanctiones leguntur ad iura Ecclesiæ, ac diuinum cultum spectantes. sed & literarum studijs Constantinopoli Theodosius noua sancita debar.

L.46. de Epis & Cl. L. 62. 63.64

lege consultum voluit, in qua Professorum, numerus, & quas græcè, ac latinè profiteri Artes, ac Scientias deberent, definitur. tum alia rursum edita Sanctione honore afficiendos Eos duxit, qui XXII. annorum cursum docendo confeciſſent. L. 3. de stud. lit. L. 1. de Profess.

Immunitas publicè docentibus.

Obiit hoc anno Atticus, quem Chrysostomo suffectum diximus. Socr. l. 7. c. 15

Repetito Eorundem Augg Consulatu nouus annus inchoatur, quo Sisinius Vir integerrimus Constantinopolitanæ Ecclesiæ imponitur. Theodosius ad Ethnicæ superstitionis reliquias abolendas, seueriſſimam legem promulgauit. Chri. Ann. 426. L. vlt. de Pag

Augustinus successorem nominat.

At verò Augustinus annum agens secundum supra septuagesimum, imparem se oneri ea iam ætate sentiens Successorem sibi, ac se adhuc superstite Coadiutorem, vt vocamus, dixit Neradium populo haudquaquam improbante. otium proindè vtcumque nactus, tum alia nonnulla, tum Retractationum libros scripsit. Aug. ep. 113

Eo tamen haud diu frui potuit; sequenti quippè anno, qui Consules Hierium, atque Ardaburium habuit, Ciuile inter Romanos Duces bellum, barbaricum mox excepit. Bonifacius, quem, ex Augustini consuetudine, pietatem hausisse diximus, quo magis in dies in eius Prouinciæ administratione militari laude, ac potentia Chri. Ann. 427. Prosp. chron. Paul. Diac. l. 14.

Bellū Ciuile.

cre-

creſcit, eò etiam magis æmulorum in Illum inuidia ſuccreſcit. eo factum eſt, vt quaſi nouarum rerum ſtudioſus apud Theodoſium deferretur. igitur perduellionis reus actus imparem ſe hoſtibus cernens, qui Auguſtorum auſpicijs bellum adminiſtrabant, ex Hiſpania Vandalos, atque Alanos exciuit, maximo Rom. Imperij, ac Chriſtianæ Reip. detrimento, quod non ſemel deinceps erit deplorandum.

Bonifacius Vãdalos vocat.

Chri. Ann. 428. *Procop. de bell. Vand. l. 1.*

Porrò auxilio vocati Barbari Ipſi in primis Bonifacio exitio fuere. Is enim amicorum ex Vrbe literis præmia, ne dum veniam à Placidia Auguſta pollicentibus, ſi barbaros quacumque demum ratione ab Africa auerteret, facti pœnitens eorum animos ingenti oblata pecunia tentauit. id vbi incaſſum agere ſe animaduertit, vi pellere adortus, manus conſerere non dubitauit. cæterum victus Hipponem munitam Vrbem ſe recipit, vbi à Genſerico, qui gentis Principatum, Gunderico maiori natu Fratre extincto, ſuſceperat, obſidetur. & hæc quidem altero à tranſmiſſo in Africam à Barbaris exercitu anno contigere Sauro, ac Fœlice Coſs. quæ deinceps eadem in Prouincia ſunt geſta, ad ſequentes annos ſpectant.

Genſericus Vand. Rex.

Proſp. & Caſſiod. chron.

Ætius interim, qui præ cæteris Bonifacium ad perfidiam, ac veſana conſilia adegerat, in Galliam cum copijs pro-

Ætius Rom. Dux.

profectus, egregiam de Franchis, qui ad Rhenum subsiterant, victoriam retulit, quo factum est, vt Principum, ac mortalium ferè omnium, ob pessundatam Africam, odio laborans, & meritam tum quidem pœnam euaserit, & meliori post hæc fama vitam egerit. *Francos vincit*

Nestorius Byzantij Epis.

Sisinio præmaturè vita functo, Nestorius Antiochia, ob Chrysostomi memoriam, peritus, eadem in Sede collocatur. principio Is quidem Theodosio author fuit Hæreticos, aliosque nefarios homines nouis legibus insectandi. At enim homo impius, qui ex Paulo Samosateno prognatus dicebatur Christo diuinitatem adimente; haud diu auitos errores dissimulauit: quamquã Illos, veteri damnatos præiudicio, iterum obtrudere veritus, ambagibus quibusdam, ac veluti præstigijs inuoluit. quippè Christum Hominem tantum ex Virgine natum, diuinitatem pro merito adeptum affirmabat, alia insuper dogmata huic consentanea effutire est ausus. Cyrillus sanè Alexandrinus, quem Aduersarium acerrimum cum Cælestino, ac alijs expertus est, quindecim Eum capitibus cum Samosateno consentire affirmat. Porrò Nestorius sua Ipse dogmata palam tradere cum extimesceret, impietatis administros haud ægrè inuenit, qui id præstare non erubescerent. *Socr. l. 7. c. 29 Prosp. chron.*

Hæreticum se prodit.

Eius dogmata.

rent. ex His Dorotheus quidam Episcopus Constantinopoli tum degens, in ipsa sacræ Synaxis frequentia suggestum conscendens concionabundus clamare ausus est; *si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit*. his consentanea cum Anastasius quoque Nestorij Presbyter, Eo nequaquam improbante, iactaret, maximus totius Populi motus sequutus est, atque adeò postmodum totius Christianæ Reip. perturbatio, de qua mox dicturi sumus.

Chri. Ann. 429. *Prosp. chron.* *Bed. l.* 1. c. 17

Subit annus sæculi vndetrigesimus, qui Consules habuit Florentium, ac Dionysium; quo tempore Cælestinus Rom. Pont. Britanniam Pelagiana infectam lue; Palladii Diaconi Legatione purgauit. Scotos eiusdem Insulæ Populos, vt qui maximè adhuc barbaros, ad humanitatem simul, ac Christianam Fidem traduxit. Sunt qui Scotorum ad Christum conuersionem antiquiorem tradant; sed cum hoc eius sæculi Scriptoribus incompertum sit, commentitium putamus. *porrò cum tres eodem fere tempore Palladij vixerint, Hìc de quo est sermo quis eorum fuerit, Author disquirit.* Ipso autem ea in legatione vita functo, cum in Hiberniam quoque Euangelium intulisset, Patricius cœptum ab Eo opus absoluit. De alia quoque in Britanniam Legatione à Germano, ac

Palladius in Angliam.

Scoti ad fidē cōuersi.

S. Patricius Hiberniæ Apost.

Bed. l. 1. c. 17

Lupo

Angli Britãniam occupant.

Lupo Episcopis obita Scriptores tradunt, quæ in alia incidit tempora cum Insula domesticis, externisque armis agitata, ab Anglis Saxonum Gente magna ex parte subacta, Angliæ postmodum nomen adepta est. tum Britanni vexati ab Anglis pulsique, eam Galliæ partem quæ in Oceanũ excurrit, insedere, ac Britanniæ illi nomen indidere.

Britãni in Galliam.

Nestorius hæresim disseminat

Subindè impius Nestorius propagare hæresim cupiens, literis ad Ægypti Monachos, aliosque complures datis, insuper & commentarijs conscriptis, eam latè disseminat. magnæ hinc inter Monachos excitatæ turbæ, ad quas sedandas Cyrillus primam scripsit epistolam. eadem quæ in Ægyptum, cum Romam quoque incerto tabellario fuissent perlata, Cælestinus ad Cyrillum scripsit, diligenter perquireret, an ea quæ de Nestorio vulgabantur, à Nestorio essent Authore, tum an alia insuper idem vulgasset. Cælestini literis acceptis Cyrillus, ad Nestorium Ipsum scripsit, tum alteras ad Eundem dedit, quibus Ille vehementer commotus, maxima cum arrogantia rescripsit, se præ cæteris diuinæ Scripturæ sensum, ac scopum attigisse ostendens. denique eò audaciæ venit, vt, Augustum in se propensiorem nactus, reliquos totius Orbis Episcopos suam in sententiam haud ægrè perducturum se speraret. Re-

Apud Cyrill. ep. 3. & 9.

Nestorij arrogantia.

gia

gia verò in Vrbe multis, qui nouæ obstreperent doctrinæ, publicè cæsis, eò ventum est, nemo vt iam hiscere auderet. Theodosij porrò in Nestorium hactenus procliuitas laudanda potius, quam damnanda est; sciebat enim religiosus Princeps Arcadij Patris factum improbatum. cum Theophilo, alijsque externis Episcopis aduersus Chrysostomum patrocinatus fuisset.

Chri. Ann. 430 *tom. 1. ep Rõ. Pont. Cyrill. ep. 16.*

Nouo appetente anno Consulatum ambo Augg. repetunt. His Cos. Nestorij literæ vna cum nouæ hæresis Commentarijs haud dubiè Theodosij iussu per Antiochum Virum illustrem Cælestino redduntur. eodemque tempore à Cyrillo quoque cum literis, Commentarios aduersus Eundem Nestorium Cælestinus recipit. igitur Episcopis nonnullis Romam vocatis, Nestorij dogmata, tum Nestorium Ipsum, dato ad resipiscendum tempore, damnat, deque his Illum certiorem reddit. *literarum exempla hìc apud Authorem habes omninò legenda.* eadem de re certiores quoque redidit Episcopos Antiochenum, Hierosolymitanum, Thessalonicensem, ac Philippensem. Cyrillo tamen partes suas delegauit, qua etiam ex causa (quod Theodorus tradit) Phygium Illi, hoc est Pallium potestatis signum tradidit, quo Cyrillum in Ephesino Concilio vsum constat.

Cælestini zelus.

Theo. Balsa.

Cæ-

Cæterum receptis Rom. Pontificis literis Cyrillus Prouincialium Episcoporum Synodum Alexandriæ cogit. ab His quatuor ad Nestorium Legati mittuntur, qui & Cælestini, & ipsius Synodi literas cum Fidei professione, à Nestorio emittenda, secum deferant, *quarum exemplum cum aliis nonnullis apud Authorem hìc habes.* at Nestorius his receptis tantum abfuit, vt à sua Ipse sententia recesserit, vt potius Cyrillum cæteroſque, qui eadem cum Illo sentiebant, hæresis insimularet. quo factum est, vt Theodosius per Virum illustrem Petronium, Bononiæ Episcopũ de cogendo Ephesi generali Concilio egerit; datis interim ea de re generalibus ad Episcopos literis, peculiaribus autem ad Cyrillum. Augustinum in primis Augusti iussu vocatum constat, cum is vitæ exitum paulo ante fortitus esset, incidit Augustini exitus in tertium Hipponensis obsidionis mensem; quæ ad decimum quartum perducta est.

Synodus Alexãdria.

Petronius postea Bononiæ Episc.

S. Augustini obitus.

Vit. c. 28.

Gẽnad de Vir. illust. c. 61.

Hoc eodem anno Ioannes Cassianus Constantinopolitanæ olim Ecclesiæ Diaconus, Leonis Romani Archidiaconi, postea Pontificis hortatu, de Incarnatione aduersus Nestorium septem libros luculentissimos edidit, cum antea (quod Ipse testatur) collationum libros edidisset.

Ioannes Cassianus.

Accedit annus Ephesini Oecumenici

Chri. Ann. 431.

nici Concilij memoria celebris. Anicij Baffi, ac Flauij Antiochi Consulatu fastis adscriptus. Hic Ille est Antiochus ex Eunuco Patritius, qui non secus, ac Eutropius gradu, & Ipse, motus, fortunisque omnibus exutus, inter Clericos postea adscriptus est.

Theod ep. 95.

Socr. l. 7. c. 31

Hoc tempore cum serui quidam genere Barbari sæuitiam Domini metuentes in Ecclesiam armati confugissent, Sacrisque obeundis, quod altare ipsum tenerent impedimento essent, Clericos, qui dimouere Illos voluissent, vulneribus affecere, tum se Ipsos, veniam desperantes, interfecere. ea de causa edita à Theodosio lex est qua vniuersus Templi ambitus non Altare tantum tutum Reis confugium esse sancitum est. tum arma in Templa inferri vetita, Ipseque Augustus legi obsequuturus, sui corporis Custodes arma pro Templo deinceps ponere imperauit.

Seruorum fa cinus.

L. 4. de his qui ad Eccl. C. Th. & L. 3. C. Iust.

Lex de immunitate Eccle sia. Arma in Tẽpla inferri vetita

Dum Generale Ephesi Concilium cogitur, Cælestinus iterum Episcopos complures euocat, qui totius Occidentalis Ecclesiæ nomine Synodales epistolas, ac Legatos decernunt, qui Ephesi præscripto tempore essent ad Iunij Kalendas. eò cum ex Orbe Christiano vniuerso conuenissent Episcopi fere CCC. quod Ioannes Antiochenus nondum adesset, dilata est Synodi celebratio ad X. kal. Iulij. tum de-

Synodus Romæ.

Conc. Ephes. edit.

Synodus Ephesi.

Nestorius damnatur.

demum Ioanne frustra expectato, Nestorius, qui Ephesi iam erat, ter vocatus per quatuor à Synodo Episcopos, accedere cum renueret, Ioannis præsertim absentiam causatus, totius Concilij sententia damnatus est. Quinta post Nestorij damnationem die, Ioannes Ephesum demum accedit. obuiam Ei processere à Concilio missi Episcopi, ac Clerici tum officij gratia, tum vt Illum de Nestorij damnatione certiorem facerent, Eiusque vt communionem vitaret, suasuri. mirum dictu ex itinere à Ioannis Satellitio ab Eius congressu inhibiti: domum postmodum, in quam Ille venerat, ingressi, contumelijs, ac plagis excepti sunt. Ioannes tum Nestorio addictissimus, fœdere cum Eo impiè inito, nactique ambo Candidianum Comitem, qui cum militari apparitura Ephesi erat, suorum scelerum defensorem, ipso Ioannis aduentus die, in ipso eius diuersorio, Episcopis nonnullis, qui ob hæresim, aut alia ob crimina à suis Ecclesijs extorres, in sacram Synodum admissi non fuerant, coactis, quasi in legitimo Concilio, damnationis, ac depositionis sententiam in Cyrillum, ac Memnonem Ephesi Episcopum ferunt. reliquos Patres eo, quo diximus, numero, qui Nestorij damnationi subscripserant, exocm-

Pelt. to. 4. c. 13. Euagr l. 1. c. 5

Ioannis Antiocheni arrogantia.

Nestorij Cõciliabulũ.

munì-

municatione omnes percellunt, nisi gesta retractent, Cyrilli, ac Memnonis damnationem ratam habeant.

Exindè duodecim elapsis diebus Apostolicæ Sedis Legati maris tempestate diutius iactati, Ephesum appulere, & Synodi Actis suum calculum addidere. potracta ad dies deindè multos Synodo, *de cuius gestis Authorem hìc consule*, Synodales ad Theodosium literæ dantur. verum hæ ab itinerum custodibus Candidiani Comitis iussu interceptæ, Augusto haudquaquam sunt redditæ. cum interim quæ à Conciliabulo, Ipsoque Comite datæ fuerant, ad Illum peruenissent. Theodosius ex alterius partis silentio vera esse; quæ Nestoriani scripsissent, ratus, Catholicis Episcopis, datis ad Eos literis, præcipit Epheso non antè discedant, quam Nestorio, ac Ioanni consentiant. Ex his Patres fraudem odorati, Archimandritas, qui Byzantij agebant, de rerum statu certiores reddere hoc pacto statuunt. literas rerum seriem continentes arundine inclusas Mendico tradunt: Is, nemine obsistente, Byzantium delatus, literas Dalmatio reddit spectatissimæ Virtutis Viro, ad quem suo se Cœnobio continentem, pietatis causa accedere Augustus Ipse identidem soleret. Dalmatius re intellecta, qui cæteroquin pedem Cœ-

Synodi literæ intercepta.

Dalmatius solitarius.

nobio

nobio efferre piaculum existimasset, Augustum adit, rem, vti erat exponit. Theodosius Eo audito, insuper eodem tempore ab Isidoro quoque Pelusiota celeberrimæ sanctitatis Monacho eodem argumento acceptis literis, iubet à Synodo Legatos ad se accedere. venere igitur Byzantiũ à Synodo Episcopi aliquot, à Nestorianis Irenæus Comes illorum partibus addictissimus. tum vero Theodosius quorũdam suasu, Acacij in primis Episcopi Beroensis, qui decimum supra centesimum agebat annum, quasi æqua lance re- expensa; tum Nestorij, tũ verò etiam Cyrilli, ac Memnonis depositionem ratam habendam statuit. eam verò in sententiam ire se idcircò passus est, quod totius Synodi decreto hos omnes damnatos crederet. missus itaque est Ephesum Ioannes, qui Principi ab Eleemosynis erat, vulgato autem nomine, sacrarum largitionum Comes appellatus. illuc vbi peruenit perlectis Theodosij literis, depositos Episcopos, ne quid turbarum concirent, seorsim in custodiam tradit. porrò cum de his Principem certiorem reddidit, illud mendacissimè addidit, Cyrillum quoque, ac Memnonem totius Synodi sententia fuisse depositos, ita vt de exilij tantum loco iam quæreretur. hoc cum rescissent Synodi Patres, Cyrillum verò, ac Memnonem indi-

Episcopi custodiæ traditi.

indignè retineri ægerrimè ferrent, supplici iterum libello Theodosium rerum à Synodo gestarum certiorem faciunt, quod & Nestoriani pro viribus præstant. tum verò placuit septem ex vtraque parte Episcopos Epheso Byzantium legari, quibus demum auditis, Pulcheria Sorore in primis adnitente, Theodosius ex errorum tenebris, quibus Eum Comites inuoluerant, ad lucem aliquando veritatis emersit. Ergo Nestorianæ factionis Legati dimissi: Episcopi eidem studentes ad suam quisque Ecclesiam abire iussi. Nestorius Antiochiæ relegatus mitiori tum quidem exilio, verum, quod hæresim docere adhuc perge ret, post quadriennium, Oasena Illi relegatio omnium deterrima decreta est, vt suo loco referemus. insuper Irenæus Comes exauctoratus, quod de Ioanne quoque Candidiano, ac Palladio traditur. porrò diuino factum consilio fateri cogimur, vt per Virginem Augustam Virgo Deipara à Nestorij blasphemijs vindicaretur.

Cyrill. Apol. subfin. Euagr l. 1. c. 7

Nestorius relegatur.

Ad hæc Nestorio succesor datur Maximianus, & à sacræ Synodi, quos diximus, Legatis consecratur.

Socr. l. 7 c. 37 Liberat. c. 7

Additamentum ad Salut. Angelicam.

Hoc tempore additamentum illud accepisse creditur Angelica Salutatio. *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus.*

Hæc dum apud Orientem peraguntur,

Procop. l. 1.

Paul. Diac. l. 14. tur, Genſericus apud Africam inſignem de Rom. exercitu victoriam reportauit. *Genſericus Romanos vincit.*

Ijſdem Coſs. X. kal. Iulij Paulinus Nolanus Epiſcopus moritur, de quo illud traditur memorabile, tanta illum charitate flagraſſe, vt captiuum ſe Vandalis pro Filio Viduæ redimendo traderet. *S. Paulini obitus.*

Chri. Ann. 432. Subit nouus annus Ætio apud Occidentem, Valerio apud Orientem Coſs. cuius exordio Epheſinæ Synodi Patres, ac Theodoſius Ipſe Aug. cum Maximiano, quem Neſtorio ſuffectum diximus, Legatione inſtituta, Cæleſtinum de præclaro Catholicæ Fidei triumpho certiorem faciunt. Is verò quaſi alter Symeon, qui diu anxiè redemptionem Iſrael expectaſſet; voti demum compos factus, dimitti ſe in pace exoptauit, poſt tres non amplius menſes vitæ exitum fœliciſſimum ſortitus exacto Pontificatus anno octauo. Huic Sixtus ſublegitur huius nominis tertius. Hic nihil prius habuit, quam vt errantem ouem reduceret. ſcripſit itaque ad Neſtorium apud Monaſterium Euprepij Antiochiæ agentem, ratus Illum in Monaſtica tranquillitate reſipiſcere haud ægrè potuiſſe, qui in Populorum frequentia deſipuerat. ſed incaſſum Eius conatus cecidere. Theodoſius quoque apud Ioannem Antiochenum pro

Cæleſtini Papæ. obitus.

Sixtus III.

Gennad. de Vir. illuſt. c. 5. 5.

im-

imperio egit, vt Nestorium, quod alij fecerant damnaret, cum Cyrillo, & reliquis Orthodoxis in gratiã rediret, idque, vt alij Syriæ Episcopi facerent, curaret. hac ipsa de re ad magnum Illum Simeonem cognomento Stilitem scripsit, quem veluti Numinis interpretem ex toto Christiano Orbe omnis generis mortales consulebant. & Ioannes quidem habito Prouincialium Episcoporum Conuentu Ephesinæ Synodi decreta comprobauit, reique testes literas ad Sixtum pariter, ac Cyrillum dedit.

Euagr l.c. 1.c 13. Theod vit. Patr. c. 26. Cyrill. ep. 38.

Simeõ Stilites.

Per idem tempus Iudæus veterator apud Cretam Moysem mentitus Iudæos inde omnes, exsiccato mari, in terram Promissionis abducturum se spondens, Eos ita dementauit, vt multi mare temere ingressi miserè perierint: porrò cum Seductor, ad necem quæsitus, nusquam inuentus fuisset, à multis vulgatum, non hominem illum fuisse, sed Dæmonem, quo factum vt ex His multi Christianam Fidem amplexi fuerint.

Socr. l. 7. c. 36 Niceph. l. 14 c. 41.

Iudæus veterator.

Quo etiam tempore Britius Turonensium Episcopus Martini Alumnus, ac Successor, nefariæ cum Muliere consuetudinis insimulatus, infantem ex Ea recens natum per Christum adiurauit, vt proderet an Britius Ipsius Pater esset; tum Infans, *non tu*, inquit, *Pater meus es*, vrgente Populo vt, quis

Greg. Tur. de Gest Frãc. l. 2. c. 1 & l. 10 c. 31.

S. Britius. Infans loquitur.

nam esset, interrogaret, id se, ne noxius proderetur, facturum negauit. cum autem haud secius aduersantiũ potentia pulsus esset, ad Rom Pont. appellauit, à quo, causa cognita, restitutus est.

Subindè Bonifacius ex Africa Romam delatus, militiæ Magister dictus non tam publicas cum Reip. hostibus, quam priuatas cum Ætio inimicitias exercens, prælio Illum superauit, nec ità multo post, siuè morbo, siuè, quod alij tradunt, ex vulnere extinguitur. Ætius Dalmatiam, mox Pannoniã adit.

Bonifacij obitus.

XIV. cum Anicio Maximo Consulatum Theodosius inierat, cum noui apud Orientem, ex veteribus exorti fluctus, compositam paulò antè pacem perturbarunt. id Fidei hostium dolo factum, qui Cyrilli nomine vulgatis literis Illum in maximum famæ discrimen adduxerè; mox tamen detectis dolis, simultates sublatæ, tranquillitas restituta est. tum verò Vrbs Regia tridui incendio grassantibus latè flammis fœdè absumitur

Chri. Ann. 433. *Libe-rat. Breu. c. 7. Cyrill. ep. 29. & 30. Marcell. & Prosp. chron.*

Byzantij incẽdiũ.

Ioãnes Cassianus.

Ioannes Cassianus Massilienſis iam Ecclesiæ Presbyter, Collationum libros, quos diximus, ediderat Christianæ pietati sanè proficuos: in his Pelagiani errores deprehensi, confutatique sunt à S. Prospero eo in Commentario, quem aduersus Collatorem inscripsit. porrò Collationum opus ipsum ab Eucherio Lugdunensi Episcopo,

scopo, ac Victore Afro expurgatum, ad nos vsque peruenit.

Sub anni exitum coacto Romæ à Sixto Concilio, Ipsius Sixti causa discussa est, quem Anicius Bassus Exconsul stupri cum sacrata Deo Virgine insimulauerat. cæterum, calumnia detecta, Pontifex innocens pronunciatur, Accusator vicissim damnatur. *Synodus Romana. Sixtus accusatus.*

Chri. Ann. 434. *Socr. l. 7. c. 39* Aspare, atque Areobinda Cos. Maximianus, qui pulso Nestorio Byzantij Episcopus consecratus fuerat, moritur. dum adhuc defuncti cadauer insepultum iacet Proclus Vir spectatissimus in Episcopali Sede collocatur. *Proclus Byzantij Antistes.*

Phot. Bibl. Sur. vlt. Iun. Sub idem tempus Melania Iunior, quæ Hierosolymis Monasticam agebat vitam, Constantinopolim Volusiani Patrui accitu venit. Is tum Legatione ad Eudociam Augustam fungebatur illuc ab Vrbe, cuius Præfecturam gerebat, profectus. Virgo sanctissima iter illud libenter ideo suscepit, quod spem certam concepisset Patruum, Ethnicum Hominem, quod Augustinus frustra tentauerat, ad Christi cultum se perducturam, quod & diuina demum opè effecit. porrò ex Melaniæ congressu non Volusianum modo, sed Augustum quoque, atque Augustam hausisse pietatem constat. *Melania Iunior.*

Tertius ab Ephesina Synodo annus agebatur; cum Vincentius, Lirinensis, apud Galliam, Monasterij Alumnus luculen- *Vincentius Lirinensis.*

culentum aduersus hæreses commentarium elaborabat. Hìc cum se fluctibus sæculi diutius agitatum dicat, antequam Monasticę vitę portum tenuerit, in eam nos adducit sententiam, vt putemus Eundem Hunc esse Vincentium Galliarum Præfectura nobilem, qui mirificè à Seuero commendatur. *Dial. c. 12.*

Qui sequitur annus huius sæculi quintus, ac trigesimus, duos Augg. Theodosium XV. Valentinianum IV. Coss. habet, quorum edicto Nestorij libri diligentius perquiri, ac vltricibus flammis tradi sunt iussi. quo tempore Ætius, & Gundicarium Burgundionum Regem superauit, & Armoricos Galliæ Populos Romanum iugum detrectantes domuit, ac Barbari Alemannorum Regis prædæ subiecit; quem tamen Germanus Altisiodorẽsis Episcopus, pro ea, qua pollebat sanctitatis fama, ab incepto reuocauit. *porrò de Germani laudibus, rebusque gestis multa hìc Author ex Constantio eius temporis Scriptore, qui Illius vitam edidit, recenset.*

Chri. Ann. 435. *L. vlt. de Hær C. Th. Prosp. chron.*

Atij victoria.

Hoc eodem anno XV. Kal. Martias Theodosiani Codicis editio facta est. ante hunc Gregorianus, atque Hermogenianus extabant, in quibus Iurisconsultorum responsa, ac Principum placita legebantur. de recentiori postmodum Iustiniani iussu edito suo loco dicturi sumus.

Theodosiani Codicis editio.

His

Honoria Valentiniani soror.

Marcell. chron. His Ipsis Cos. Honoria Valentiniani Aug. Soror, cum ex consuetudine cum Eugenio Procuratore vulgo male audiret, Constantinopolim ad Theodosium amandatur.

Nestorius lõgius deportatur.

Chri. Ann. 436. *Euagr. l. 1. c. 8 Niceph. l. 14. c. 26.* Quintus à Nestorij damnatione agebatur annus Isidoro, ac Senatore Cos. cum Is, quietis nescius, nouo Theodosij Rescripto in Oasenã Ægypti Regionem remotissimam deportatur: bona, Ecclesiæ, cui præfuerat, adiudicantur. tradit Euagrius toto exilij, quo superfuit, tempore, multa pessum, denique morti proximum, lingua prius, dein toto corpore vermibus scatente, computruisse.

Moritur hoc eodẽ tempore Ioannes Antiochenus, cui Domnus Monachus ex Sorore Nepos Successor datur.

Infœlix eius exitus.

Persequutio Vãdalica.

Chri. Ann. 437. *Marcell. & Prosp. chron.* Sub Consulibus Ætio, ac Sigesuulto Vandalica apud Africam persequutio à Genserico Arriano Rege grassari cœpit, initium ab Ipsius Regis domesticis factum, quorum quatuor Hispani Homines primitiæ Martyrum hoc anno fuere Horum memoria Idibus Nouembris Ecclesiasticis tabulis proponitur recolenda. quæ in alios postea Rex Barbarus immania statuit, ad sequentes annos spectant.

Valẽt. Vxorẽ ducit.

Socr. l. 7. c. 43 Valentinianus interim Byzantium profectus Eudoxiam Theodosij Filiam Vxorem duxit, exindè, Italiam repetens, Rauennam regreditur.

XVI. Theodosij Consulatu Fausto Collega, Chrysostomi Reliquiæ Cumanis Ponti Constantinopolim solemni pompa referuntur. Concionem, ex more Proclus ad populum habebat ipsa die transitus Chrysostomi anniuersaria. ergò dum tanti Viri laudes extollit, auditores clamoribus apud Illum instant suum sibi Pastorem reddi flagitantes. res eò peruenit, vt Proclus ita, vt erat, è suggestu ad Augustum pergere Populo vrgente, ac prosequente, coactus fuerit. annuit Augustus Virosque eximios, qui sacra Pignora in Vrbem Regiam referrent, delegit, mirares sacrum Corpus, quod argentea in theca honorifice seruabatur, moueri loco nequijt certior de his factus Theodosius, Proclo, ac alijs cõsultationi adhibitis, quid facto opus esset rogat; cæteris miraculo perterritis, sententiam ferre minimè audentibus, videri sibi Augustus ait, literas ad sacrum Antistitem, quasi viuentem, dari, quibus rogaretur, ne, suę olim Ecclesiæ, in se studium despiceret, neuè ad eam redire, tantopere exoptatus abnueret Augusti sententia, tamquam à summa Eius pietate profecta, cum nemini nõ placuisset, perscriptæ Ipsius Augusti nomine literæ, perlatæque à præcipuis Senatoribus sunt: tum supra sacrum Corpus depositæ, *quæ ex eius ætatis Scriptoribus deprompta ab Au-*

Chrysostomi corpus transfertur.

Mirũ de Chrysostomi Reliquijs.

Theodosij pietas.

Chri. Ann. 438. *Socr. l. 7. c. 44 Niceph. l. 14. c. 45.*

thore

thore hìc recitantur omninò legenda.
exindè indictis precibus, ac peruigilio, enixè omnes Deum, ac sanctum Antistitem cõprecati sunt, vt id præstaret, quod humillimis votis religiosissimus Imperator, ac Byzantij Ciuitas vniuersa exposcerent. peractis precibus res iterum tentatur: & ex voto sacrum Corpus mobile reperitur. tollitur sacra Sarcina humeris Sacerdotum, Clericis, ac Monachis accensis cum facibus, magno numero, præcedentibus, ac præcinentibus, dein' Populo frequentissimo prosequente, Chalcedonem demum defertur, quò Theodosius, cum Proclo Episcopo, ac Senatu vniuerso obuiam processerat, tum verò Regia Quinqueremi excipitur, nauigijs alijs innumeris prosequentibus. hìc iterum res accidit memoranda. summa erat maris tranquillitas, cum repente exorta procella naues reliquas huc illuc disiecit, Regia, quam diximus, Quinqueremis, velis, ac funibus vi tempestatis abruptis, diuina veluti ducente Manu ad Viduæ agrum appellit, cuius olim causa Eudoxiæ odiũ Vir Sanctus incurrerat, noua veluti sententia viduæ illum adiudicans: vehementiori nauis appulsu saxum in mare prominens discissum est, quod permulta dein' sæcula rei memoriam seruasse ferunt. tranquillitas exindè reddita, sacræ Reliquiæ in ampliſſima

Apostolorum Æde collocatæ sunt. tradunt Theodosium preces pro Parentibus summa cum pietate fudisse pronum, fronte ad ipsum tumulum applicata, tum seorsum pro Matre orasse, vt Eius sepulcrum, quod triginta amplius iam annos, omnium cum terrore, identidem concutiebatur, randem aliquando consisteret; votique compotem effectum.

Sacræ reliquiæ inuentæ.

Eodem fere tempore Sanctorum XL. Martyrum, qui Sebaste, apud Armeniam, passi fuerant, sac. Reliquiæ in Byzantij Suburbio, ex reuelatione, inuentæ. Sancti quoque Ignatij Antiochiæ ex Suburbio in Fortunæ olim Templum translatio facta est. *Sozom l. 9. c. 2 Euagr l. 1. c. 19.*

Eudocia Hierosolymis

Post Filiæ Nuptias Eudocia Aug. Melaniæ, vt creditum, suasu, peregrinationem Hierosolymam instituit sacraque in Vrbe annum fere integrum egit: Templa, ac Monasteria ibidem extruxit, aut instaurauit, ditauitque, tum ipsa Vrbis mœnia collapsa restituit, quo Regij Prophetę votum impletum videtur cum cecinit, *Benignè fac Domine in bona volũtate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem*. siquidē ἐν τῇ Εὐδοκίᾳ *in Eudocia* idem est, ac latinè *in bona voluntate*. quamquam multa ex his postmodum perfeciſſe par est credere, cum iterum post Viri mortem illuc profecta est, quod suo loco referemus. *Socr. l. 7. c. 46 Euagr l. 1. c. 23.*

Eius ibidem opera.

Psal. 50.

XVII.

Chri. Ann. 439. XVII. Theodosius vna cum Festo Consulatum repetit, cum Eudocia Hierosolymis Byzantium remeans, Stephani Protomartyris Dexteram secum detulit. donatam insuper Eam ferunt beatis Fascijs, quas sua infantia Christus Dominus cõsecrauit: ad hæc duabus Catenis quibus Apostolorum Princeps Herodis iussu vinctus fuit, quarum alteram Romã ad Eudoxiam Filiam misit, quæ adhuc visitur colitur que, vna cum alia, quam iterum, Nerone Principe, in Mamertino gestauit carcere, eo in Templo, quod tum Eudoxia Exquilino in Colle ædificauit.

Templũ S. Petri ad Vincula.

Nouell. The. tit. 3. de Iud. Theodosius interim aduersus Idolorum cultores, ac Iudæos dignam Christiano Principe Sanctionem edidit. quo tempore Cyrillus quoque Alexandrinus Iuliani Scripta quibus Ille Christianam Religionem impugnauerat, Commentarijs disertissimis confutauit.

Cyrilli in Iulianũ scripta.

Sed, & Theodoretus, Ethnicorum blasphemijs excitatus, præclarũ Opus XII. libris comprehensum elaborauit, quod de Græcarum affectionum curatione inscripsit. porrò cum apud Occidentem quoque profanæ superstitiones reuiuiscerent, aduersus illas Saluianus, Chrysologus, ac Maximus Taurinensis hoc tempore eloquentissimè declamarunt.

Item Theodoreti.

Carthago à Vandalis capta.

Sub huius item anni exitum Carthago à Genserico Vandalorum Rege, quo cum induciæ pactæ fuerant, dolo capitur, ac miserè diripitur, Sacramenti religione per summam perfidiam violata. tum Catholici omnes, Episcopi in primis; ac Clerici mirè vexati, Aris, ac Templis spoliati, Arrianis Horum loco Ministris substitutis. *Marcell. & Prosp. chron. Vict. l. 1. Proc. l. 2.*

Sixti III. obitus.

Quadragesimo eiusdem sæculi anno Valentiniano V. atque Anatolio Coss. Sixtus Romanus Pont. decessit cum annos sedisset prope VIII. Vrbis verò Ecclesias donarijs ditasset. Contigit autem vt Eius postea nomine Pelagiana hæresi adspersi libri vulgarentur, quemadmodum eiusdem nominis Pontifici tributũ Opus diximus, quod ob Origenistis conscriptum Sixto Pitagorico rectius tribuitur. Chri. Ann. 440.

S. Leo Magnus succedit.

Sixtum Leo Magnus subsequitur; *à cuius consecratione sextum Annalium tomum author fœlici auspicio redorditur; & nos eius vestigia assectantes, sextum Epitomes huiusce librum, ex instituto, inchoabimus.*

Libri V. finis.

AN-

ANNALES ECCLESIASTICI CAESARIS BARONII S. R. E. CARD.

ALVDOVICO AVRELIO Perusino.

In totidem libellos breuissimè redacti in quot magna volumina opus ab Authore digestum est.

LIBER VI.

Respondens sexto Authoris Tomo.

Chri. Ann. 440. COEPTVM superiori libro à Christo nato annum prosequimur quadringentesimum, ac quadragesimum, Valentiniano Augusto V. atque Anatolio Cos. quo, secundo, ac quadragesimo à Sixti obitu demum die, Leo Rom. Ecclesiæ Archidiaconus, qui posteà Magni nomen adeptus est, Pontifex Maximus renunciatur.

Prosp. chron.

Genſericus, Carthagine, vt diximus, expugnata, Siciliam inuadit, à qua tamen à Casſiodori Auo eiuſdem nominis, ſtrenuo Duce, nauiter repulſus, Carthaginem renauigat, quam Vrbem Romani olim Imperij æmulam ad maximam redegerat vaſtitatem. *Cass. l. 1. ep. 4.*

Vãdãli Siciliam inuadunt.

Cyrus Poeta Cõſul.

Sequens annus Cyrum tantum apud Orientem Conſulem habuit, quem, ob poeticam facultatem, Eudocia Auguſta, eiuſdem artis ſtudioſiſſima, peritiſſimaque, ad honorum culmen per omnes dignitatum gradus euexerat, nam & Vrbanam, & Prætorij Præfecturam geſſit, & Patriciam dignitatem adeptus eſt. denique varijs iactatus Fortunæ fluctibus, ex Ethnico Chriſtianus factus Epiſcopus euaſit. ſub Eiuſdem porrò Cyri Conſulatu Concilium Arauſicanum apud Galliam celebratum legitur, in quo canones ſanciti ſunt vndeviginti. Chri. Ann. 441.

Eius fortunæ varietas.

Conc. Arauſicanũ

S. Eucherius. Lugdunenſe Cœnobium.

Huic Synodo, cum alijs ſanctiſſimis Viris, Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus interfuit, *quem præ cæteris hic Auctor commendat, eademque occaſione Lirinenſe Cœnobium fœcundiſſimum fuiſſe ſacrorum Antiſtitum Seminarium oſtendit.*

Cæterum Theodoſius, bellum aduerſus Vandalos meditans, Areobindam, Anaxillum, atque Germanum inſtructæ eam in rem Claſſis Duces conſtituit; qui tamen diffidijs, ac cunctationibus, *Proſp. chron.*

non

non tam Africæ subsidio, quam Siciliæ oneri fuere. tum vero etiam Genſericum in Catholicos, quos subegerat, irritatum ferunt, Africæ autem partem reliquam, quæ Romano adhuc Imperio parebat magnopere fluctuasse; quę res Valentinianum, ac Matrem ad inhonestam cum Barbaro Rege pacem compulere, quæ sequenti demum anno sancita est, quo Consules Eudoxius, ac Dioscorus creati sunt.

Chri. Ann. 442. *Marcell. & Prosp. chron.*

Per idem tempus Attila, cum Bela Fratre Hunnis imperitabat. ergò Attila gloriæ, an prædæ cupidus, Thraciam, atque Illyricum inuadit, quod non nisi diuinæ iræ tribuendum videtur; eo enim maximè tempore Romanæ copiæ reuocandæ ex Sicilia fuere, cum Genſericus suorum insidijs, ac iteratis cõspirationibus appetitus, opprimi facili negocio potuisset. his sanè Ille detectis sæuissimam in Coniuratos exercuit carnificinam. porrò cũ iam omnes suspectos haberet, capitale erat Episcopis, cæterisque diuini Verbi Præconibus, Pharaonem, Nabucdonosorem, Olophernẽ, aut alium quempiam ex sacris Literis Tyrannum pro concionibus nominare.

Attil. Hũnõrum Rex.

Genſerici Tyrãnis.

His Ipsis Cos. Vasensis, seu potius Vasatensis, apud Galliam Narbonensem Synodus celebratur.

Cõcil. Vasense.

Chri. Ann. 443.

Leo interim Pontifex detectos in Vrbe Manichæos hæresim abiurare pa-

Manichai.

palam cogit, idque vt alijs quoque in Vrbibus, in quibus delitescerent, fieret, author fuit, quod in Maximi, ac Paterni Consulatum incidit. quibus item Cos. Theodoretus, qui Antiochiæ hoc tempore agebat, in suspicionem Nestorianæ hæresis vocatus, Theodosij iussu recipere se in Cyprum cogitur, quod illi quanto cum animi mœrore contigerit, ex Eius hoc ipso tempore datis epistolis constat.

Theodoretus.

Ep. 82 90. & 92.

At sanctus Pontifex Leo, haud satis ducens detectos, vt diximus, Manichæos, habitis ad Populum concionibus exagitasse, ac priuatis veluti iudicijs damnasse, duodeuigesimo Theodosij cum Albino Consulatu coacta Romæ Synodo, sacrilega Illorum dogmata, ac nefaria Sacra, publico Iudicio Ecclesiastica censura notauit. tum Synodi ipsius Acta Episcopis, non per Italiam modò, sed etiam extra eam, transmisit, quò Illi, cognitis Eorum sceleribus, in Eis indagandis, ac detectis coercendis promptiores forent. nec abfimili vsum studio constat aduersus Pelagianos, quod S. Prosperi in primis opera, quem Romam acciuerat, præstitit.

Chri. Ann. 444. *Leo ep. 93. & serm. de ieiũ. dec. mens.*

Synodus Roma.

Gẽnad c. 84.

Cyrillus interim Alexandrinus moritur, Episcopatus anno XXXII. *de cuius præterea, quæ extant, scriptorum monumentis, hoc loco Authorem consule.*

Cyrilli Alex. obitus.

Cy-

Cyrillo Dioscorus subrogatur, qui illius memoriæ infensior, Ipsius quoque hæredes exagitauit. Legationem statim ad Leonem instituit, cuius munus Possidonio demandauit, ex quo, cum Leo non pauca in Alexandrina Ecclesia non rectè administrari cognouisset de his corrigendis, pro Sedis authoritate ad Dioscorum scripsit. *Dioscorus suo cedit.*

Attila fratrẽ necat.

Marcell. & Prosp. chron. Amm. l. 31. Per idem tempus Attila Bolam Fratrem, ac Regni Socium, exemplo haud nouo, interemit. *cæterum quod ad Hunnorum originem, ac mores spectat, Authorem hìc multa ex Ammiano, ac alijs referentem consule.* *Hũnorũ origo, ac moret.*

Byzãtij clades.

Chri. Ann. 445. *Marcell. chron.* Valentiniano sextum, ac Nomo Cos. Byzantium multiplici clade affectum est. orta etenim in Circo Populi seditione, ingens perijt multitudo. tum annonæ caritate, ac vulgari subindè lue, multi mortales absumpti sunt.

Manichæi iterũ coercíti.

Nou. Val. post. C. Th. it. 2. & 4. Apud Occidentem porrò Valentinianus Manichæis Ecclesiastica animaduersione haud satis, vt videbatur, coercitis, aqua, & igni interdixit; tum ad Romanæ Sedis prærogatiuam firmandam, perpetua dignam memoria, Sanctionem edidit.

Britãnia amissa.

Chri. Ann. 446. *Paul. Diac. l. 14.* Ætio, ac Symmacho Cos. funestus admodum Rom. Imperio annus inchoatur; quippè, amissa Hispania, ac maiori ex parte Africa, ac Gallia, Britannia quoque, quæ erat extra Italiam reli-

reliqua, Barbarorum armis cessit. Hi fuere Angli Saxoniæ Populi, quos ideo Angloſaſſones quidam vocant: exin' Anglia vocari cepta, quæ Britannia anteà fuerat, tum Britannorum migratione Galliæ Regioni, quæ in Oceanum peninſulæ modo excurrit, Britanniæ nomen eſt inditum.

Anglo ſaſſones.

Britãni in Galliã

Apud Orientem quoque fame, ac peſte laboratum: inſuper terræmotu Vrbes complures collapſæ; Byzantij in primis, præter publicas, ac priuatas adæs, mœnia, & ex recenti quidem conſtructione, cũ turribus LVII. corruere: concuſsio verò, quod vix credibile, ad ſex ipſos menſes perſeuerauit nullo fere intermallo. accidit tum res maximè admirabilis. dum enim Byzantij Populus, terrore maximo perculſus, precibus ex more vacat frequentiſsimus, turbine exorto, Puer, qui tum aderat, in ſublime raptus eſt adeò, vt oculos ſuſpicientium effugerit, mox eandem remenſus viam, pennis veluti libratus, ſolum attigit, teſtatuſque eſt audiſſe ſe hæc canentium verba *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis miſerere noſtri*. hæc cum audiſſet Proclus Vrbis Antiſtes, eadem à Populo cani iuſsit, Theodoſius verò idem ab omnibus vbique Chriſtianis præſtari, edita ad hoc Lege, imperauit. rei porrò memoria in antiquis Græcorum Meno-

Clades publica.

Prodigium.

Triſagium.

Marcell. Chr. Niceph. l. 14. c. 26. Dæmaſc. de fid. ort. l. 3 c. 10.

logijs

logijs descripta exindè recoli quotannis consueuit. illud quoque additur, Puerum postquam ea, quæ audierat, retulit, actutum obijsse, terræ autem motum quieuisse. Sed & illud æquè mirum traditur, hoc loco, quod in his versetur oratio, recensendum. Iudæus ex Christiani hominis domo Christi Seruatoris Imaginem clam sublatam, mucrone percussit, cum statim, veluti ex vulnere sanguis erupisset, ac Iudæi vestem adsperfisset, Ille ad facinus obtegendum, noctu in puteum imaginem adhuc sanguine madentem proiecit: appetente dein die, cum ad puteum, qui publici vsus erat quidam, aquam vt haurirent, accessissent, sanguinem se hausisse comperiunt. re ad Præfectum delata, exaustoque puteo, imago, ita vt erat conuulnerata, extrahitur, vt dubium nullum esset sanguinem ex ea profluxisse. Præfectus Imaginem ad Augustum defert, cuius iussu, præconis voce criminis indulgentia Ei proponitur, qui rem sponte prodidisset. Iudæi Vxor indicio ex Viri timore, ac veste sanguine adsperfa desumpto, illum Præfecto defert. cum verò non Is modò, sed vxor quoque Christianam se Religionem suscepturos ex animo spopondissent, Noxius sceleris impunitatem nactus est, sacro, vna cum Vxore, Baptismate initiatus. rei

Prodigium aliud.

histo-

historia kal. Septembris recoli postmodum in Ecclesia consueuit.

Procli Byzatij Episc. obitus.

Contigit hoc eodem anno Procli obitus, quem Flauianus subsequutus est, cuius causa orta inter Pulcheriam, atque Eudociam dissidia, quod hæc Flauiano aduersaretur, contrà Illa Eidem studeret, demum Pulcheriam ad regiminis abdicationem impulere. cuius rei ea quoque causa præcessit. cum enim Virgo prudentissima Augusti Fratris incuriam incassum sæpius arguisset, quod supplicibus libellis nequaquam perlectis, subscriberet, vt Illum temerariæ imprudentiæ admoneret, libellum eiusmodi conscripsit, quo venditam sibi Augusti Coniugem diceret, ratamque haberi venditionem peteret. subscripsit libello Theodosius ex more. tum rei admonitus, haud æquo Sororis iocum animo tulit; vt sunt Principum animi elati, nec facile repreheosiones admittunt. cæterum Pulcheriæ consilijs destitutus Theodosius Chrysaphio Eunucho plus æquo in posterum obnoxius, anteactæ vitæ decus pessundedit. mox etenim noua Hunnorum irruptione territus pacem auro redimere, annuum Barbaris tributum pendere coactus est.

Nicephl. l. 14. c. 47. Menol 24. Octob.

Pulcheria regimen deponit.

Serius eius in fratrẽ iocus.

Theodosij imprudẽtia.

Tributũ Barbaris promissum.

Quod ad res spectat Occidentales, Alipio, seu, vt alij vocant, Callipio, atque Ardaburio Cos. Leo Pontifex

Chri. Ann. 447.

Leo ep. 93. & 97. Ambr moral. l. 11. c. 26.

tifex certior à Turibio Asturicensium Episcopo, Viro sanctissimo, factus de Priscillianistarum apud Hispaniam coitionibus, generale totius Prouinciæ Concilium indicit, quod tamen bisariam distributum est, ea fortasse de causa, quod Sueui, ac Gothi seorsim in Hispania imperarent. quo loco admiratione dignum videtur tanti apud Reges barbaros eosque Arrianos Romani Pontificis authoritatem fuisse.

Cõcil. Hisp.

Rom. Pont. authoritas.

Chri. Ann. 448. Conc. Eph. c. 19.

Ruso prætextato Postumiano Romæ, Constantinopoli Zenone Cos. renunciatis, Theodosius in Hæreticos pariter, ac Gentiles rescripsit; gratissimum Deo Sacrificium ad Rom. Imp. clades auertendas hac præcipuè ratione oblaturum se ratus. Irenæum quoque Comitem, quem anteà exauctorasset, Episcopum factum, quod bigamus esset, deponi iussit. Huius

Theodosij rescripta.

Theod ep. 12. 16. 81. 204.

consecrationi cum Theodoretus interfuisset, Illique esset peramicus, in hæresis, & Ipse, suspicionem vocatus, se Ipsum purgare necesse habuit.

Theodoretus.

In His, qui Nestorium infectati, præcipuam laudem adepti fuerant, Eutyches Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbyter, ac Monachorum Pater, fuit. Is dum improuidè in hostem fertur, duasque in Christo Personas, ex catholicæ veritatis præscripto, negat; rapido veluti cursui inijcere habenas nescius, duas itidem naturas

Eutyches.

Conc. Chal.

adi-

Concil. Byzan. ij.

adimit. detectus ab Eusebio Dorilæi Phrygiæ Vrbis Episcopo, ad Flauia num Byzantij Antistitem, tum ad Concilium ibidem alia ex causa coactum defertur. Patrum itaque iussu ter vocatus, per Chrysaphium Eunuchum ab Augusto impetrauit, vt non nisi aulæ Comitibus, ac Satellitio stipatus accederet. Spadonis porrò potentia, qui Flauiano infensior erat, factum est, vt res minè turbarentur, Episcopi complures Eutycheti studerent, Oecumenico Concilio opus esset.

act. 1. Theod. l. 4. in fin. Liber. c. 11.

Asterio, ac Prothogene Cos. Eutyches ab Augusto literas ad Leonem impetrauit, ad quem suas, & Ipse, addidit. tum properè Episcopi XXX Byzantij coacti, quibus non sine Flauiani contemptu, Theodosius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus præsideret; tantus fuit Aulicorum in Eutychetem studium, vt causam dicere per suos Monachos absens Ipse Episcoporum permissu potuerit. porrò, quod ad Flauianum deijciendum, qui conuenerant Episcopi haud satis idonei viderentur, Chrysaphij, qui id maximè optaret, potentia effectum est, vt maiori Episcoporum numero, ac præcipuorum authoritate res ageretur. vocatus est igitur Augustorum literis Dioscorus Alexandrinus, iussusque cum alijs suæ

Chri. Ann. Rom. Pont. 449. S. Leo. ep. 7. & seq. Conc. Chal. act. 1. Nicephor. l. 14. c. 47.

Dioscorus Alexandrinus

Pro-

Prouinciæ Episcopis XX. ad Augusti kal. Ephesi esse.

S. Leo ep. 10. & seq. His de rebus certior Leo Pontifex ab eodem Theodosio factus, cum Eum incassum à tantæ rei molitione dehortatus fuisset, Legatos Ephesum mittit Iulianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & Hilarum Diaconum. adfuere cum His Episcopi CXXVIII. Episcoporum præterea Vicarij complures. tum, Leonis literis haudquaquam perlectis, quibus Ille Fidei quoque Regulam tradiderat, omnia per vim, omnia in Flauiani odium, Eutychetis gratiam agi cæpta; Dioscoro in primis cuncta ad Spadonis libidinem dirigente. itaquè admissi qui venalia habebant suffragia, rectæ Fidei vicissim Assertores exclusi. deniquè absoluitur Eutyches Flauianus, ac Eusebius Dorilei Episcopus, quasi Nestorij Sectatores damnãtur, His interim appellantibus. Legatis autem Apostolicis, alijsque compluribus acrius obsistentibus, ac Dioscori genua prensantibus, quò illum à præcipiti sententia reuocarent. eo in tumultu Comites, qui Principis iussu præstò erant, vocantur, ingressique cum vniuerso Satellitio, atque adeò cum catenis, carcerem, exilia, ac dira His supplicia intentant, qui Dioscori sententiæ non subscriberent; quò factum, vt plerique omnes, licet inuiti,

Concilium Ephesi

Vis Episcopis infertur

uiti, manus darent. fuere Hi Episcopi propè centum, qui posteà in Chalcedonensi Concilio, quamquam vim metum que causati, non sinè ignominiæ nota, suas Ipsorum subscriptiones recitatas, rubore suffusi, audiuere. Verum enimuerò in tanto Episcoporum naufragio Petri nauicula, vt par erat, emersit. quippè à Leone missi Legati nulla vi in fraudem inducti; insuper, duobus alijs subsistere coactis, Hilarus Diaconus, qui posteà Pontificatum adeptus est, fuga elapsus Romam demum per summa pericula, reuertitur, deque omnibus Ephesi tyrannicè gestis, Leonem docet. Votum posteà Ioanni Euangelistæ Ephesi olim Episcopo, ac Patrono persoluit, extructa, quæ adhuc extat, in Constantini Baptisterio, opere musiuo, Ædicula, huiusmodi cum inscriptione. *Liberatori suo Ioanni Euangelistæ Hilarus Episcopus famulus Christi.*

Chalc. Conc. act. 1. S. Leo. ep. 25. & 26.

Legati Apost. à scelere immunes

Hilari Ædicula.

Euagr

Præter Flauianum, atque Eusebium alij, quoque damnati, ac Sede pulsi. at illud, portento simile, cum Flauianus interposita ad Sedem Apostolicam appellatione, libellum postea Legatis obtulisset, Dioscori indignationem ità prouocauit, vt, Eo iubente, seruiliter cæsus, plagarum atrocitate mortem obierit, inter Martyres posteà recensitus. sed & Theodoretus quasi Hæreticus damnatus,

l. 1. c. 10. Nicephl 14 c. 47. Liber. c. 11. Marty rol. & Menol. 18. Febr.

Eiusd.

Eiusque Scripta igni sunt tradita.

Porrò Episcoporum plerique omnes, paucis exceptis, postquam nouæ hæresis assertione, eiusque Authoris Eutychetis absolutione, Catholicorum damnatione, quasi tèr Christo abnegato, ex Pilati veluti Atrio egressi sunt, respiciente Eos Domino, amarè cœperunt flere, quo in luctu biennio fermè Orientalis Ecclesia fuit.

S. Leo ep. 22. et seqq. Leo dein Pontifex, coacta Romæ Synodo, Ephesini Conuentus Acta rescidit, deque abrogatione huiusmodi ad Theodosium in primis, ac Pulcheriam, tum ad Archimandritas, aliosque complures scripsit. opportunè autem accidit, vt Romæ hoc ipso tempore cum Vxore Eudoxia, ac Placidia Matre Valentinianus esset, à quibus seorsim literæ ad Theodosium datæ sunt, *quas Author hìc recitat*. *Concilium Romæ.*

Ante Conc. Chal.

Conc. Chal. act. 1. Liber. c. 12. Dioscorus vicissim, qui semel verecundiæ fines transisset, vt nauiter impudentem sese ostenderet, Alexandriam reuersus, Ægypti Episcopos adesse iubet, ex quibus decem non amplius nactus, cæteris hominem auersantibus, Anathematis sententiam in Leonem ferre ausus est. *Dioscorus Romæ Pontificem excommunicat.*

Chri. Ann. 450. Quinquagesimus sæculi annus Valentiniani VII. atque Auieni Consulatu lætior illuxit. sanè Theodosius, etsi ab Eutychete, ac Dioscoro deceptus, à Chrysaphio autem veluti fascinatus,

Fla-

Flauiani damnationem retam habuit, Anatolium, Flauiano suffectum, non anteà recipiendum existimauit, quam ea super re Leonem Pontificem consuleret. erroris tum nube paulatim discussa, effectum est, vt fraudē agnosceret, & fraudis detestaretur Authores. itaque Chrysaphium, deiectum gradu, relegauit: Pulcheriam Sororem reuocauit; Regnique iterum participem fecit: Eudociam Coniugem honesto exilio Palestinam optare compulit. exin' Iudæorum Synagogam in Diuæ Matris templum vertit, pietatis, ac pœnitentiæ haud dubiè exempla alia edituras, nisi immaturus Illum exitus occupasset. quarto etenim kal. Augusti, equo lapsus, interijt, cum annos XLII. imperasset. Alterum ac quinquagesimum agebat annum Augusta Soror; ergò Fratris morte liberas Imperij habenas nacta, moderari eas iurè cum posset, salubre nihilo minus consilium jnijt, vt Marcianum belli, pacisque artibus clarum, coniugij titulo, nullo Virginitatis, quam Deo vouerat, dispendio, ad Imperium aueheret, Senatu quoque, ac militibus suffragantibus. Is ex infimæ condicionis milite, ad summa euectus, probitate, ac Religione insignis fuit. itaque cum triduo non amplius imperaret, legem in hęreticos promulgauit. tum ad Leonem literas humanitatis,

Leo. ep 33.

Pulcheria reuocatur.

Nicephl. l. 14. c. 49.

Theodosij obitus.

Margell. chron.

Marcianus Imp.

Euagr l. 2 sc. 1

L. vlt. C. de

Apost. ant. Conc. Chalc. tis, atque obsequii plenas dedit Episcopos extorres à Conciliabulo Ephesino factos, reuocauit. Flauiani quoque sanctissimi Episcopi Reliquias Constantinopolim referri iussit. tum vero de Oecumenico Concilio celebrando agi cæptum. cæterum, dum Generale indicitur placuit Prouinciale Byzantii cogere, cui Leonis Legati, quos ad Theodosium destinauerat, interfuere. *Synod. Byzantij.*

Hoc eodem anno dira fames Italiam ita vexauit, vt Patres vulgo ad necessaria alimenta Filios venundare coacti sint. extat Valentiniani rescriptum posteà promulgatum, quo illis distractos tum liberos redimere permissum est. Subindè Attila recedens spontè ex Oriente, copias conuertit in Occidentem. *Italia fame laborat. Valēt. nouell. tit. 11. C. Th. Attila*

Chri. Ann. 451. S. Leo ep. 38. et seqq. Marciano Augusto, atque Adelphio Cos. Oecumenica Synodus Nicææ primò tum nè Princeps, qui adesse cupiebat, Byzantio longius recederet, Chalcedone celebranda indicitur, ad quam Leo Rom. Pont. nouam instituit Legationem. *Synod. Chalcedonensis.*

Paul. Diac. l. 15. At vero Attila, qui septingenta ferè armatorum millia ductabat, Gallias impunè excurrens, omnia ferro, ac flamma populatur. nec tamen viribus satis fidens, si Romanis Gothi iungerentur; astu sibi agendum existimauit. itaque simul ad Valentinianum

Legatos mittit, auxilium aduersus Gothos qui Galliam infederant, pollicitus, simul cum Gothorum Regulis agit, imperium cum His æquo animo se partiturum spondens, si, iunctis secum viribus, Romanos inuadãt. vtroque Barbarus ità in fraudem non impulit, vt maturare potius inter se fœdus adegerit Igitur Romani Ætio Duce, Gothi Theodorico, ac Torismundo, Attilam ad internecionem cædunt. hæc est pugna in campis Cathalaunicis omni æuo memoranda, qua tantum humani sanguinis effusum dicitur, quantum non alio in prælio Scriptores tradant. ex victoribus Theodoricus occubuit: Torismundus prælio superstes Fratrum insidijs. posteà interijt. Attila, fuga elapsus, Illyricum petijt in Orientem profecturus, sed à Marciani milite, antequam copias instauraret, repulsus, in Venetorum finibus, malo Aquileiæ fato, consedit.

Theodoricus. *Torismundus.* *Pugna memorãda.* *Attila fuga.* *Greg. Tur. l. 2.* *Sigeb. Chr.*

Dum hæc apud Occidentem peraguntur, apud Orientem Chalcedonensis Synodus sexcentorum amplius Episcoporum celebratur, cui Augustus Ipse, atque Augusta interfuere, inter prima Concilij decreta illud fuit, quo, Legatis Apostolicis flagitantibus, Dioscorus Alexandrinus Antistes, non Episcopatu tantum deiectus, sed Sacerdotij quoque ministerio priuatus est. exin' in Barsumam Archimandritam

Synodi Chalc. celebratio. *Euagr l. 2. c. 3* *Nicephl. l. 15 c. 2* *Liber. c. 13.* *tom. 2. Conc.*

tam

tam qui maturandæ Flauiani necis Author fuerat, conclamatum est. absoluta dein' Synodus est diebus XIII. totidemque Patrum Sessionibus. quæ verò in his gesta, ac constituta sint, ex Actis quæ extant, *& ab Authore hìc fusius referuntur*, petenda sunt.

Porrò cum sanctissimis Concilij decretis profligatæ, quæ tum vigebant, hæreses viderentur, religiosissimus Imperator in omnibus Christianæ Reip. consultum volens, suo, & ipse, decreto quicquid reliquum Gentilitiæ superstitionis esset omnino sustulit, sanctione, quæ adhuc extat, promulgata.

L. 7. C. de Pagan

Tum, nouo subeunte anno Cos. Sporatio, & Herculano, iterato edicto, inanes de Fide contentiones inhibuit. cæterum in Iustiniani Codice appositus huiusmodi Edicto Ricimeris Consulatus mendosè legitur, quo Consule Marcianus iam obierat.

L. 4. C. de summ. Trin.

At verò Anatolius, ex Dioscori damnatione, opportunam se nactum occasionem ratus, Constantinopolitanæ Ecclesiæ primatum, post Romanam, vindicare instituit. hac de re illum Leo acriter increpuit, datis non ad Eum tantum, sed ad Marcianum quoque literis.

Conc. Chal. act. 4.

Ep. 53 & seqq

Alexandrinæ interim Ecclesiæ Proterius præficitur; ægrè id tamen, qui Dioscoro plus æquo studebant, se-

Euagr l. 2. c. 5

Liber. c. 14.

rentibus, turbæ indè maximæ excitatæ sunt, vt militari eas manu compescere opus fuerit.

Turba à pseudomonachis.

Maximi quoque motus, à pseudomonachis Eutychianis exorti, Palestinam incessere. Hi Iuuenale Hierosolymæ Antistite per vim pulso, Theodosium maleficum hominem substituunt; porrò Eudociam Aug. quæ sacram tum Vrbem incolebat, in suam sententiam pertractam, scelerum adiutricem aliquandiu habuere; quam tamen Euthymius Vir sanctissimus ad meliorem posteà frugem reuocauit, qui, & Anachoretarum complures mentis sanitati reddidit. *Sur. 20. Laquar.*

His Ipsis Cos. Valentinianus indignam Christiano Principe Sãctionem edidit qua iudiciale Episcoporum Tribunal abstulit. quippè ius dicere Eos vetuit nisi in his, quæ ad Religionem pertinerent, aut nisi si collitigantes ex consensu Episcopum Iudicem delegissent. hanc postea legem Maiorianus Successor abrogauit, haud dubiè diuino iudicio territus. quippè haud ita multo post, Attila, quem profligatum diximus, resumptis viribus Aquileia nobilissima Italiæ Vrbe expugnata, aliisque multis clade maxima affectis, Romam euersurus properabat, nisi diuina Illum virtute Leo Pontifex absterruisset. igitur infœlix Augustus sacri Antistitis auxilio indi-

Nouel. Valẽt. tit. 12.

Paul. Diac. l. 15.

Attilæ Victoria. Romã properat As. Leone reuocatur.

guit,

guit, cuius imminuerat potestatem. Sacerdotalis hoc pacto dignitas dum à mortali deprimitur Principe, ab immortali supra Reges extollitur.

Hac ex Barbari Regis inuasione, cum Venetæ Regionis Incolæ in Hadriatici Sinus paludes confugissent, nobilissimæ Venetiarum Vrbis ignobilia iecerunt fundamenta. *Venetiarũ origo.*

Chri. Ann. 453. Cos. Opilione, ac Vincomalo Pulcheria Augusta moritur, ætatis anno quarto, ac quinquagesimo. *Eius Enchomium apud Authorem hìc require.* *Pulcheria obitus.*

Marcell. Chr. Theod lect. l. 1 ep. 62. Anatolij, de quo diximus, ambitu permotus Maximus Antiochenus, quò suæ Ipse Ecclesiæ dignitati consuleret, Legatos ad Leonem misit. Is redditis ad Eum literis, quod iam cœperat, Illius se causæ non defuturum pollicetur: vtque Anatolij temeritatem infringat, nauiter pro Nicænorum firmitate Canonum agit, quibus, post Romanam Alexandrinæ, tum Antiochenæ, postremò Constantinopolitanæ in alias Christiani Orbis Ecclesias prærogatiua tribuebatur. *Patriarchalium Ecclesiarũ prærogatiua.*

Ijsdem Cos. Arelatense, tum Andegauense apud Galliam Concilia celebrantur. illi Cæsarium eiusdem Vrbis Episcopum præfuisse constat, Virum doctrina, ac sanctimonia conspicuum, *de quo multa hìc Author.* Huius, hoc est Andegauensis, præclara extant Decreta, *quæ pariter ab Au-* *Synod. Arelatensis. & Andegauensis.*

thore hic recensita, peti ex eo possunt.

Ætij cum Collega Studio Consulatui, Ipsius Ætij funesta Occidentali Imperio cædes adscribitur, cuius fortunam Valentinianus suspectam habens Virum bello egregium, quo publica nitebatur salus, interficiendum curauit; nec impunè. quippè rei inuidia apud omnes laborans, haud ità multò post insidijs, & ipse, appetitus interijt, quod ad sequentis anni res gestas referemus. sunt qui tradant Ætium Ipsius Augusti manu interemptum, vtcumque se res habeat, diuina vltione factum par est credere, ijsdem namque insidijs perijsse constat, quibus ille olim æquè insignem Ducem Bonifacium circumuenerat.

Ætij cædes.

Chri. Ann. 454. *Marcell. & Cass. Chr. Proc. debell. Vand. l. 1. P. Diac. l. 15.*

Leo interim Pontifex, vt Orientalis Ecclesiæ res componeret, singulare studium adhibebat. complures sanè hoc anno literas ad Marcianum dedit, effecitque, vt Is in Alexandrinos Dioscori Sectatores rescriberet; tũ ambitiosos Anatolij conatus compesceret.

Ep. 69 et seqq. L. 8. C. de Hær. Iust.

Subindè Attila in nuptiali conuiuio, cum se vino oneraſſet, fœminea de xtra, siuè, vt alij tradunt, ingenti sanguinis profusione, interijt.

Attilæ mors.

nouel. 131.

Subit annus Occidentalis Imperij casu funestissimus, quo Valentinianus Aug. octauo suo cum Collega Anthemio consulatu, Maximi insidijs trigesimo Imperij anno obtruncatur. Maximus

Valẽniani cædes. Maximus

Chri. Ann. 455. *Marcell. &*

Cass. chron. Proc. debell. Vand. l. 1. Euagr l. 2. c. 7

ximus Tyrannidem inuadit. Eudoxiam Augustam connubio sibi iungit inuitam. exindè inito Barbaris cum Regibus fœdere, diuturnioris spem tranquillitatis fecit. verùm enimuerò foris prudens, domi incautior visus est. quippè nouæ Coniugi, quam deperibat, stultè fidens, amore Ipsius percitum, Viri exitium maturasse se, per summam imprudentiam, saffus est. itaque bis iam offensa Mulier, vlciscendæ iniuriæ auida, Genfericum Vandalorom Regem accersit ex Africa, sua Ipsius, ac Patriæ ruina Tyrannum oppressura. Rex Barbarus Romam properè delatus, illam præsidio vacuam primo statim aduentu capit, ac diripit, Tyranno in primis interfecto; Leonis tamen Pontificis diuina eloquentia delinitus, à Ciuium cæde, ac Templorum direptione abstinuit; tum, præda onustus, Africam repetit, Eudoxiam Augustam captiuam, cum Eudocia, ac Placidia Filiabus abducit.

mus Tyrãnus.

Eius imprudẽtia.

Roma à Genserico capta.

Auitus interim, qui Prætorij, ac Galliarum Præfectus à Valentiniano, à Maximo autem Militiæ Magister constitutus fuerat, Augustus appellatur, Theodorico in primis adnitente, quocum fœdus Maximi nomine Orator pepigerat. verùm Maximi odio cuius Insaniæ Vrbis direptio tribuebatur, Senatus, Populique inuidiam passus, deponere Imperium cogitur, octauo,

Auitus Imp.

Imperiũ deponi.

postqñam illud inierat, mense. Cum Imperio Consulatum quoque Ei abrogatum conijcere ex eo licet, quod, cum post initum Imperiũ, Consulem fuisse ex Sidonio constet, duo tamen alij, Ioannes, ac Varanes Consularibus, hoc anno, Fastis adscribuntur. Chri. Ann. 456. *Euagr l. 2. c. 7 Nicephl. l. 15. c. 11. Sigeb. Chr.*

Francorum Regni origo. Hac tempestate, Parisijs à Childerico captis, Francorum Regnum ortum habuisse tradunt.

At Genserícus diram apud Africam persecutionem in Catholicos iterum instituit, de qua pluribus Victor huius ætatis Scriptor, *& ex Eo hìc Author, quos require.*

Marciani obitus. Cos. Constantino, ac Rufo Marcianus moritur, Principatus anno VII. Vir, etsi bello strenuus, Pacis tamen studiosior, probitate, ac Religione nulli Augustorũ secundus, inter optimos iure numerandus. Chri. Ann. 457. *Marcell. & Cass. Chr. Nicephl. l. 15 c. 15.*

Leo Imp. Marciani obitu, Leo Thrax genere, Homo Tribunicius, Senatus, ac Militum suffragio Imperium capessit, ab Anatolio autem, solemni ritu, inauguratur. ad Hunc gratulatorias, ex more, literas Leo Romanus Pont. dedit, enixèque hortatus Eum est ad catholicæ tutelam Fidei suscipiendam. hoc veluti classico nouus Augustus excitatus, nihil prius habuit quam, vt Sanctione amplissima, à Decessoribus Edicta aduersus hæreticos promulgata, firmaret, quæque haud ita

pri-

pridem pro Cahlcedonensis stabilitate, Synodi Marcianus ediderat, comprobaret.

Theod lect. l. 1 At verò Alexandrini, ex His, qui Dioscoro fuerant suffragati, eaque ex causa Successori erant infensi, Proterium adorti, miserè trucidant, Thimotheum nefarium Hominem in Sede collocant, qui eò dementiæ progressus est, vt cum Constantinopolitano, atque Antiocheno, Ipsum quoque Romanum Pont. atque adeò Episcopos omnes, cum Chalcedonensi damnaret Concilio, vniuersæque Ecclesiæ negocium facesseret.

Sub idem tempus Rauennæ Occidentalis Imperij Augustus dicitur Maiorianus. Hic inter prima Principatus rudimenta Vandalos, quos Campanum in litus Genserici Classis effuderat, profligauit. *Maiorianus Imp. Vãdalos fugat.*

Chri. Ann. 458. Nouus annus vtroque Augusto Coss. aperitur. Maioriani quidem Consulatum Panegyri illustrauit Sidonius Apollinaris Orator, ac Poeta illorum temporum elegantissimus, qui & genere clarissimus fuit, cum Auiti Aug. Generum fuisse constet. *Sidonius Apollinaris.*

Maior nouell. tit. 3. 4 & 8. Extant inter Principum Placita Maioriani Sanctiones sanè laudandę inter quas illa, ne Filiæ Virgines ad sacrum Velum suscipiendum adigerentur inuitæ, neuè illud ante quadragesimum ætatis annum reciperent, & interim

integrum Illis esset nubere, si voluissent: quam Leonis Papæ suasu tulisse ex eo constat, quod persimilem Leo Ipse tulit, vt ex Eius Actis habetur.

Leonis Imp. zelus. Exindè Leo Augustus à Romano Pont. pro componendis Orientalis Ecclesiæ rebus, Legatos expetijt, excepitque. tum qui ipso Imperij exordio, ad catholicæ Fidei firmitatem, illius professionem ab Episcopis celebrioris nominis requisiuerat, eandem hoc anno à præcipuis Anachoretis, datis ad eos literis, expetijt. *Euagr l. 2. c. 12.*

Terræmotus. Eodem fere tempore terræ vbique motus vehementior Vrbes, atque adeò Regiones ipsas concussit: Antiochiam tamen, præ Vrbibus cæteris, deformauit.

Anatolij obitus. Gẽnadius succẽdit. Inter hæc Anatolio Byzantij Antistite morte sublato, Gennadius eiusdem Ecclesiæ Presbyter, insignis Vir doctrinæl, ac probitatis, ea in Sede collocatur. eodemque tempore, Iuuenali Hierosolymitano, Anastasius subrogatur. *Theod lect. l. 1. Nicephl. l. 15. c. 22.*

Sequenti anno Consulatum Ricimer, ac Patricius iniere, quo tempore Leo Aug. susceptis Apostolicæ Sedis Legatis, Constantinopoli Concilium ex vicinis Prouincijs cogi curat. adfuere Episcopi LXXIII. ex huius porrò Synodi Actis, vnus tantum aduersus Simoniacos extat Canon. actum verò in ea fuisse de Eutychiana hæresi

Chri. Ann. 459.

Concilĩ Byzãtij.

hæresi penitus abolenda, nulla potest esse dubitatio.

Peracta Synodo, celeberrima ab Episcopis facta est Basilicæ à Marciano erectæ, quæ *Anastasia* dicebatur, consecratio.

Rebus alijs apud Occidentem gestis silentio obrutis, Leonis tantum decretalis Epistola data hoc anno legitur ad Episcopos Samnij, Campaniæ, ac Piceni, de seruanda antiqua Ecclesiæ traditione, vt non nisi Paschę tempore, ac Pentecostes, citrà necessitatem sacrum Baptisma administraretur, neuè peccatorum confessio nisi secretò perageretur. *Epistola Decretal. De Baptismo & pœnitentia.*

Ep. 80.

Chri. Ann. 460. *Liber. c.* 15. Sexagesimus, ac quadringentesimus à Christo nato annus Cos. habuit Magnum, atque Apollonium, cuius initio Leo Aug. haud dubiè ex coactæ nuper Synodi Decreto, Timotheum Alexandrinæ Ecclesiæ inuasorem deturbari Sede iussit, dato ad Præfectum Augustalem Rescripto.

Timotheo exacto, ac Chersonam posteà relegato, eiusdem nominis Successor illi datur.

Cedrē ī Leon. Hoc demum anno Simeon Stylita, Orbis miraculum, vitæ diem clausit extremum centenario maior, postquam, exemplo ad posteros memorabili, columnam octuaginta amplius annos insedisset. Hunc æmulatus Daniel, qui ab anno ætatis XII. monasticum *Simeonis Stylitæ obitus. Daniel Stylitæ*

sticum institutum sequutus fuerat, haud dispari apud Orbem gloria, veluti alter Eliseus Eliæ spiritum nactus, conscensa, & Ipse, Columna, ad Ponti Ostia consedit.

Eudocia, Maioriani, & s. Leonis obitus.

Hoc item anno Leonis Principatus IV. Eudocia Theodosij Coniux in Hierosolymæ secessu moritur, ætatis anno septimo, ac sexagesimo.

Seuerino, ac Dagalaipho Cos. Maioranus laudatus Princeps apud Dertonam Hispaniæ Vrbē Ricimeris Gothi militiæ magistri, qui Seuerum euexit, fraude extinguitur. Leo quoque Pontifex re, ac nomine Magnus tertio Idus Aprilis moritur, cum annos sedisset paulo amplius XX. Chri. Ann. 461.

Hilarus PP.

Leoni sublegitur Hilarus, de quo alibi meminimus cum Ephesini Conciliabuli gesta recensuimus. *Adan.* 449.

Miraculum de Pictore.

Qui sequitur annus vtroque Augusto Cos. clarus, cætera obscurus, Scriptorum silentio, habetur. illud à Cedreno traditur, Pictori Christum forma Iouis pingere aggresso, manum exaruisse; porrò cum facinoris Eum pœnituisset, crimenque Gennadio Episcopo fassus esset, Eius precibus dexteræ vsum recepisse. Chri. Ann. 462.

Cōcil. triplex

Alio postmodum subeunte anno Cos. Decio Basilio, ac Vibiano, Concilium Arausicanum II. celebratur, tum Eisdem ferè Episcopis coeuntibus, Carpentoratense, ac dein-

Chri. Ann. 463.

ceps

ceps Vasatense. Quo tempore Elisei cineres, haud dubiè qui Iuliani furorem euasissent, Alexandriam transla- *Sup. ad an. 362.* ti dicuntur, cuius apud Sebastem Monumentum Eius iussu profanatum diximus.

Elisei cineres.

Nouum annum Rusticus, atque Olibrius auspicantur; quibus Cos. Euaricus Gothorum Rex Theodorico Fratre fraude sublato, partum scelere Principatum init, Galliam, atque Hispaniam populatur. Leges Genti, quæ hactenus exlex fuerat, perscribit; Authores licet alij Theodorico has tribuant. *Chri. Ann. 464. Ibid. Chr. æra 504.*

Euaricus Gothorũ Rex. Leges scribit.

Porrò apud Orientem Leo Aug. Danielis, quem diximus, sanctitatis, ac miraculorum fama permotus, vna cum Gennadio Antistite illum inuisit, ad genua procumbit, pedes osculatur, & tumentes eos quidem, atque vlceroſos. nec statim recessere. quippè Gennadius sanctum Virum, quamquam renuentem, Sacris initiandum existimauit. tum Ei Daniel futurum Regiæ Vrbis incendium prædixit; quod reuertente demum anno Cos. Erminiano, ac Basilisco renunciatis ex sancti Viri prædictione accidit, viguitque ad dies quatuor, seu, quod alij tradunt, sex, clade maxima mortalibus æquè, ac ædificijs illata. vastata Vrbs est à Boreali parte ad Australem ad Stadia quinque, ab ortu Solis *Sur. 11 Decēb.* *Chri. Ann. 465. Euagr l. 2. c. 13.*

Leo Imp. ad Danielē Stylitam. Byzantij incendiū

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lis ad occasum, ad quatuordecim. huiusmodi posteà incendijs vt consuleret Zeno Princeps, qui Leonem sequutus est, legem promulgauit, qua edixit, vt priuata etiam ædificia seorsim singula duodecim inter se pedibus disiuncta, insularum more in posterum extruerentur.

Lex de domibus seorsim extruendis. *L. 12. de priu ædif.*

Extremo hoc anno conuenerant ex more Episcopi L. Hilari Romæ Natalem, hoc est annuum Eius Consecrationis diem celebraturi, *ex suburbicis*; vicinioribus nempè Vrbi regionibus. ea occasione Synodus, cuius Acta extant, celebratur.

Synodus Romæ. *Conc. to. 1.*

Seuerus indè Aug. Ricimeris, à quo euectus ad Imperiũ fuerat, dolo sublatus est, veneno Eidem propinato. interregnum ad sexquiannum productum est, Vandalis interim non Italiæ tantum, verum etiam Illyrici, Græciæ, atque Ægypti littorales oras, Insulasque omnes populantibus.

Seueri Imp. obitus. *Marcell. & Cass. Chr.*

Nouus annus Leonem tantum Aug. Cos. habuit cuius initio amplissimum ab Eo Rescriptum prò Ecclesiæ immunitate ad Eritræum P. P. datum legitur.

Chri. Ann. 466. *L. 6. C, de his qui cõ. fug. ad Eccl.*

Per idem tempus Euaricus Gothorum Rex, ex Hispania, in Galliam profectus, Prouinciam populationibus infestam habebat, cum ab Ecdicio Auiti olim Aug. Filio, qui priuatis viribus exercitum comparauerat, non fine

Ecdicius Auiti filius.

Numi-

Numinis quam Galli religiosè implorauerant, ope, vincitur.

Sub eodem Leonis Consulatu moritur S. Prosper Regiensis apud Aquitaniam Episcopus maximus Catholicæ Fidei propugnator.

Chri. Ann. 467. *Sidon. in Paneg. Anthem.* Post diuturnum, de quo diximus, Interregnum, Romano Senatu, ac Ricimere (cuius fere nutu res tum Occidentis gerebantur) per Legatos id postulantibus Anthemius Orientalis Imperij Senator Romam à Leone mittitur, ac Augustus appellatur Flauio Pusco, ac Ioanne Cos. quo tempore vulgaris per Italiam lues latè grassabatur. *Anthemius Imp.* *Pestis in Italia.*

Sub ipsum noui Cæsaris aduentum Hilarus moritur Pontificarus anno VII. Huic Simplicius subrogatur, apud quem Leo Aug. (quod anteà nequicquam à Leone, ac Hilaro expetierat) sedulo egit, vt Calcedonensium Patrum Decretum ratum haberet, quo Constantinopolitanæ Ecclesiæ, post Romanam Primatum detulerant. verum & Simplicius Leonis conatui vehementer obstitit, vtque ab incepto desisteret, non per literas tantum, sed misso etiam ad hoc Probo Episcopo Canusiano, etiam atque etiam hortatus est. *Hilari obitus.* *Simplicius succedit.* *Gelas. ep. 11.*

Hac tempestate Sidonius Apollinaris, Anthemij accitu, è Gallia, Romam venit. *Sidonius Rom* *Sidon. l. 1. ep. 6, & 9.*

An-

Anthemius Aug. qui XIII. ante annum Valentiani Collega in octauo illius Consulatu fuerat, Consulatum hoc anno iterum auspicatur absque Collega, Sidonium, quem diximus, laudatorem nactus. Chri. Ann. 468. *Sidon. ep 9. & in Paneg*

Apud Orientem porrò Leo Aug. semel, atque iterum in Paganos rescripsit. tum Eisdem Cos. ingentem aduersus Gensericum Vandalorum Regem paratam classem Basilisci Ducis inertia, siue, vt alij tradunt, proditione, maximo cum Reip. damno, amisit; prosperè tamen terrestri prælio aduersus Hunnos pugnatum est, Dentice Attilæ Filio Patrem ferocia superante, profligato, ac perempti capite Byzantium perlato. *L. 15. C. de Episc. Aud. Nicephl. 15 c. 27. Marcell. chron.*

Dentices Attila filius.

Chri. Ann. 469.

Subindè Leo Princeps, Zenone Genero Consule, cum Marciano Collega renunciato, Asparis, ac Filiorum potentiam, in dies magis suspectam habens, vi eos perdere cum nequiret, arte sibi agendum existimauit. itaque Filiorum alterum, cui Patriciolo nomen erat (cum alter Ardaburius, ex Aui nomine vocaretur) Cæsarem se dicturum pollicetur. hoc cum vulgatum esset, nec tamen Augusti consilium pateret, à Catholicis omnibus, Clericis in primis, ac Monachis, tumultuatum est, quod Arrianos homines Imperio spotiri nefas ducerent. At pius Imperator probè sciens prospere *Zon. an. to. 3.*

spere sibi cuncta cessura, cum purus Religionis cultus cordi esset conciliandæ summo in discrimine Diuinitati, ad festorum dierum cultum augendum, ac Simoniacam prauitatem emoliendam, leges sanctissimas promulgauit.

Chri. Ann. 470. *Euagr l. 2. c. 17. Micephl. l. 15 c. 27.*

Tum demum LXX. huius sæculi anno appetente, Cos. Iordano, ac Seuero, quem Seuerianum alij vocant, Asparis, ac Filiorum meditatam diu necem exequitur, Zenone administro; quem hoc ipso facinore Ariadnæ Augusti Filiæ nuptias promeritum quidam tradunt, cum alij iam tum Leonis generum Zenonem fuisse testentur. *Zeno Leonis Gener.*

Chri. Ann. 471.

Subindè quartum Collega Probiano Consulatum Leo Augustus init; quo tempore Gennadius Antistes laudatissimus mortem obijt, cum annos XIII. functus sacro Ministerio fuisset. *Gennadij obitum.*

Gennadio Successor datur Acacius, qui Orfanorum Collegio Præfectus erat, de quo crebrò deinceps sermo erit. *Acacius succedit.*

Theod lect. l. 1

Delectus interim Orientis Comes Zeno, Antiochiam cum proficisceretur, Petrum quemdam, cognomento Fullonem, secum duxit, hominem miscendis turbis, vt qui maximè, idoneum. Huius opera, Zenonis potentia effectum est, vt Martyrius Sanctissimus Antiochiæ Episcopus pellere- *Petrus Fullo.*

tur,

tur, ea verò Ecclesia, ac Ciuitas vniuersa diururniori motu agitaretur. Porrò apud Occidentem Ricimer, penes quem vires erant Imperij, Aspa-

Ricimer Anthemio insidiatur.

ris, ac Filiorum cæde, quibus cum occultò fœdus pepigerat, audita, Leoni infensior redditus, Anthemium Socerum, vtpotè Leoni obnoxium, cuius beneficio imperabat, insidijs appetit, his tamen detectis, Mediolanum concedit. hinc iterum insidias circumspiciens, Epiphanio sanctissimo Ticinensi Episcopo Legato ad Anthemium misso, simulatam cum eo pacem componit, quo nefaria tutius consilia exequatur.

Eudocia Iunior.

Hoc eodem anno Eudocia Iunior, quæ vna cum Matre, ac Sorore capiua in Africam ducta à Genserico fuerat, atque Hunerico Genserici Filio matrimonio iuncta; Arriani hominis consuetudinem pertæsa, Hierosolymam aufugit; haud diu tamen superstes, iuxta Eudociam Aviam sepulta est. *Nicephi. l. 15. c. 12.*

Vesuuij incendiũ

Sub huius quoque anni Cos. Vesuuius Campaniæ Mons intestinis ignibus æstuans, exusta, vt ait Marcellinus, vomuit viscera itaque eiecti per vim cineres, Constantinopolim perue-

Eius cineres Byzãtiũ delati.

nere, tanto eius Vrbis terrore, vt, Procopio reste, rei postmodum memoriam celebrauerit, annuisque ad Deum supplicationibus, ad sua vsque tem- *Inchrõ Cass. Var. l. 4. c. 50.*

tempora placare consueuerit.

Duo item alia hoc anno mira acci-
Lib. 15 disse, Nicephorus tradit. alterum de-
c. 23. Catholico Episcopo cum Arriano altercante, cum ad catholicam firmandam veritatem, Ille rogum ingressus, flammas innoxias expertus est. alterum de Iudæo Archisinagogo, qui, quasi tumultus concitator, correptus, ignique traditus Sergij Martyris, miraculorum fama celebris, patrocinio implorato, Ipsoque innocentiæ suæ teste inuocato, inter flammas diutius, omnium cum admiratione, integer cum perstitisset, Populi cõcursu exemptus est. tum, Baptismate initiatus, assumpto Sergij nomine, Liberatori Templum ex diuendito patrimonio, ipso in supplicij loco, excitauit. *Mirũ de Iudæo.*

Sur. 13. Ian. Hoc eodem anno contigit Remigij, qui Galliæ Apostolus dici meruit, Rhemensis Episcopi, diuinitus facta consecratio, cum non nisi annum secundum ageret supra vigesimum; de cuius eruditione, ac facundia, præter ea que de eximia Illius sanctitate dicturi deinceps sumus præclarum extat Sidonij, quem supra laudauimus, testimonium. *S. Remigius*

Ep. 7.

Chri. Ann. 471. Gelas ep. 11. Nouis Cos. Romæ Festo. Marciano Byzantij renunciatis, Acacius Leonem Principem paulò in se propensiorem nactus, at non æquè Simplicium, veterem de primatu quæstionem mouet,

uet, vtque Alexandrinũ Antistitem minus sibi aduersantem experiatur, impiũ illum Timotheum, quem Augusti iussu relegatum diximus, restitui curat.

Anthemij obitus. Ijsdem Cos. Occidentali Imperio in dies pronius collabente, Ricimer, dira fax Reip. Anthemio Socero fraude sublato, Olibrium imperare iubet. *Cass. chron.*

Olibrius succedit. Per idem tempus Sidonius Apollinaris eximiæ, vt diximus, Vir doctrinæ, ac generis claritatis, Aruernensis Episcopus consecratur.

Sequenti autem anno Occidentalis Imperij rebus vehementius perturbatis, Latino Cos. Fasti caruere; Leone tantum Aug. Byzantij dicto quo tempore Olibrius, non dum impleto Principatus anno, occiditur, cui Glicerius Rauennæ à Gothis militibus subrogatur, annuus & Ipse Imperator. quo Principe Ostrogothi, Duce Vindemiro, Italiam inuadunt, dum alia interim ex parte Orientale Imperium prædæ subijcitur Theodomiri. Cæterum Vindemirus, sub ipsum in Italiam ingressum, moritur, Filio cognomine hærede relicto. Hunc Glicerius, muneribus deuinctum, Italia sponte cedere Galliam petere haud ægrè compulit.

Chri. Ann. 473. *Cass. chron.*

Olibrij obitus. *Glicerius succedit.* *Ostrogothi Theodomirus.* *Vindemiri Pater & fil.* *Iordã. de reb. Goth.*

S. Seuerinus. Hac tempestate S. Seuerinus, qui Noricorum Apostolus dictus est, eam Prouinciam exemplo, ac miraculis illustrabat. cuius res gestas Eugippius

Ab-

Abbas posteris tradidit; *ex quo multa hìc apud Authorem habes.*

Marcell. & Cass. chron. Hoc eodem anno ex Zenone Genero, atque Ariadna Filia eiusdem cum Auo nominis Nepos Augusto nascitur, atque Augustus appellatur. cæterum vix decimo exacto mense morte sublatus nec lætari adepto, nec dolere amisso Imperio potuit. ex quo Eorum sententia exploditur, qui Illum iam Adolescentem, & rationis compotem, in Principatus Societatem Patrem vocasse comminiscuntur. *Leo Iun. Imp.*

Chri. Ann. 474. *Marcell. Chr. Euagr l. 2. c. 16.* Nouo subeunte anno, Iunior Augustus Consulatum gerit, quo non Ipse tantum, sed cum Eo etiam Auus, vitæ exitum fortitus est, qui, cætera laudandus, ex eo haud leuiter peccasse visus est, quod nequissimis successoribus viam ad Imperiũ munierit. Sunt qui tradant Leonem Puerum ãi Zenone Patre occidi iussum, à Sicario (alio pro eo interfecto) seruatum occultèque educatum, ad Iustiniani vsque tempora peruenisse. Filio itaque, cum Socero, sublato, Zeno, qui nec animum Imperio dignum haberet, nec speciem, rerum potitur. Dum interim apud Occidentem Iulius Nepos Principatum inuadit, Glycerium deturbat, seruatumque priuatam agere deinceps vitam permit tit. Is posteà in Clericum attonsus, Salonitanus Episcopus consecratur. *Vtriusque Leonis Augg. obitus. Iulius Nepos Imp. Glycerium pellit. Glycerius Epus Salonitanus.*

No-

Nouus Princeps, è Republica id esse ratus, pacem illico per Legatos à Gothorum Rege Euarico petit, impetratque.

At dum sibi ab Hostibus cauet, suorum insidias vitare nequit, sequenti quippè anno Zenone Cos. absque Collega, Oreste, qui militiæ Magister erat, ad Momilium Filium, cognomento Augustum, quique Augustulus, contemptus gratia, dictus est, Imperium à Militibus deferri curat. ergò qui Nepotis partes sectabantur, quò se magis viribus destitutos sentiunt, eò sollicitè magis consilia secum voluere, artes omnes quibus de Proditore Oreste pœnas sumant meditari incipiunt. quamobrem nulla imminentis ex eo Italiæ cladis ratione ducta, Herulos, Germaniæ Populos, Duce Odoacre in eam immittunt. Chri. Ann. 475.

Oreſtes filio Auguſtulo Imperiũ parat.

Heruli in Italiã acciti.

Dum Herulorum arma comparantur, Euaricus, qui non Regnum modò, sed Arrianam quoque perfidiam propagare omni ope laborabat, Galliæ Vrbes, atque Ecclesias insigni clade affecit. Hoc tempore sacrarum Rogationum vsum (in vniuersum posteà Christianum Orbem inuectum) ex S. Mamerci Episcopi institutione, initium apud Galliam sumpsisse ferunt.

Euaricipersequutio.

Rogationũ vſus.

S. Mamercus.

Sidon. l. 3. ep. 1.

Thimoteus interim, quem Alexandrinæ Ecclesiæ inuasorem à Leone Aug. relegatum, Acacij opera restitutum

tum diximus; nefariè in Catholicos debacchatur, tum Byzantium delatus, Zenone conniuente, Eutychianos ibidem complures nactus, eam quoque Ecclesiam perturbare aggreditur; vt Byzantij Clericis, ac Monachis Zenonis, atque Acacii præsidio destitutis, ad Rom. Pontificis patrocinium confugere, Legatione ad Eum missa, opus fuerit.

Chri. Ann. 476. *Marcell. & Cass. chron.*

Occidentali Imperio ad interitum properante sequẽti anno, ambo Cos. apud Orientem creantur Basiliscus, atque Armatus. quo tempore Odoacer, Oreste acie victo, ac cum Paulo Fratre interfecto, Augustulum metu perculsum, Imperio exuit, atque in Campaniam relegauit. Rex ipse Barbarus, Italia potitus, à purpura, ac Imperii titulis abstinuit. Hoc demum pacto Romanum Imperium ab Augusto partum, cum Augustulo extinguitur, cum annos stetisset paulò amplius quingentos.

Oreſtes victus, ac cæſus.

Rom. Imperij caſus.

Hoc Romani imperii casu Italia in primis concussa est, quæ tamen, post partam à Barbaris victoriam tranquilliori deinceps rerum statu quieuisse visa est. quippe Rex victor, quantumuis Arrianus, annis fane pluribus nec rebus sacris negocium facessiuit, & politicum regimen modestè admodum vsurpauit.

Simpl. ep. 3. et seqq.

Simplicius interim Romanus Pont. quam

Simpl. zelus.

quam diximus, Legatione excepta, ad Zenonem atque Acacium, tum ad ipsos Byzantij Clericos, ac Monachos literas tanto Pastore dignas dedit, *quæ ab Authore hìc recitantur*. Verum enimuerò quid Pastorem ex occidente clamantem Zeno audiret qui præsentem Acacium tacere iusserat? quid porrò imbelles Clerici, Monachiuè, ad Tyrannum ab impietate reuocandum, moliri possent, nisi precibus apud Deum agentes, Illum demum, vt periclitanti Orientali Ecclesiæ opẽ ferret, exorassent? ergò Dei prouiuidentia factum est, vt Basiliscus arma in Zenonem caperet, ac Principatu Eum deturbatet, extorris itaquè factus Zeno, eam ob calamitatem, ac Danielis Stylitæ, quem ex fuga adiuerat, hortatu, haud ægrè resipuit, tum ex Eiusdem sancti Viri prædictione, vbi ad sexquiannum, rerum omnium egens, apud Isauriam latuisset, amissum recipit Principatum.

Basiliscus Zenonem pellit.

Marcell. Chr. Theod lect. l. 1

Cæterum Basiliscus Zenone haud dubiè deterior, rem interim Catholicam, nefaria aduersus Chalcedonense Concilium Sanctione edita, adhuc grauius afflixit: vtque Tyrannidem stabiliret, ipso statim exordio Principatus, Marcum Filium Augustum appellauit.

Evagr l. 3. c. 4

Marcũ fil. Aug. dicit.

Exindè Acacius, è somno veluti experrectus; Tyranno sus dequè res æquè

Evagr ibid. c. 7.

Theod lect l. 1 Nicephl. 16. c. 6

æquè sacras, ac profanas miscenti, vi maxima obsistere aggressus est. igitur Sanctissimis Anachoretis, alijsque laudatis Viris Constantinopolim euocatis, Danielem quoque Stylitam è Columna, quam insederat, ad Veritatis Columnam, & collabentem Ecclesiam fulciendam, conatu maximo adhibito, pertraxit. Horum authoritate, Danielis in primis, qui multa interim mira patrasse dicitur, maxima aduersus Tyrannum inuidia apud Populum conflata est. itaque Vrbs ipsa Regia iniecto, in Eius odium, igne, miserè est. deformata absumpta eo incendio Bibliotheca instructissima, Librorum millia vicena habens supra centena. in qua, præter alia mira, Principum studio, atque æmulatione illuc congesta, Draconis intestinum fuisse dicitur cētum, ac viginti pedum longitudine, in quo Homeri Ilias, atque Odissea, tum rerum ab Heroïbus gestarum Historia aureis literis legebantur. alia præterea illustrium Artificum egregia monumenta eodem incendio periere. His permotus Tyrannus, iratos Ciues hac ratione elude re se posse ratus, rerum impiè gestarum pœnitentiam simulat: Sanctionem, quam diximus, vt Simplicium, atque Acacium æquiores habeat, Decreto abrogat: Danielis pedibus aduoluitur. verum his adeò non profe-

Byzantij incendium.

Bibliotheca absumpta.

Quæ in ea mira.

Basilisci artes.

cit, vt, simulatione per Danielem detecta, grauiori in dies odio apud omnes laborauerit. itaque Senatus ipse, datis ad Zenonem literis, ad amissum Imperium resumendum illum hortatur. quod, ex omnium voto, sequenti demum anno perfectum est.

Dum his Orientale Imperium motibus agitaretur; præcipui Iudæorũ impostores Rabbi Asse, & Rabbi Hæmmai Babilonicum Talmud ineptijs æquè, ac blasphemijs refertum, consarcinarunt. tertia hæc fuit fabularum collectio: nam prima habita est anno CL. à postrema Hierosolymorum clade Iudæi Simeonis Opus secunda à Rabbi Ioannam persimili postmodum annorum interuallo; quæ à Sixto latius traduntur. *Sixt. l. 2.*

Iudæorũ Talmud.

Inter hæc Genserici Vandalorum apud Africam Rex, quadragesimo fere Principatus anno, moritur, Regum, ob Romam simul, ac Carthaginem expugnatas celeberrimus. Eo sublato Hunericus Maior natu Filius Regnum capessit. Is ipso Regni exordio in Catholicos æquior, Manichæos vndique conquisitos, aut incendit, aut, nauibus impositos, extra Africam ablegauit.

Genserici mors.

Hunericus fil. succedit.

Vtriusque Imperij statu ita, vt diximus, perturbato, sequens voluitur annus absque Consulibus; cum Zeno, exercitu haud segniter comparato, infesto

Chri. Ann. 477. *Proc. de bell.*

Zeno Imperiũ recuperat.

Vand. festo agmine Byzantium petit. at Ba-
Euagr silisçus siuè ob segnitiem, siuè vt By-
l.3 c.8 zantij Ciues in officio contineret, ob-
Suid. uiam Ipse procedere nequaquam au-
in Bas sus, Armatum Exconsulē Militiæ Ma-
lisco. gistrum cum copijs in Zenonem mit-
tit. Is, vt primum in Illius conspectum
venit ad Ipsum cum exercitu defecit.
proditionis accepto nūcio Basiliscus,
in Templum confugit, ex quo tamen,
vt impius Hæreticus, ipsarumque sa-
crarum Ædium expoliator, Acacij *Basili-*
iussu, extrahitur, ac Zenoni traditur, *scus ne*
à quo cum Vxore, ac liberis gladio, *cator.*
seu, quod alij tradunt, fame extingui-
tur. Zeno incruenta potitus victoria,
factusque à vexatione sapientior, &
Danielem. Columnæ redditum, sup-
Simpl. plex adit, & ad Simplicium cum Fidei
ep.7. professione scribit: tum verò Tem-
plum accepti à Deo beneficij monu-
mentum D. Teclæ Prothomartyri, re-
gio sumptu, extruit. insuper, Simpli-
cio suadente, Hæreticos Episcopos,
nisi si qui, veniam postulantes, ad ca-
tholicam communionem recepti fuis-
sent, exigit. hoc ipsum cum metue-
Liber. ret impius Timotheus, licet antea
c.16. apud Zenonem gratia plurimum va-
luisset, ex scelerum conscientia, mor-
tem sibi Ipse consciscit.

Gild. Sub idem tempus Ambrosius qui- *Ambr.*
de ex- dam Aurelianus Rom. Ciuis, purpu- *Aure-*
cid. ra assumpta, Ducem se Britannis præ- *lianus.*
Brit.

buit ad Angloſaſſonum iugum, quo iam diu premebantur, excutiendum; quod cum fœliciter præſtitiſſet ſpeciem quandam Occidentalis Imperij reſtituiſſe viſus eſt.

Qui ſequitur annus vno tantum Conſule inſcribitur Illo V. C. Byzantij renunciato. id eam ob cauſam factum videtur, quod de componenda inter Odoacrem, ac Zenonem pace eo tempore ageretur. itaque nec Zeno, nec Rex ipſe Barbarus, qui Auguſti nomen renuiſſet, Occidentalis Cæſaris munus, ac iura vſurpare hac ratione voluiſſe par eſt credere. Chri. Ann. 478.

Sub huius pariter anni initium redditæ ſunt Simplicio Acacij literæ, quibus certior de Alexandrinæ Eccleſiæ ſtatu ab eo redditur, ex quibus, quanta Illius, ac Zenonis, aliorumque tum fuerit aduerſus Simplicium obſeruantia, licet cognoſcere, qui mox quadam veluti mentis vertigine eidem Pontifici maximè aduerſati ſunt, quod poſtea dicturi ſumus. *Simpl. ep. 8. & 9.*

Zenone tertiùm Coſ. Orientalis Eccleſia, quæ ab Eius reditu quietem nacta videbatur, nouis iterum turbinibus agitatur: Antiochiæ in primis, qua in Vrbe Stephanus Epiſcopus, cum alijs miniſtris compluribus, dum ſacram Synaxim ſolemni ritu peragit, ſeditione ab Eutychianis excitata, conſoditur, inque Orontem Fluuium proijci- Chri. Ann. 479. *Euagr. l. 3. c. 10. Marty. rol. 25. April.*

ijcitur. Stephano eiusdem nominis Successor datur, &, ad vitandas turbas, præter antiquum morem Byzantii ab Acacio consecratur; quo Is veluti quæsito iure, Primatum in posterum ardentius expetiit, turbasque ea de causa longè maximas excitauit. *Acacij conatus.*

Hoc eodem anno moritur Magnus Ille Lupus Trecensis apud Galliam Episcopus, cum annos sedisset amplius quinquaginta. *S. Lupus Episc.*

Chri. Ann. 480. *Vict. l. 2.* Octuagesimo demum huius sæculi anno Cos. Basilio Iuniore, Carthaginiensis Ecclesia diuturnam post viduitatem, Zenone per Legatos apud Hunnericum id agente, nouum recipit Sponsum Eugenium Virum laudatissimum.

Greg. Tur. l. 2. c. 20 Inito inter Galliæ Vrbes, quæ iugum nondum subierant, atque Euaricum fœdere, inter Pacis conditiones ea fuit, vt Aruernum Tyranno dederetur, quam Vrbem diu frustra obsidebat. extat Sidonii eius Episcopi hac de re ad Massilienſem Antistitem querela, qui suorum conditionem Ciuium deplorat pace quam bello deteriorem, quorum seruitus precium fuisset securitatis alienæ. *ea sumpta occasione Author de Aruernensis Ecclesia laudibus nonnulla hìc recenset.* *Aruernum Galliæ Vrbs.*

l. 7. c. 7

Chri. Ann. 481. Placidio Consulatum gerente, Orientale Imperium in maximum discrimen adductum, inopinato casu,

periculo eximitur. irruperat in Thraciam Theodoricus, quem Triarij Filium memorant, Gothorum secum numerum penè innumerum ducens, iamque ad quartum Regia ab Vrbe lapidem constiterat extrema omnia Ciuibus æquè, ac ædificijs minitans, cum, suorum defectionem veritus, supplicium de noxijs sumpturus, recessit, haud multum progressus, equo, in quem insilierat, ferociente, hastæ cuspidi latus impegit, eoque ex vulnere extinctus est. Alium porrò Theodoricum eiusdem Gentis Regulum cognomento Amalum ad se vocatum Zeno Aug. ad summos dignitatum gradus euectum Filium quoque adoptauit. Hic est ille Theodoricus, qui Italiæ posteà Regnum adeptus, extra eam quoque imperitauit, rerum gestarum fama celeberrimus.

Euagr l. 3. c. 25.

Theodoricus Amalus.

Hoc anno qui excitatam iterum apud Africam in Catholicos persequutionem biennio præcessit, Hunnericus, quodam veluti præludio, sæuire in domesticos cœpit, eos in primis, quos Illi Genfericus Pater, sacramento etiam exacto, commendauerat. tum in suæ, hoc est Arrianæ Sectæ Antistites, ex quibus Iucundum, quem Patriarcham appellabant, igni damnauit.

Vict. l. 2.

Hunnerici sæuitia.

Nouo interim subeunte anno Seuerini Consulatu inscripto, Stephanus iunior

Chri. Ann. 482.

iunior Antiochiæ moritur Sedem omnium Prouincialium Epiſcoporum ſuffragijs implet Calendion, cuius electionem Simplicius Rom. Pont. ratam habuit, at non perindè Acacius, qui ſui, quem animo voluebat, Primatus rationem nequaquam habitam ægerrimè tulit. itaque Calcedioni infenſior redditus, denique Eius depoſitionis author fuit.

Calendion.

Simpl. ep. 14.

Acacij ambitio.

Euagr l. 3. c. 20.

Hoc tempore Marcianus Anthemio Aug. genitus, qui Leontiam Leonis Filiam natu minorē habebat Coniugem, ſeditione in Zenonem excitata, acrique intra Vrbem prælio inito, Aduerſarios in fugam vertit, Regiæ tamen occupatione in diem alterum dilata, fugam Ipſe arripere coactus eſt; tum, ſpe omni abiecta, Zenonis iuſſu, in Clericum tonderi. Leontius, ac alij nonnulli, tyrannidem occupare aggreſſi, inconſultæ pœnas temeritatis dedere.

Marcianus Anthemij fil.

Per idem tempus Timotheus Alexandrinus diem obit extremum: Ioannes eidem Eccleſiæ præficitur. Is, Legatione ad Simplicium miſſa, ex more ſuam electionem ab Eo ratam haberi optat, nulla interim Acacij ratione habita, quo factum, vt ab eo, qui Zenonem haberet obnoxium, pariter cum Calendione pateretur, ex quo multæ in Eccleſia turbæ excitatæ ſunt.

Ioānes Alexādrinus

Sub eodem Seuerini Conſulatu ha-

Synod. Turonensis. bita est Turoni Synodus, cui Perpetuus eius Ecclesiæ Episcopus, sextus à Martino præfuit, quique Eidem sanctissimo Decessori Templum extruxerat, de quo Sidonius meminit, Ipsiusque Perpetui hortatu carmen se elegiacum (quod adhuc extat) parieti inscribendum, ceciniſſe, ait. *Ep. 18. l. 4.*

S. Seuerini obitus. Hunc eundem in annum incidit Seuerini Noricorum Apostoli ex hac vita discessus.

Sequentis anni Consulatum inierat Anicius Faustus, cum Ioannes, Zenonis iussu Acacio adnitente, Sede pulsus Alexandrina, ad Simplicium Rom. Pont prouocauit, ea de causa Romam profectus Simplicium iam defunctum cum reperisset, apud Simplicii Successorem Fœlicem institutam Appellationis causam prosequitur, Petro interim Mogo Alexandrinam Ecclesiam, quam ante sexennium iam inuaserat, Acacii suffragio, permissu Augusti, administrante. Chri. Ann. 483. *Liber. c. 18.*

Simplicij PP. obitus. *Fœlix II.* *Petrus Mogus*

Cæterum Fœlix vbi primum Petri Cathedram ascendit, Zenonis legem haud ita pridem promulgatam, qua Chalcedonensi Concilio abrogato, nouum veluti Fidei Symbolum, proponebatur, vna cum his, qui Sanctioni huiusmodi subscripsissent Anathemate damnat: Synodum ex Italiæ Episcopis, ad Alexandrinæ Ecclesiæ causam disquirendam cogit. instituitur, à *Theod. lect. l. 2.*

Synod. Romæ.

Con-

Concilii partibus ad Zenonem Legatio, qua in Catholicæ Fidei desertores Acacium, ac Sectatores querelæ ingererentur, rogaretur que, vti Acacium Ipsum Romam proficisci, ac Iudicium subire, Ioanne accusatore, compelleret. *recitantur hìc ab Authore Fœlicis ad Zenonem, atque Acacium literæ omninò legendæ, neque hæ tantum, sed citationis itidem libellus; quo Acacius, qui Fœlicis per epistolam monita spreturus videbatur, pro Apostolicæ Sedis Imperio euocatur.* vt mirum videri possit Rom. Pontif. hoc tempore sub Rege Barbaro, Eoque Arriano pœnè captiuum, tanta cum authoritate vniuersali Ecclesiæ Iudicem præsidere. posthæc etenim & Petrum cognomento Fullonem, qui Antiochenam Ecclesiam, pulso, vt diximus Calendione inuaserat, & cognominem Alexandrinæ itidem inuasorem, & denique Acacium Ipsum, quod ad sequentem annum spectat, exauctorauit. Porrò quod ad Alexandrinum spectat, cum non Eutychianum modò, sed etiam Apollinaristam, ac Sabellianum se prodidisset, atque adeò Passionem, ac Crucem non Christo tantum, sed Ipsi Sacrosanctæ Trinitati tribueret, impia quoque Eius dogmata, ad quæ Orientis etiam Episcopi exhorruerant, eadem in Romana Synodo damnata sunt.

Rom. Sed. authoritas.

Hũnerici per sequutio. Per idem tempus ab Hunnerico Arriano Rege Catholici apud Africam dira passi, summa cum gloria triumpharunt. *rem fusius Author ex Victore tradit, quos require.* *Vict. l. 2.*

Theodoricus. Nouus annus vtroque Cos. inscribitur; Theodorico, quem à Zenone adoptatum diximus, ac Venantio. meruit Rex Barbarus, ob egregiè nauatam Zenoni operam, non adoptionem modo, ac Consulatum, sed ad spem quoque euehi Occidentalis Imperij. Chri. Ann. 484.

Zenonis Tyrãnis. at Zeno imbellis ipse Theodorici virtute audacior factus, in apertam demum tyrannidem erupit; eò quippè scelerum progressus est, vt, cum Religione, ius quoque Gentium violaret, Ipsis Apostolicæ Sedis Legatis in custodiam traditis, ac diro carceri mancipatis. vim posteà fraus sequuta est; quippè Acacius, blanditijs Eos aggressus, ac vinculis exutos, grauiori præuaricationis catena vinxit, adeòque dementauit, vt non secum modo communicare, sed Petrum quoque Alexandrinum multiplici scelere inquinatum, atque ob Hæresim damnatum, vt legitimum Antistitem agnoscere adegerit. *Liber. c. 16. Euagr l. 3. c. 20.*

Synod. Roma. Legatorum casu nequaquam consternatus Fœlix Pontifex, Italiæ iterum Episcopos Romam euocat, qui LXXV. fuisse dicuntur. ab His Legati, Byzantio iam reduces, Episcopatu moti,

moti, catholica insuper Communione excluſi sunt. tum Acacius Ipse, frustra haud semel monitus, eodem Anathemate, quod supra indicauimus, perculsus est. extat ipsius damnationis sententia cum alijs ad Clericos, ac Monachos literis Byzantium transmissa. cum verò Acacius sentẽtiæ exemplum ad se allatum, recipere abnuisset, inuentus est Monachus, qui, dum Ille, Sacris operaturus, Templũ iniret, illud ex Eius Pallio suspenderet. eo facinore acrius irritatus, & Monachum Ipsum, & ex Illius contubernio reliquos ad mortem vsque mulctauit; & Fœlicis nomen è sacris Tabulis erasit.

Fæl. ep. 4. Liber. c. 18. Niceph. l. 16. c. 17.

Monachi facinus.

Vict. l. 2.

Africana interim procella in dies magis sæuiente, indictæ superiori anno concertationis, inter Catholicos, atque Arrianos, die accedente conuenere ex Catholicis Episcopis complures. ergò vt quisque Illorum ingenio pollere, præstare authoritate Aduersarijs visus est, confictis in Eum criminibus, exilio, vinculis, atque adeo morte, dolo malo, disputationi subductus est. at dum reliqui differendi vtcumque copiam sibi fieri arbitrantur, edicto plusquam tyrannico, rebus omnibus, quas secum attulissent, spoliati, hospitijs pelluntur: recipi in posterum à quoquam vetantur: pecudum more, extra Vrbem vagi, pabulum quærere coguntur: tum cæden-

Africana persecutio.

dis ad naues lignis aliisue huiusmodi ministeriis addicuntur. nec, dum in sanctissimos Viros, qui Carthaginem Tyranni iussu conuenerant, quæ diximus sæuitiæ exempla eduntur, apud Africam reliquam à pari immanitate cessatum est. illud, ex multis, quæ à Victore, ac aliis recensentur, præterire nefas duximus, quod, cum omnem superet fidem, locupletissimos tamen testes habet. Tapienses apud Mauritaniam Ciues, quod, Arrianum Episcopum detestantes, Vrbe, ex condicto, recessissent; Tyranni iussu magno numero dextera, ac lingua mutilati, articulatè haud secius in posterum loquuti sunt, extraque Africam latè dispersi, rem tantam Orbi vniuerso testatam reliquere, de qua, vt alios oculatos testes omittamus, Iustinianus Imperator, qui non multos post annos rerum potitus est, in Constitutione à se edita hæc habet. *vidimus* inquit, *venerabiles Viros, qui abscissis radicitus linguis, pœnas suas miserabiliter loquebantur*. His permotus Fœlix Rom. Pont. Zenoni author fuit, vt legatione ad Regem Barbarum instituta, à tanta illum sæuiendi libidine deterreret. at Is, vt nihil se à Zenone formidare ostenderet, Vranio Ipso Legato inspectante, adduci vinctos, quæstionibus admoueri, supplicio affici frequentius curauit. Verum enimuerò

Martyres absque lingua loquuntur.

Hunnerici sæuitia.

Lib. 2. Marcell. Chr. Procop. l. 1. s. Greg. Dial. l. 2. c. 32. De off. Præf. Prat. Afr.

uerò dum se maximè Tyrannus extollit, Deum Vindicem experitur, vltricibus intus flammis, vermibusque, non secus, ac Antiochus, Herodes, ac Maximinus absumptus. *Dira eius mors.*

Hunnerici morte Regno potitur Gundabundus, quem alij Godagisum nominant, ex Fratre Nepos. *Gũdabũdus.*

Greg. Tur. l. 2. c. 25 Quo tempore Euaricus quoque Gothorum apud Galliam Rex, itidem Arrianus extinguitur, cui sublegitur Alaricus. Neque His superstes diu fuit Childericus Francus, qui Parisijs imperitabat; quo extincto, Regnum Clodoueus Filius capessit, quem & Ludouicum appellant. *Euaricus. Alaricus. Childericus. Clodoueus.*

Chri. Ann. 485. *Nicephl. l. 16 c. 37. Sur. 11. Iũ. Nipeph. l. 16. c. 27.* Symmacho Consulatum gerente absque Collega, ab Anthemio Salaminæ apud Cyprum Episcopo, Dei monitu, Barnabæ Apostoli sacræ Reliquiæ inuentæ, cumque his sacrum Euangelium, ab Eodem Apostolo, vt ex reuelatione est cognitum, Matthæo dictante, exceptum. *S. Barnabæ reliquiæ. Matthæi Euãg.*

Per idem tempus Xenaias quidam, quem alij Philoxenum vocant, seruilis conditionis homo genere Persa Iconoclastam primus se prodit. Hic, nec dum Christianus, Clericum mentitus, à Petro Fullone Antiochenæ Ecclesiæ, vt diximus, inuasore exceptus, atque ex morum similitudine veluti in sinu enutritus, ad Episcopatum vsque, ipsius expers Baptismi, *Xenaias. Iconoclastarũ Author.*

pro-

promotus fuerat. en qualem Sectæ Authorem impij Iconomachi coguntur agnoscere.

Longinus Zenonis frater.

Sequentem annum Longini Zenonis Fratris, Consulatus, Decio Collega, auspicatur; de cuius inexpleta rapacitate, impurisque moribus Suidas scribit. Chri. Ann. 486.

Moritur hoc eodem anno impius Fullo. nec propterea Antiochena Ecclesia legitimo frui sponso potuit, Palladio eiusdem farinæ homine, Hæreticorum factione subrogato.

Synod. Roma.

Post Longinum Boetius Consulatum init, sub cuius Magistratu Synodus Romæ cogitur hac præcipuè de causa, vt, lapsis ex Vandalica persequutione Episcopis, ac reliquis sacrorum Ministris, pro materna Romanæ Ecclesiæ pietate, consuleretur. medela porrò ea ratione attemperata est; vt simul clementia vulnus leniret, simul severitatis acrimonia putredinem abstergeret; quod ex Synodi Actis, ac Fœlicis ad Africanos Epistola licet cognoscere. Chri. Ann. 487. *Fæl. ep. 6.*

Theod à Zenone defectio

Eodem anno, Theodorici defectione, Zeno, qui Barbarum beneficijs cumulauerat in discrimen adductus est. *Marcell. & Cass. chron.*

Odoacer Rugorum Regem vincit.

Quo tempore Odoacer, qui Romam fermè, aut Rauennam post captam Italiam incolebat, copijs in Rugorum Regem missis, Illum vicit, atque

que in triumphum duxit; quæ homini calamitas, ante quinquennium prædicta à Seuerino fuerat.

Chri. Ann. 488. Qui sequitur annus vtroque Consule insignitur, Dinamio, atque Siphidio: quo viuendi finem feciſſe dicitur Acacius Orientalis Imperij fax, de cuius insana gloriæ cupiditate, præter ea, quæ indicata à nobis sunt, alia multa ab Authoribus traduntur. illud in primis, omnibus fere in Templis sui Ipsius Imagines consecrari ità permisisse, vt iussisse videri posset. *Acacij obitus, & ambitio.*

Niceph. l. 16. c. 18. Acacij Sedem mira arte occupat Flauita, quem & Flauianum appellant, Homo nefarius. dum etenim de eligendo Episcopo agitur, Zeno Aug pietatis instinctu, an leuitatis, paginam, in qua nihil esset descriptum, in sacro altari deponit addito supplici libello, quo Deum precabatur, vt Angeli manu futuri Episcopi nomen inscribi annueret, indicto interim XL. dierum ieiunio. hoc cognito Flauita, ingenti pecunia, quam ex Argentarijs etiam sub vsuris accepit, Eunuchum, quem ex cubicularijs fidissimum, vt putabat, Zeno obsignatæ paginæ, atque Altaris custodię prępositum, adegit, vt resignatæ eidem paginæ Flauitæ nomen inscriberet, eamque iterum obsignaret. igitur ieiunij tempore iam defluxo, rèsignataque, summa cum religione, pagina, Flauitæ nomen apparuit. *Flauita sufficit. Eius dolus. Zenonis leuitias.*

ruit. Is itaque perindè, ac à Deo designatus, Populi concursu raptus, summa cum gloria in Episcopali Throno collocatur. verum Homo callidus, qui sciret crimini Acacio datam exercitam cum Rom. Pont. simultatem, pro Episcopo gerere se anteà noluit, quam suam electionem, quamquam ficto miraculo speciosam, Romanus Ipse Pontifex ratam haberet, ad quem ea de causa Legationem instituit. cæterum latere diutius dolum haud quaquam passus est Deus. quippè intra quartum, ab electione, mensem repentina morte nefarius Impostor sublatus, tantum pecuniæ corradere vix potuit, qua dimidiam æris alieni partem dissolueret. Eius proindè hæredes vrgeri ab Argentarijs cepti, cum soluendo esse non possent, Augusto fraudem aperuere. Is rubore, vt par erat, suffusus, quod supererat, Eunuchum egregiè vltus est, morti Ipso addicto, Eius verò substantia Argentarijs tributa. palam insuper testatus est Flauitæ nomen paginæ non à Christo, vt putarat, sed à *chryso* hoc est *auro*, inditum.

Flauitæ dolus detegitur

Zenonis iocus.

Fridericus Rugorũ Rex

Hoc eodem anno, qui alter à Rugorum clade numeratur, captiui Regis Filius Fridericus, Theodorici, ad quem confugerat, ope, paternum recipit Regnum; eo tamen haud ita multo post ab Onoulfo Odoacris Fra-

Onulf. Odoa-

tre

tre iterum pellitur, ac Rugorum Gens, magna ex parte, in Italiam traducitur; quo tempore S. Seuerini quoque Reliquiæ Neapolim translatæ dicuntur. *crisfra ter.*

Marcell. & Cass. Chr. His permotus Theodoricus, qui apud Mœsiam cum exercitu erat, simul inuidia quadam æstuans, dum animo secum Ipse voluit, Erulos, vix antea cognitos Populos, Italiam Prouinciarum nobilissimam annos iam plurimos obtinere suorum maiorum virtute pridem superatam, Italici consilia belli agitare cœpit. Sequenti porrò anno Cos. Probino, atque Eusebio, viribus etiam à Zenone auctus, opere perfecit. *Theodorici cõsilia*

Chri. Ann. 489. *Euagr l. 3. c. 23. Nicephl. 16 c. 19.* Euphemius interim Presbiter, post Flauitam Byzantij Episcopus consecratur; expunctoque è sacris tabulis Petri Alexandrini nomine, Fœlicis autem Romani Pontificis reddito; simultates cum illo exercere ita cœpit, vt, coactis vterque Synodis, mutuò sese Anathemate percellerent. summam porrò laudem adeptus Euphemius fuisset, si Romanæ Sedis, quam Acacij memoriæ rationem habere maluisset, quod enim illius nomen expungere obstinatius renuerit, Catholicæ communione Ecclesiæ indignus est habitus. *Euphemius Byzãtij Episc.*

Sur. 11. Decemb. Sub ipsam Euphemij consecrationem Magnus Daniel Stilita octogenarius moritur. *Daniel Stilita moritur.*

Ita-

Theod Odoa cerē bis vincit

Italiam Theodoricus iam attigerat, cum factus Illi obuiam ad Isontium Odoacer, vincitur, ac in fugam vertitur. Initaurato mox ad Veronam prælio, ad internecionem cæditur. fuga nihilominus elaptus Ipse cum paucis, vires resumit, sequenti anno Fortunam non magis propitiam expertus. *Cos. chron.*

Clodonæus.

Quo tempore Clodouæus quoque Syagrium Romanum, qui Suessionensibus cum imperio præerat, vincit, partumquè à Patre Regnū maioribus in dies incrementis auget, ac firmat.

Persequutio Vãdelica.

Sub sequentis anni Cos. Longino secundùm, ac Fausto, Vandalica apud Africā persequutio recrudescit, *quam Author ex Fulgentij Actis, una cum ipsius rebus gestis fusè refert.* Chri. Ann. 490. *Sur. 1. Ian.*

Theodolus Antioth.

Moritur hoc eodem anno nobilis apud Cœlesyriam Scriptor Theodulus Presbyter Antiochenus: apud Galliam Cæsarius Arelatensis, cuius præ cæteris laudatur conscriptus *de Gratia* Commentarius; quo in argumento haudquaquam sincerè Faustus quoquè Regiensis apud eandem Galliam Episcopus versatus est. *quo de illius Opere, quod in disquisitionem tum vocatum fuerit, multa Author hìc habet. vbi & illud docet, consueuisse huius temporis Scriptores, non Occidentales modò, verum etiam Orientales à se conscriptos Commentarios ad Romanum* *Gënad c. 86.*

Cæsarius Arelatensis.

Libri subijciuntur cēsura

num Pontificem transmittere, Illiusque censura subijcere. Rom. Pont.

Per idem tempus Petrus Alexandrinus diem clausit extremum, occupatæ per vim Sedis anno XIII. Huic Athanasius Hæreticus pariter ab Hæreticis subrogatur.

Marcell. chron. Sub huius item anni Cos. Pelagius Patricius V. C. quod pro eximia virtute, ac singulari apud omnes gratia, dicendi sibi libertatem sumens, Zenonem subindè argueret, in Insulam primò deportatur, mox laqueo faucibus iniecto Tyranni iussu, extinguitur.

Interim Odoacer satis sibi virium comparasse ratus, tertiò iam belli aleã ad Duram fluuium experitur, tertiò vincitur, atque ex fuga Rauennam se recipit, ibidemque à Theodorico Victore obsidetur. *Odoacer tertiò victus.*

Chri. Ann. 491. *Euagr. l. 3. c. 29. Cedrẽ. & Zonar.* Exindè Olibrio tantum Cos. renunciato, Zeno Aug. memorandas irato Numini pœnas dedit. nimio quippè vino, seu, quod alij tradunt, comitiali morbo exanimatus, Ariadnæ Vxoris iussu sepulchro viuẽs illatus est, biduo lamentabilis Eius vox à satellitibus, qui sepulchri custodiæ præpositi fuerant, exaudita est. porrò cum hi roganti, vt aperirent, respondissent alium iam imperare, *nulla*, inquit, *cura Imperij: Monasterio claudi sat erit*. incassum itaque mortalibus, ac Superis imploratis, caligas, ac lacertorum car- *Zeno viuens sepelitur.*

nes

nes voraſſe dicitur. Moritur Zeno cum imperaſſet annos XVII. Eo ſublato, Ariadnæ aſtu, nequicquam Longino Zenonis Fratre obnitente, Imperium Anaſtaſius capeſſit, Homo apud Dyrrhachium natus, nec dum Senator, inter Silentiarios, hoc eſt Palatij ſilentio, aut quieti impoſitos milites adſcriptus, ex quo non leuis orta ſuſpicio eſt, inhoneſtam inter Ipſum, atque Ariadnam conſuetudinem præceſſiſſe. Ex Eo ſtatim, quod famæ eſſet ambiguæ, Catholicæ Fidei profeſſionem Euphemius expetijt, ſacerdotali libertate exautorationem, ſi renuat, comminatus. paruit Ille ſiuè ex animo, ſiuè ex arte. neque id tantum, ſed & conciliandos Ciuium animos, tributorum leuatione, duxit. venales antea Magiſtratus, gratis mandauit: denique optimos Principes ipſo Imperij exordio æquauit. firmato poſtmodum dominatu, pecuniæ cupiditas, veluti ex radice haudquaquam auulſa, in diriores exactiones, atque adeò publica latrocinia, repullulauit. hæreſis quoque haud diu tecta, ſcelera detexit reliqua, timore ſublato.

Anaſtaſius Imp.

Euphemij Epiſc. libertas.

Anaſtaſij ſimulatio.

Theod lect. l. 2 Cedrē. Suid.

Nondum annum exegerat Principatus, cum (qua cauſa non proditur) Populi ſeditione Byzantij excitata, iniecto per tumultum igni, publica priuataque ædificia permulta conflagrarunt.

Byzantij incendium.

Quo

Quo tempore Odoacer Rauennæ, vt diximus, obsessus, Vrbe egressus, nocturnoque prælio inito, iterum superatur, atque intra mœnia repellitur. *Odoacer quarto victus.*

Herulorum rebus ita collabentibus, dum Rauenna diuturniori obsidione premitur, Italia reliqua in Gothorum potestatem venit. *Italia Gothis cedit.*

Ad hunc ipsum annum referunt Patritij Hiberniæ Apostoli obitum ætatis trigesimo amplius atque centesimo. Insula ab Eo viuente doctrina, rebusque gestis illustrata, miraculis quoque post mortem editis illustrior deinceps est reddita. *S. Patritij obitus.*

Chri. Ann. 492. *Marty rol. 25. Febr.* Anastasio Aug. vna cum Ruffino Consulatum gerente, V. Kal. Martias Fœlix Rom. Pont. moritur, cum annos sedisset fere nouem. fuit Is Gregorij Magni Atauus, quod ex Ipso Gregorio edocemur. *Fœlicis PP. obitus.*

Dial. l. 4. c. 16 & Hom. 38. in Euãg. Fœlici Successor datur Gelasius, cuius complures extant hoc anno datæ Epistolæ. *Gelasius succedit.*

Mar cell. Chr. Cæptum hoc eodem anno est bellum Isauricum, quod quinquennio amplius gestum est. ipso belli exordio rebus prosperè cedentibus, Anastasius insolentior factus, Catholicæ, quam emiserat, Fidei professionem, ac Euphemio tradiderat, per vim recipit; ea præcipuè de causa, quod pertæsus sacrorum Antistitum de F de, ac de Chalcedonensi Concilio conten-

tentiones, eas, si fas, tollere percupiens, vt alterutri se parti nequaquam studere videri voluit, ita in Episcopos, cuiuscumque Hi essent dogmatis, qui se mutuo anathemate, aut contumelijs percellerent, grauiter animaduertit. Sic, dum pacem Reipub. quærere se posse putat, Catholicis æquè, ac Hæreticis, silentio indicto, à recta ipse Fide defciuit; *Acephalorum*, siue *Hæsitantium* sectæ haud secius adscriptus. *Leont. de sect. Act. 5.*

Sub Albini, qui subijt, Consulatu, Chri. &, vt quidam addunt Eusebii; obsessis Rauennæ æquè, ac obsidentibus, Ann. triennalis tædio obsidionis affectis, 493. res inter Odoacrem, ac Theodoricum, per Rauennatem Episcopum, ita transigitur, vt æquo vterque iure Rauennæ regnarent. cæterum cum Regni societas fida esse vix posfit, haud ita multo post Theodoricus Odoacrem, epulo exceptum, opprimit; causatus ab Eo se anteà insidijs petitum. Italia hoc pacto potitus Barbarus, diuturno fatigatus bello, tum ad nouum Regnum stabiliendum, Pacem, vt par erat, cupiens; eam in primis ab Anastasio per Legatos petit, nec ægrè ab Eo impetrat, qui alioquin ab hostibus redimere eam auro consueuerit: tum verò difficili cum Isauris bello implicitus, detrectare illam nulla ratione posset. *Marcell. & Cass. chron. Proc. de bell. Goth. l. 1.*

Odoacer opprimitur.

Pax inter Theodoricũ & Anastasium.

Cass. ep. 1.

Fausto

Fausto Legatorum alteri Gelasius quoque Pontifex Euphemij reconciliationem demandauerat, quo tamen in munere frustra Eum labores impendisse omnes ex Gelasij ad Illum, rursum que Illius ad Gelasium vltrò citròque datis literis satis liquet.

Pace cum Anastasio firmata, Theodoricus non pacem modo sed affinitatem quoque cum Francorum Rege Clodouæo expetijt, votique factus est compos, Filia Illius Audeflenda Vxore impetrata. ambas porrò Filias, quas ex Pellice antea sustulerat, Burgundionum, ac Visigothorum Regibus matrimonio iungit. *Theodoricus affinitatibus se munit.*

Iam verò quæ hoc ipso tempore à peruigili Pastore Gelasio aduersus Pelagianos, in Piceno, atque Dalmatia detectos, statuta fuerint, ex compluribus Eius Epistolis, *quæ ab Authore huc afferuntur*, licet cognoscere, *quibus immorandum haudquaquam duximus*. *Ep. 4. et seqq.*

Per idem tempus Michael Archangelus Templum in Gargani vertice, qui Apuliæ Mons est, illustri miraculo sibi adsciuit, pioque postmodum Fidelium cultu redìdit celeberrimum. *Sigeb. Chr.* *Michaelis Templum in Gargano.*

Sub anni exitum Legati Byzantio cum reuertissent, certioremque Gelasium de his, quæ ab Anastasio acceperant, reddidissent, Consulibus iam Asterio atque Præsidio, Apolegeticam

San-

Sanctus Pontifex Epistolam ad Eundem Augustum dedit, *quam integrè hìc relatam habes ob rerum gestarum cognitionem, atque argumenti dignitatem omnino legendam.* Chri. Ann. 494. Ep. 10.

Synod. Romæ. Placuit insuper Gelasio indicta Synodo LXX. ad Vrbem Episcopos euocare, in qua delectus in primis habitus est Ecclesiasticorum librorum, tum Patriarchales Sedes ordine recensitæ, ad hæc Oecumenica Concilia adnumerata sunt.

Porrò eadem, qua Orientali Ecclesiæ prospexit vigilantia, Occidentali quoque adiumento fuit, datis ad complures Italiæ Episcopos literis, quibus Ecclesiasticam disciplinam egregiè sanxit.

Crotildes Clodouei Vxor. Clodoueus interim Crotildem Gundebaldi Burgundiorum Regis ex Fratre Neptem Christianam Fœminam Vxorem duxit, ex qua cum recta Fide bona Illi cuncta fluxerunt.

S. Benedicti primordia. Sub idem tempus magnus Monachorum Parens Benedictus Romæ literis operam cum nauaret, Eremum petens, sanctioris vitæ fundamenta fœliciter iecit. ex quo erroris Eos redargues, qui, propensiori quodam in suum Ordinem studio, multos qui hæc tempora præcesserunt, inter Benedicti Alumnos recensent. Sterilibus sanè aliena supponi soboles consueuit. ea semper fuit Benedicti, sa- *S. Gre. Dial. l. 2.*

cri-

crique Ipsius Instituti fœcunditas, vt ex alienis Filijs gloriam Illi quærere superuacaneum omninò fuerit.

Chri. Ann. 495. Qui sequitur annus Consulatu Fl. Viatoris inscribitur, cui Collegam nonnulli addunt Æmilianum.

Marcell. & Cass. Chr. Thood lect. l. 2 His Consulibus, quod Euphemius non solum Gelasij monitis non acquiesceret, sed ab Illius communione Orientis Episcopos arcere omni ope enitteretur, diuino factum consilio videtur, vt Sede Ipse ab Anastasio impio Principe iurè, an iniuria, pellere tur; cui, Eiusdem Anastasij iussu, Macedonius, ex Gennadij disciplina eiusdem Ecclesiæ Presbyter Successor datur. Romæ interim a Gelasio Concilium cogitur Episcoporum LV. *Euphemius sede pulsus. Concilium Romæ.*

Proc. de bell. Vand. l. 1. Greg. Tur. l. 2. c. 3 Moritur hoc eodem anno Gundabundus Vandalorum apud Africam Rex, commodùm Dei prouidentia sublatus, dum Eugenio Carthaginiensi Episcopo in Gallias relegato, bellum in Catholicos redintegraret. qui post Eum Regnum est adeptus Trasamundus germanus Frater, insignis tum Princeps clementiæ, bene de Catholicis mereri diutius laborauit, in Tyrannum & Ipse postmodum erupturus. *Infra ad an. 504 et 522.* Huic Theodoricus Italiæ Rex Amalafridam Sororem despondit. *Gũdabundi obitus. Trasamũdus succedit.*

Chri. Ann. 496. Ad proximè subeuntem annum altero tantum Cõsule Paulo inscriptum spectat Gelasij obitus Pontificatus an- *Gelasij obitus.*

no V. *de cuius scriptis multa hìc Author disserit, quo nostrates Sectarios refellat, ex his sua Ipsorum dogmata malè fulcientes.*

Anastasius II.

Octauo à Gelasij obitu, non amplius, die, Successor Ei datur Anastasius hoc nomine II.

Chri. Ann. 497.

Anastasio Aug. iterum Cos. Legati ad Illum ab Anastasio Rom Pont mittuntur Germanus Episcopus Capuanus, Cresconius Tudertinus. His Byzantium delatis, ac diutius inibi ab Augusto moram trahere coactis, accesserе ad Eos Alexandrinæ Ecclesiæ Apocrisarij pacis leges recepturi: horum sanè libellus extat *ab Authore hìc relatus.*

Chri. Ann. 498. *Theod lect l. 2 Nicephl. 16 c. 36.*

Anastasij Papæ obitus. Symmach. succedit.

Antequam Legatione functi Episcopi Romam redirent; nouus voluitur annus Cos. Paulino, ac Ioanne Scytha; quo biennio nondum exacto, Rom. Pontifex Anastasius moritur. dirum indè schisma in Ecclesia conflatur, Laurentio aduersus Symmachum suffragiorum partem referente. res non sine cruenta Romæ cæde transacta est. cum autem eò res deduceretur, vt Ciuile Bellum spectare videretur, non Clero tantum, ac Populo, diuersa sentientibus, sed Senatu ipso pertinacius diffidente, vterque Pontifex Rauennam ad Theodoricum, pergere compellitur. Is suffragiorum ratione habita, Pontificatum Symmacho

cho adiudicat, qui Episcoporum Conuentu indicto, ab His suam Ipsius electionem ratam haberi curat. Sed hæc non vno gesta sunt anno.

Marcell. Chr. Apud Orientē porrò Zenonis Frater Longinus, qui maximum, ac diuturnum Anastasio negocium exhibuerat, à Prisco demum Comite victus, captusque, Byzātium perducitur: mox Nicæam supplicio inibi, ad Populi tumultus vitandos, afficiendus, Homo, vt diximus, probrosus abducitur.

Quo tempore Ioannes egregiæ Vir sanctimoniæ, qui, Episcopatu abdicato, clam aufugerat, sequè in S. Sabæ disciplinam tradiderat, dum ab eo ad Presbyteratum suscipiendum compellitur, Episcopum se esse fateri cogitur, ex quo Silentiarij nomen adeptus est; Episcopalia exindè munia, ex nouo tyrocinio iam instructior, obiturus. *Ioannes Silentiarium.*

Chri. Ann. 499. Altero tantum Cos Ioanne Gibbo nouus annus inchoatur, quo indictum à Symmacho Romæ Concilium celebratur, *acta apud Authorem, si libet, hic require.* *Synod. Roma.*

Marcell. & Cass. Chr. Greg. Tur. l. 2. c. 30. Per idem tempus Bulgari, & Ipsi, ad Boream Populi magno impetu Thraciam inuadunt: Anastasij copias obsistere conatas, cædunt, nec nisi auro, ex more, victi, recedunt. *Bulgari.*

Clodouæus interim Francorum Rex diuinam aduersus Alemannos expertus opem, Christiana suscipit Sacra *Auro pellun-tur.*

Clodoueus Christianus fit.

Remigio Rhemensi Antistite administrante, lustralique Eum aqua abluente exin Francorum Gens Religiosum Principem sequuta, eandem certatim Fidem amplectitur. *Sur. 13 Ian.*

Theodoricus Romam.

Quingentesimo Christi Redemptoris anno Patritio, atque Hippatio Cos. Theodoricus Romam venit. Symmachus Aduersariorum odio, atque inuidia, multorum criminum insimulatus. Episcopis amplius centum Romæ ea de causa coactis, apud Hos, atque vniuersum Rom. Clerum, obiecta ita diluit crimina, vt longè gloriosius de inuidia triumphauerit. *Chri. Ann. 500. Cas. Chron. Anast. & Sym.*

Synod. Roma.

Anastasij sæuitia

Quinto iam sæculo reuoluto, sextum redordimur. quo ineunte, depositos ab Decessoribus fasces, Auienus, ac Pompeius susceperè. His itaque Cos. Anastasius Aug Byzantij Populum, qui Illum vti Hæreticum auersabatur, eamque ob causam non dicterijs modo, sed apertis etiam conuicijs lacessere ausus fuerat, sæuitia plus quam tyrannica vltus est. immisso etenim in confertos milite, dum Circenses spectarent ludos, tria amplius Ciuium millia trucidauit. *Chri. Ann. 501. Marcell. & Cas. Chron.*

Synod. Roma.

Altero huius sæculi anno Cos. Anieno Iuniore, ac Probo; quarta à Symmacho Romæ Synodus celebratur, non sinè Schismaticorum seditione, à quibus & lapidibus appetitus est. *Chri. Ann. 502.*

Per idem tempus Bulgari Thraciam

ke-

Marcell. Chr. Proc. debell. Pers. l. 1.

iterum populantes, auro iterum auertuntur.

Bulgari in Thraciam.

Persæ quoque Amidam Oppidum, validum Romanorum apud Mesopotamiam Propugnaculum, post sex mensium obsidionem capiunt.

Chri. Ann. 503.

Nouo appetente anno Dexecrati, ac Volusiani Cõsulatu inscripto; quod schismatici aduersus superioris anni Synodum oblatrarent, Episcopos iterum conuenire oportuit, ac Symmachum, Ipsiusque Concilij acta à calumnijs vindicare.

Synod. Roma.

Bibl. Sanct. to. 1.

Anastasius porrò Aug. Anathemate à Symmacho perculsus, cum per literas grauiter expostulasset, apologeticum ex Eo libellũ retulit, *cuius exemplum hìc habes.* cæterum qui perenne Ecclesiæ bellum indixerat, pace ipse haudquaquam fruebatur. eam sanè hõc ipso tempore vix dum à Persis redemerat, cum precio item Barrhi, qui, ex condicto, Pontum inuaserant, ex vetere instituto propulsandi fuere.

Imp. excommunicatur.

Barbarorum incursus.

Chri. Ann. 504.

At Bulgari, quos Thracia cessisse, diximus, Illyricum peruaserant Italiæ excidium minitantes, cum à Theodorici Ducibus insigni prælio victi, ferociam posuere. incidit ea Theodorici Victoria in Cathei Consulatum, sub quo Symmachus Pont. cum iam nullum Ei negocium schismatici facesserent, sextam, quæ extat, Synodum celebrasse putatur; in qua de Ecclesiæ

Bulgari à Theodorico victi. Synod. Roma.

bonis restituendis actum est, quæ multi, ex Regia quamuis munificentia, possidebant, & Synodi sententiam, quod mirum videri potest, ita Rex Barbarus non ægrè tulit, vt suis quoque ea de re literis ratam habuerit, qui & sub idem tempus in Magos inquiri iussit, cuius tum criminis comperti dicuntur Senatorij quoque in Vrbe Viri.

Theodorici laus.

Cass. l. 4. ep. 17.

Eodem ferè tempore noua à Rege Vandalo Trasamundo apud Africam persecutio excitata, est, qua ducenti amplius Episcopi in Sardiniam relegati sunt: ex eo factum memorant, vt D. Augustini Corpus clam, vt licuit, exhumatum, eam in Insulam deferretur. porrò inter exilio mulctatos Episcopos, sanctimonia, ac doctrina clarior Fulgentius est habitus: *de quo hic Author præ cæteris, cum virtutis commendatione, meminit.*

Trasamundi persequutio S. August. reliquiæ translatæ.

Paul. Diac. l. 15. Sigeb. Chr.

Quintus sæculi annus Manlij Theodori, ac Sabiniani Consulatum præfert. Horum prior depositio Magistratu clarior quam gesto, vna cum Coniuge æquè pia, ac religiosa Fœmina, sanctioris vitæ studio, nuncium sæculo cum remisisset, admirationi, atque exemplo Orbi fuit, ad quem Fulgentij extat Epistola, *quam apud Authorem hic habes.*

Chri. Ann. 505.

Ep. 6.

At verò Anastasius, cum tutandæ hæresi, ac propagandæ, Catholicos Byzantij Ciues, Ipsumque adeò Regiæ

Theod lect. l. 2

giæ Vrbis Antistitem Macedonium insectandi finem nullum faceret, nouis subindè cladibus afficitur. itaque hoc anno Gothos Mundone Duce Rom. Imperij Ditiones populantes, propulsare armis, præter morem, adortus, Sabinianum Consulem in Eos immittit. Is belli aleam subire haud veritus, internecione à Barbaris cæditur.

Chri. Ann. 506. Consulibus Messala apud Occidentem, Areobinda apud Orientem renunciatis, Concilium Agatæ Galliæ Narbonensis Vrbe celebratur, Alarico Visigothorum Rege permittente. qui hoc ipso tempore Theodosianum Codicem visum antea ab Episcopis probatumque, per Auianum edendum curauit. *Synod. Agatensis.* *Theodosij Codex*

Cedrē. Porrò Anastasius Ciuium odio, ob hæresim, laborans, non alia de causa eorum hoc tempore seditionem expertus est; quam quod Regijs in ædibus quædam monstra ab ecclesiasticis Imaginibus aliena, pingi curauerit; ex quo religiosi Populi zelum admireris.

Chri. Ann. 507. Qui sequitur annus Anastasium Augustum, tertium Cos. habet, cum Venantio Decio Collega. quibus Cos. Alaricus qui XXIII. iam annum à Rodano ad Ligerim, ac Pyreneos regnabat, à Clodoueo Francorum Rege vincitur, ac cæditur, cum antea incassum conciliare inter eos pacem Theodoricus studuisset. qui idcirco Franci *Alaricus à Clodoueo vincitur.*

Regis affinitatem Gentis suæ gloriæ posthabendam ratus, suppetias, licet seras, Alarico tulit.

Geselicus. Eo interfecto non tam Regnum, quam Regis nomen Geselicus, ex Pellice Ipsius Filius, adeptus est; quem post quadriennium prælio à Theodorici Duce victum, *Amalaricus* Amalaricus sequitur Alarici, ex Filia Nepos collabenti Regno sustinendo, & Ipse, impar. *Procop l. 1.*

Byzantij exindè rursum tumultuatum à Populo est; tum Circus, ruina, atque incendio, deformatus.

Nouo autem appetente anno, cum oblatum ab Anastasio Consulatum Clodouæus respuisset, Consules Celer, ac Venantius Iunior dicuntur. Chri. Ann. 508.

Theodorici interea copias, quæ subsidio, vt diximus, Alarico venerant, ancipiti cum Francis prælio pugnasse constat. *hic quod eodem Bello obsidio contigerit Arelatensis, multa de Cæsario eius Vrbis Episcopo Author recenset.* *Procop l. 1.*

Romæ quoque sequenti anno, quo Consulatum Importunus gessit sine Collega, tumultus maximus ludis Circensibus excitatus est. quo tempore *Alamundarus Sarracenorũ Rex.* Alamundarus Sarracenorum Rex Arabiam, ac Palestinam incursans, mortales innumeros captiuos abduxit, qui tamen posteà omnium cum admiratione Christiana suscepit Sacra. Chri. Ann. 509. *Theod lect. l. 2 Cass. ep. 27. & 31. l. 1.*

Occidentalis quoque Ecclesia per idem

Greg. Tur. l. 3. c. 5 Sigeb. chron.

idem tempus Catholico Principe aucta eſt Burgundionum Rege Sigiſmundo, qui Alcimo Auito Viennenſe Antiſtite ſuadente, perfidiam abiecit Arrianam, vtque Ditionem ſuam eadem purgaret peſte, author Prouinciæ Epiſcopis fuit, vt Epaunenſem cogerent Synodum, in qua multa ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſanciendam decreta ſunt.

Sigiſ. Burgund. Rex.

Synod. Epaunenſis.

Chri. Ann. 510.

Sequentis anni Conſulatum, cum Eutharico, gerit Seuerinus Boetius Vir ſplendore generis, atque eruditione clarus, cui bonarum artium ſtudioſi bene precentur, Ariſtotelis in primis Sectatores; conſtat enim Eum annis ipſis duodeuiginti Athenis moratum, Philoſophi huius opera, quæcumque nanciſci potuit, latinis, quibus hactenus incõperta erant tranſtuliſſe: multa inſuper ſuoptè ingenio elucubraſſe. porrò ne Conſularibus quidem curis à philoſophicis illum ſtudijs fuiſſe abſtractum, idem Ipſe in primis teſtatur.

Boetius.

Boet. de diſcipl. ſchol. c. 4.

In Ariſt prædic.

Euagr l. 3. c. 32. Nicephl. 18 c. 25.

Hoc eodem anno Macedonij Byzantij Antiſtitis cum Auguſto contentiones mirum in modum auctæ, exilium Illi peperere. addita pœnæ calumnia, idcirco etenim damnatum vulgari iuſſit, quaſi ad Neſtorianam hæreſim adſtruendam, ſacri contextum Eloquij immutaſſet. cæterum depoſitio ipſa, ac relegatio ſub Secundini, ac Fœlicis Conſulatu peraguntur tan-

Macedonius relegatur.

Chri. Ann. 511.

Populi inde seditio

ta cum populi seditione, ac tumultu, vt fœminæ quoque, ac Pueri probra in Augustum liberrimè iactarent, quò factum, vt metu Ipse perculsus nauigiâ ad fugam comparauerit. porrò ad Populi gratiam, qua Episcopo studebat, minuendam, nouæ adhuc in Eum calumniæ concinnantur. prodiere Adolescentes quidã suam ipsorum turpitudinem, quo Episcopi famam læderent, profitentes; Hos ita Macedonius redarguit, vt genitalibus carere membris se palam ostenderet; ex quo Populi in eum studia, odium in Anastasium mirum in modum augeri est cœptum. Pulso Macedonio, Sedem Timotheus occupat, homo inconstans, Principis gratiæ nihil non tribuens.

Insignisca lũnia.

Theodosius Cœnobiarcha.

hoc loco, vt de Seueri pseudomonachi perfidia, ita vicissim de Theodosij Cœnobiarchæ laudibus multa apud Authorem habes.

Paulo, ac Mutiano Cos. excitata Chri. Byzantij, Fidei causa, seditione Ana- Ann. stasio Principi metuenda, Conciliabu- 512. lum Eiusdem iussu apud Sidonem co- *Marg.* gitur, à quo præter Macedonium Fla- *cell.* uianus quoque Antiochenus, alijque *Chr.* catholici, magno numero, Antistites *Cedr.* exauctorantur. hac sanè Tyrannus ratione & rei inuidiam declinare se posse existimauit, & aduersantes sibi Episcopos veluti excutere, Eorum porrò Sedes hæreticis hominibus insidendas

tra-

Chri. Ann. 513. tradere? quod sequenti demum anno Probo, ac Clemētino Cos. peractum est, maximo cum catholicæ rei detrimento. Antiochiæ in primis Seueri eius Ecclesiæ inuasoris impietas debacchata est. *de quo, deque Elia sanctissimo Hierosolymorum Antistite, ac de Saba Cœnobiarcha celeberrimo multa Author huc congerit, vbi & miracula, ad catholicam veritatem aduersus Seuerianos stabiliendam edita, ex Sophronio, refert.*

Chri. Ann. 524. *In Præf. et ep. 4 l. 1.* Nouus annus M. Aur. Cassiodorum Consulem habuit absque Collega, per quos autem Is gradus ad hunc supremum ascenderit Ipsemet tradit. rursum quo pacto his omnibus abdicatis, illustrior euaserit, suo loco dicturi sumus. *Cassiodorus Cōsul.*

Moritur hoc anno Symmachus, Pontificatus anno XVI. cui, ex omnium suffragijs, Successor datur Hormisda Rom. tum Ecclesiæ Diaconus, ad quem Francorū Rex inclytus Clodouæus literas statim dedit, aureamque, ac gemmis conspicuam Pontificiam, quam Regnum vocant, Coronam misit. Suas & Ipse Francorum Apostolus Remigius addidit, ad quas Hormisdæ extat responsum, quo Illi vices suas apud Franciam delegat. *Symmachi Papæ obitus. Hormisda succedit.*

Apud Sur. 13. Ianuar.

Huiusmodi munitus potestate Remigius frequentissimam indicit Synodum Rhemis celebrandam. *Synod. Rhemēsis.*

Clodouæi obitus.

At non diu superstes Clodouæus hoc ipso anno Regnum Filijs quadripartito administrandum reliquit. Hi fuere Childebertus; Clotharius, Theodoricus, & Clodomerus, quorum res gestas non est huius loci recensere.

Greg. Tur. l. 2. c. 1 Agat. l. 1. Marcell. Chr.

Vitalianus

Hæc inter Vitalianus Dux, siue is Scytha, siue Thrax genere, Hunnos, ac Bulgaros magno numero adducens; insuper Romano Equitatu sibi conciliato, atque adiuncto, Misiam, ac Thraciam occupauit, susceptoque Fidei Catholicæ, atque extorrium Episcoporum patrocinio Byzantium, infesto agmine, accessit, obseditque.

Euagr l. 3. c. 43.

Byzantiū obsidet.

Anastasius astu agere dudum assuetus, Episcopos se reuocaturum, Concilium Heracleæ Ipso quoque Romano Pontifice euocato indicturum, sacramento interposito, pollicetur. hac arte Populi in Vitalianum studia consopiuit, tum Vitalianum Ipsum summouit. Sed hæc in sequentem annum producta sunt, Anthemio, ac Florentio Cos. quo tempore Anastasius, vt fidem suam exoluere videretur, Patricium V. C. ad Rom. Pont. Hormisdam legauit, literis ad Eum datis, quibus pacis Illum sequestrem sese optare profiteretur. ad Senatum quoque Rom alias addidit; hortatusque eum est, vt conciliandæ Ecclesiæ pacis Hormisdæ author esset. Ad hæc Pontifex Legatos se missurum respondit, quod

Chri. Ann. 515.

Anast. & Hormisda legationes.

to. 1. ep. Rō. Pont.

quod & præstitit. His tamen illud in mandatis datum, vt explorarent, an res seriò ageretur, paratusque Anastasius esset Catholicam in primis Fidem profiteri, Chalcedonésis Concilij decreta recipere, aliaqua præstare, quæ præscriptis Capitulis continerentur. *ea verò cum extent, ab Authore hìc, vna cum Legatorum Commonitorio, seu, quam vocant, Institutione, recitantur omnino legenda.*

Profecti itaque Legati ab Vrbe, Byzantium cum peruenissent, honorificè ab Anastasio excipiuntur, à quo & Rom Pont. postulata recepta sunt; quod hac ratione infensum sibi Populum, ac Milites, qui ad Vitalianum defecerant, placare se haud dubiè posse existimaret. illud tamen integra Illorum, quam captabat, gratia, abnuere satius duxit, vt Acacij memoria aboleretur. imò hac ratione vti Legatos, ac Populum inter se cómitteret enixè operâ Veterator dedit. insuper, quod moram rebus suis conducere animaduerteret, Legatos ad sequentem vsque ætatem, spe bona interim lactatos, Byzantij detinuit. *Anastasij artes.*

Marcell. Chr. Paul. Diac. Nycephl. l. 16 c. 34.

Per idem tempus Ariadna Aug. effœta iam ætate moritur. nec diù superstes Macedonius, qui apud Armeniam, exul, Hunnis eam Prouinciam, & Cappadociam populantibus, eorum sæuitiam effugerat. *Ariadna obitus.*

Hoc

Himeranni. Hoc eodem anno Himeranni Australes sub Persis Populi Fidem Christianam amplectuntur.

Sequentis anni Consulatum Petro administrante absque Collega, Apostolici ab Augusto Legati Romam remittuntur. tum Seuerianus, ac Theopompus Viri Clariss. ad Hormisdam legantur. verum Is, qui veteratorias Augusti artes exploratas iam haberet, nec nisi ad Vitalianum interim exarmandum, cunctatione Illum vti animaduerteret, Eius statim Legatos Byzantium remittit, testatus *opera se optare, non verba*. vanum autem coniectorem non fuisse Hormisdam, quæ hoc eodem anno sequuta sunt satis superque docuerunt. Populo quippè, ac Militibus in dies segniùs agentibus, Anastasius Vitalianum haud ægrè exauctorauit: Ruffino obnoxio sibi homini militiæ Præfecturam contulit. tum verò liberas Imperij habenas nactus, iam non dolo, ac simulatione vti, sed pro libidine miscere cuncta instituit. Chri. Ann. 516. *Marcell. Chr. Niceph. l. 16. c. 38.*

Vitalianus reauctoratur.

Parta igitur arte, qua diximus, de Vitaliano, ac cæteris Victoria, Anastasius nouo subeunte anno quartum init Consulatū Collega Agapito apud Occidentem renunciato. At non despondit animum Hormisda. noua itaque Legatione instituta, Augusti iterum consilia exploranda sibi duxit, additis Chri. Ann. 517.

ditis ad Timotheum quoque Byzantij Antistitem, eiusdemque Vrbis Clerum, ac Orientales catholicæ communionis Episcopos literis, *quarum omnium exempla hic habes*. cæterum Anastasius, metu, vt diximus, iam solutus, Legatos Byzantium delatos, in conspectum suum venire haudquaquam est passus: excedere quin Vrbe iussos, labefactæ impositos naui, Græciæ Vrbes adire vetuit. Tyrāni exemplum, data veluti tessera, Eidei hostes reliqui, haud cunctati, sequuntur. Orthodoxos, Eremi in primis cultores, infandis vbique modis infectantur. ex His, qui Syriæ solitudines incolebant, à Seuero Antiochenæ Sedis Inuasore acerbiùs vexati, legatos ad Augustum mittunt, hominis sæuitiam deprecaturi, obtestaturique, vt, quod hactenus licuisset, latere deinceps tutò liceret. cæterum Hi quoque inauditi dimissi, conuicijs insuper affecti sunt. vt iam omnibus constaret diuinam vltionem propiùs instare, tot Tyranni sceleribus accersitam. porrò sic despecti ab Augusto Monachi, quod reliquum videbatur, communem omnium Parentem Romanum Pontificem, literis ad Eum datis, interpellant. at, licet non tam opem, quam solatium sperare ex Eo posse viderentur, mirum tamen est quantam in suprema potestate fiduciam collocauerint. Hos

Anastasij Tyranni.

tamen

tamen solatus est Pontifex literis, quæ sub sequẽtis anni Coss. datæ legũtur.

Hormisdæ zelus.

Interim Hormisda, quamquam de Orientali Ecclesia ea, qua ostendimus, ratione sollicitus, Occidentalis curam haud quaquam abiecit. ergò qui paulo ante Alcimum Auitũ Viennensem Episcopũ suum apud Galliam Vicarium, Remigium apud Franciam constituerat; hoc ipsum obire munus Ioannem Tarraconensem in citeriori Hispania, Salluſtiũ Hispalensem in vlteriori iussit.

S. Sabæ miraculũ.

Per idem tempus Hierosolymitanus ager, atque adeò Palestina vniuersa, quæ ab exturbato Sanctissimo Episcopo Elia quinquennio ferè aquarum indigentia incredibili laborauerat, Sabæ demum Abbatis precibus optatam recepit pluuiam, cumque ea pristinam agrorum fœcunditatem. *Cyrill. in vit.*

Duodeuigesimus huius sæculi annus, qui Anastasij postremus fuit Magni, ac Florentij Consulatu inscriptus, ob reducem veluti postliminio Pacem optatissimus accedit. Populi apud Byzantium seditiones eò processerant, vt Anastasius simulandi, vt qui maximè, peritus in Circum delatus absque Diademate paratum se ad Imperium deponendum Præconis voce edixerit, dum idoneus Successor prestò esset. hoc veluti aucupio, Populi gratiam ex commiseratione rerum nactus, insigniorem quemque ex Ca-

Chri. Ann. 518. *Euagr l. 3. c. vlt. Zon. p. 3.*

Anastasij astus.

holi-

tholicis, quasi Authores seditionum, supplicio affecit. comprehensi Eius iussu cum alijs dicuntur Iustinus, ac Iustinianus, qui post eum imperarunt. cæterum, gladio Eorum ceruicibus imminente, præter spem omnem, Tyranno, vt ferunt inter quietem, ostento quodam perterrefacto, exempti sunt. alio insuper insomnio territum sub vitæ exitum memorant. horribilis enim Viri species Ei oblata est librum manu tenentis, simulque increpantis; *en ob tuam improbitatem, quatuordecim tibi vitæ annos deleo*. his alijsque domesticis æquè, externisque terroribus exagitatus (nam per idem tempus terræmotus maximi extitere) conjectorem, præter cæteros, adhibuit Proclum, qui Tyranni haud dubiè exitum instare pronunciauit. Hic est Ille Proclus insignis ea tempestate Mathematicus, qui, Archimedis æmulator inclytus, æreis speculis Vitaliani classem Byzantium obsidentis incendisse fertur. Eiusdem porrò inuentum fuisse tradunt insanum illud opus, quod sibi ad mortem euitandam Anastasium extruxisse Zonaras scribit. Cedrenus autem addit cum Is oraculo fuisset edoctus igne sibi pereundum fore, cisternam Regijs in ædibus, quæ frigida est dicta, multis meatibus aperuit, quorum cuique cadus esset appositus. sed hæc illi omnia frustra cessere; fulmine quip-

Iustini, ac Iustiniani periculum.

Ostentum.

Zonar p. 3.

Proclus Mathematicus.

Anast. fulmine extinctus

quippè ictus interijt XXVII. Principatus anno vix dum exacto.

Eliæ re velatio.

Tyranni mortem Eliæ Hierosolymæ Episcopo, Eius iussu longius exulanti, eo ipso, quo contigit, die prænonstratam tradunt: simul prædictum decem intra dies Ipsum decessurum, vt præmortuo Anastasio, ante Dei tribunal constituto, adesse Accusator posset: quod de Flauiano quoque Antiocheno exilio pariter mulctato scribunt. Hìc verò cum impij Principis exitu, finem quoque sextus hic liber accipiat. At nos Eo apud inferos demerso, quasi altero Pharaone, transmisso veluti pelago, aduerso in littore consistentes, Victoriæ Hymnum concinamus.

Cyrill. in vit. S. Sab. Sophr. Prat. spir. c. 35.

sortis suæ Paderb.

Libri VI. finis.

INDEX totius Operis
In finem Secundæ Partis reijcitur.

pag. ver.	MENDA	EMENDA
2 17	Patruum	Patrum
3 1	Regnum	Regum
4 13	Vellius	Velleius
9 12	Genias	Gemonias
14 1	maryrio	martyrio
20 5	concinit	conciuit
22 18	arant	erant
42 24	oppoſitè	appoſitè
44 2	reliquarum	Reliquiarum
50 4	æditum	ædium
60 16	eos	os
85 27	inſtituum	inſtitutum
87 3	veſtementius	vehementius
101 10	Dominirannum	Domini annum
115 18	cedere	cædere
139 2	miſſum	miſſus
151 2	excreuit.	euexit
26	preuigilioo,leum	preuigilio, oleum
160 34	Ægyptis	Ægiptijs
198 1	labris	latebris
210 25	momto	momento
216 18	reuertantur	reuertamur
225 5	animis	nimis
233 1	nos.	non
17	excitatum	excitato
406 20	Cappadociæ epiſcopis	Cappadociæ ſubſiſtunt; ibi Epiſcopis
428 1	geſtas	geſtæ.
465 2	Baſilius	Baſilium
3	Frater	Fratrem
4	Hieronymus ipſe	Hieronymum ipſum
474 7	celebrandum	celebrandam
504 5	Nono	Nouo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M N
O P Q R S T V X Y Z.

A a B b C c D d E e.

Omnia sunt folia integra, præter †, quod est medium.



ROMÆ,
Typis Petri Antonij Facciotti. 1636.
Sumptibus Pompilij Totti.

Superiorum Permissu, & Priuilegio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN